SEMESTRIUM

AD

M. TULLIUM CICERONEM

LIBRI SEX.

SEMESTRIUM

AD

M. TULLIUM CICERONEM

LIBRI SEX.

SCRIPSIT

FRID. LUD. KELLER,

ANTECESSOR TURICENSIS.

VOLUMEN I.

TURICI,

IMPENSIS ORELLII, FUESSLINI & SOCIORUM.

MDCCCXLII.

LONDINI, BLACK & ARMSTRONG. AMSTELODAMI, I. MÜLLER. PARISIIS, A. CHERBULIEZ & SOC.

non già pubblicato altro

Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requieuit et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decreui, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere.

Salust.

PRAEFATIO.

Compluribus hisce annis academicum semestre, quod uocamus, nullum fuit, quin secundum uarias iuris Romani disciplinas unum alterumue Ciceronis librum ex antiquitatibus iuris publici ac priuati explanarem, iisque lectionibus optimi quique ac studiosissimi iuuenes frequentes semper adfuerunt.

Initium cepi a Rhetoricis, deinde abhinc triennio Orationes adortus sum. Quas quum ex ordine temporis, quo habitae sunt, qui idem fere Editionum esse solet, paucis intermissis, ad Cluentianam usque pertractassem, illorumque studiorum non fructu solum quantulocunque, uerum etiam ipsa difficultate ac labore in dies magis delectarer; tandem ad scribendum me contuli.

Aequum censeo rationem me reddere semestrium quarundam commentationum, cupio erudi-

torum iudiciis, numquid ueri inuenerim, edoceri, iuuat denique leuiori quodam tentamine uires experiri, quinetiam ad maiora animum praeparare.

Nam a principio quidem, ut antea dixi, in libris rhetoricis perlustrandis intra iuris publici ac priuati fines consulto me continui, raro caeterarum rerum antiquitates attigi, criticas autem quaestiones, nisi omnino res flagitaret, aut in iuris cognitione uiderentur totae uersari, praetermisi, aliamque ratus *Grammatici* aliam *Iureconsulti* prouinciam esse, tutissimum duxi, uetus illud *Ne sutor supra crepidam* quam religiosissime obseruare. Idque facillime cessit, quatenus in libris illis uersabar, qui oratori instituendo non iuri docendo destinati, exempla magis e iure publico ac priuato quasi sorte ducta receperunt quam ipsam disputandi materiam inde petiuerunt.

Sed ubi primum ad orationes accessi, quam diuersa totius rei facies extitit!

Pauca illic e iure ac temere disiecta, hic plurima certoque consilio composita. Illic ueluti flores oblectationis ornamentique caussa leuiter decerpti, hic solidus cum labore et cultura fru-

ctus: quid multa? rhetor illic, in docenda arte dicendi ius et iudicia obiter atque inter caetera respiciens, hic ipse orator, caussae suae terminis circumscriptus in eaque demonstranda ac probanda totus occupatus omnique opera ac studio intentus.

Atque ueluti in *syllogismis*, quos dicimus, cogitatione quidem discerni solent tria illa enunciata uel pueris notissima, *propositio*, *assumptio* et *complexio*, attamen qui in uno siue concipiendo siue intelligendo errauerit, in tota conclusione ad id, quod rectum atque uerum est, numquam perueniet: sic in *caussarum defensionibus* triplex habetur disserendi argumentum; primum *ius commune*, legibus, moribus, Edictis magistratuum et q. g. a. constitutum, altera rei gestae species ac figura, tertia illorum coniunctio ac mutua inter se comparatio, qua quo conducant efficitur ut intelligatur: tota autem oratio una est atque indiuidua, quae illa omnia, arte quadam et consilio fusa, constructa, ornata uno quasi spiritu continet.

Itaque in orationibus interpretandis res ipsa fert, ut neque singula quaedam capita neque certum aliquod dictorum genus ad commentandum

seligatur, sed integra oratio ipsaque caussa, in qua docenda uersatur, disputatione comprehendatur. Qua in re nullo monente quiuis intelliget, singulorum quoque locorum, dictorum, quinetiam uocabulorum exactissimam rationem esse habendam, nec magis interpretem in oratione explananda quam in ipsa caussae dictione oratorem, si partes neglexerit, toti consulere recte posse.

Quae quum ita sint, quid statuendum de critica ratione aut adhibenda aut declinanda?

Equidem eam rem non uoluntatis sed necessitatis esse arbitror. Nam qui fieri potest, ut integrum ueteris alicuius scriptoris librum scite interpreteris, nisi scias quid scripserit? uel contra: in summa Codicum diuersitate, quae frequentissime incidit, qui sciri poterit, quid scripserit auctor, nisi exactiori quadam rerum cognitione, quid scribere potuerit aut non potuerit, quidue scripsisse eum maxime sit probabile, discernatur antea ac diiudicetur?

Neque me fugit, egregiam multos castigando uel harum orationum contextui operam nauasse nec tamen res, de quibus agitur, praesertim iuris

cum rationem tum disceptationem, nimium curasse; alios uero, quum criticas curas istis mallent delegare, commentarios composuisse ualde utiles. Neque ea sum arrogantia, ut talibus uiris detrahere uelim aut iustis eorum laudibus obtrectare: immo summum arbitror honorem iis me habere, quum fateor, quae separatim possunt praestari, ea adeo perfecta ab illis esse et absoluta, ut quid noui adiiciam, nisi noua aliqua studiorum ratione inita uix iuuenire possim: eam igitur coniungendi critici laboris cum iuris disceptatione aut solam aut magnam certe mihi caussam fuisse. Nouam autem dico hanc studiorum rationem, non quo inaudita sit atque omnium hominum a me primo inuenta; sed minus tamen est usitata atque inde ab *Hotomano* a paucis usurpata, dummodo teneatur, me, quum rei criticae operam dare constituerem, non solum de iudicio exercendo uerum etiam de apparatu librorum tam manuscriptorum quam impressorum conquirendo excutiendoque mihi proposuisse.

Atque de studiorum quidem ratione satis. Sequitur ut de scribendi instituto aperiam.

Iamdudum me tenuit studium quatuor illarum orationum, quae in medio iure ciuili uersantur dictaeque sunt de caussis ciuilibus, pro *P. Quinctio*, pro *Q. Roscio Comoedo*, pro *M. Tullio* et pro *A. Caecina*; quas omnes uideo ab Editoribus tam singularum quam selectarum Ciceronis orationum rarius quam caeteras curari, quinetiam ueluti consulto deuitari, eaque esse uniuersa natura, ut Iurecousultorum potius quam Grammaticorum operam postulare merito existimentur.

Eas igitur orationes selegi, quas primas criticis curis emendatas commentariisque instructas ederem. Vix audeo dicere, debeo tamen, ulterius me prospicere uberrimum illum iuris, antiquitatum, omnium denique rerum thesaurum, *Verrinas*, quibus, si prospere anterius illud propositum cesserit, tum si aetas et uires suppeditabunt, easdem curas impertiam.

Enimuero duplex hoc opus ne temere uidear suscepisse, maximopere mihi deprecandum esse ac defendendum praesentio. Quinetiam caussam me probare decet, cur eiusmodi munus profitear aliquot annos antea quam impleam.

Quippe in hoc litterarum genere colendo talem arbitror esse huius aetatis ardorem simul ac grauitatem, ut ad commentarios edendos qui leuiter et parum instructi prosilierint, uix possint uanam quandam uniusque diei gloriolam apud imperitos sibi comparare; qui autem bene de Auctore suo mereri solidaeque laudis fructum capere uoluerit, ei, ut absoluti aliquid atque in suo genere perfecti repraesentet, enitendum omnique opera ac studio elaborandum sit. Id uero (ne duriorem uidear quum caeteris tum mihimetipsi legem imposuisse) ad ingenii modum quiuis praestare poterit, quum primo rem longe diuque secum uolutauerit, deinde non modo eorum, qui antea scripserunt, sententias cognouerit, uerum etiam aequalium, quoad eius fieri potest, uoluntariam opem auxiliumque sibi conciliauerit.

Ecce primam caussam, quae ad Semestria haec scribenda me impulit. Nam quum in hisce libellis subtilissimas quasque ac difficillimas quaestiones protulero diligenterque pertractauero, duas res spero me assecuturum ualde optabiles, unam, ut noua uirorum doctorum commenta atque iudicia

excitem, eorumque beneficio, qua sunt solertia et humanitate, optimis consiliis auctus recreatusque ad inceptum peragendum accedam: alteram, insignem mea quidem sententia commentarii utilitatem atque ornamentum, ut quae disputationis magis quam admonitionis sunt, Semestrium hisce libris comprehendam, postea uero commentarius perpetuus laboris fructum potius quam ipsum laborem exhibeat, adeoque efficiatur, ut copiose quidem ac luculenter Auctoris contextus illustretur, nec tamen, quod haud raro accidere uidemus, commentarii copia obruatur eiusque quasi fluctibus submergatur.

Enimuero hactenus Semestria, quorum primus nunc hic prodit libellus, futurae meae quarundam Orationum Editioni inseruient, eiusque praeparandae munere fungentur. Sed non id solum mihi proposui, quum Semestria scribere constitui. Enixe curabo quos editurus sum Ciceronis libros, nec tamen negligam quos non sum editurus. De his quoque omnibus multa commentatus sum ac quotidie commentor. Ubi quum fortasse inuenero aliquid, haud indignum quod in publicum profer-

rem, uel maxime mihi hoc quasi horreo opus erit, in quo studiorum fructus congeram ac reponam.

Itaque propositum mihi est, in singulis libris (sex erunt, senum mensium interuallis prodituri) singula capita siue etiam plura breui disputationi locorum uariorum atque ex omnibus Ciceronis scriptis ueluti per saturam collectorum adsignare. Cui legi quominus in primo statim hoc libro satisfacerem, necopinanti mihi impedimento fuit primo contraria quaedam lex, quam ipse mihi imposui, ut ne in singulis hisce libris medium duodeuarum circiter plagularum numerum excederem, deinde illa caussae Quiuctianae eximia ubertas atque eiusmodi natura, ut ad defeudeudam intimam, quam demonstraui, operae criticae et interpretationis coniunctionem ultro se offerret, quae in prima acie collocaretur. Ne plura: exordio operis rogo ut indulgeatur, usu discam modum obseruare.

Unum restat, quod summo tantum digito attingam, quoniam praestandum potius quam praefandum aut profitendum esse uidetur.

Scribendi formam talem mihi comparare stu-

dui, qualis neque Iureconsultis iniucunda neque caeteris obscura esset. Re ipsa nihil aliud secuturus sum nisi eorum, quos selegero, librorum, capitum, locorum quam plenissimum intellectum; quae eo conducere uidebuntur, eorum nihil neque detrectabo neque defugiam. Cupio *Ciceronis scriptis* conciliare quam possum amplissimas *iurisprudentiae operas,* quibus nihil sane potest esse neque honestius neque liberalius. Earum autem ipsa copia si quando contigerit ut disputatione nostra augeretur, adeoque Ciceroniana haec studia ipsi iuris Romani cognitioni, tamquam optimae nutrici, fructus aliquos reddere atque ueluti gratiam referre potuerint: — hoc equidem aduentitio lucro, ut Iureconsultus, in tacito sinu gaudebo.

SEMESTRIUM

AD

M. TULLIUM CICERONEM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De iure caussae Quinctianae.

Praeter Editiones commentariis instructas, ueluti Garatonianam, Ernestianam, Beckianam, Schützianam, Lemairianam, Klotzianam conferantur:

Seb. Jan. Euer. Rau, Disputatio iuridica ad M. Tullii Ciceronis Orationem pro P. Quintio, Lugduni Bat. 1825. 8.

Programma de lectione aliquot locorum in Ciceronis Oratione pro Quintio, Jenae 1792. fol. (in *Schützii* Opusculis, Halae 1830. 8. N. XXI. p. 198 — 206.)

§. 1.

Quae fuerit iudicii origo et natura.

Actio illa, de qua inter P. Quinctium atque S. Naeuium ex formula C. Aquillio iudicandum fuit, genere suo ac nomine est de pecunia certa credita, caussa et origine ex sponsione, ui atque effectu praeiudicialis.

Quae iudicii natura quum per totum Tullii orationem manifesto appareat, uerbo quidem etiam uulgo probatur, re autem et ueritate uel hodie parum uidetur intelligi. Unde quum non solum uarii interpretum nati sint errores, uerum etiam primariorum aliquot locorum foedae corruptelae, quas olim excogitatas iam concordi fere Criticorum iudicio ad hunc usque diem conseruari uide-

mus; equidem rem inter primas censeo dignam esse, de qua accuratius inuestigetur.

Naeuii cum Quinctio in iure controuersia

Iam ne rem repetam altius, docemur[1]), multis antea gestis tandem M. Tullio Decula Cn. Cornelio Dolabella Coss., a. u. ꟾↃCLXXIII. (quo anno haec caussa paullo postea dicta est) priorum anni mensium quodam die Sextum Naeuium cum Publio Quinctio coram Praetore, cuius inter ciues iurisdictio esset, Cn. Dolabella, constitisse; Naeuium actionem aliquam (pro socio fuerit an de pecunia certa credita, non huius loci est extricare) dictaturum fuisse, eiusque nomine, ut Quinctius iudicatum solui sibi satisdaret, postulauisse, caussam addidisse Edictum Praetoris, quod ita satisdare iuberet eum, cuius bona ex Edicto Praetoris dies triginta possessa essent. Simul apparet Quinctium paratum fuisse iudicium accipere, quin autem satisdaret, recusasse, quoniam negaret, bona sua praedicto modo possessa esse.

Ea controuersia, cum ad litem ordinandam pertineret, proxime dirimenda erat, quippe qua expedita demum de iudicii reddendi forma constaret.[2])

Praetoris cognitio

Ergo Praetor caussam cognouit, decretum interposuit. Id decretum, Tullii sententia iniquissimum, praecipuam ei perpetuamque praebuit omnium querimoniarum materium. Quamobrem uidendum erit, primum, quid Praetor *decreuerit*, deinde quid *potuerit decernere*, postremo loco quid *debuerit*.

1) Vide c. 8.

2) Aperte falsum est, quod nonnulli putauerunt, de re ipsa aut Alfenum antea aut nunc Quinctium iudicium accepisse. Immo in uniuersa hac caussa, praeterquam praesens de sponsione, nullum acceptum fuit iudicium. Conf. c. 6. extr. 7. 19. sub fin. et 20. 21. 22. atque Interpretes ad c. 20.

Quid igitur Praetor decreuit? Quid decreuerit.

Nempe iussit P. Quinctium cum S. Naeuio sponsionem facere.

Quomodo concipiendam?

Audiamus Tullium nostrum, qui duobus locis sponsionis illius tenorem nobis tradidit.

Verba eius (liceat tantisper Editorum Interpretumque emendationes, uarietates, consilia denique omnia praetermittere) ex Codicum manuscriptorum, si non omnium, at longe maioris partis auctoritate haec sunt:

c. 8. « *iubet P. Quinctium sponsionem facere:* SI « BONA SUA EX EDICTO P. BURRIENI PRAETORIS DIES XXX. « POSSESSA NON ESSENT. «

c. 27. « *Sponsio quae in uerba facta est?* SI EX « EDICTO PRAETORIS BONA P. QUINCTII POSSESSA NON SINT."

Quae si recte se habent, nullo dubio iussit Praetor Quinctium talem sponsionem facere, ut a Naeuio certam pecuniae summam stipularetur, sub ea condicione: « *si « bona mea ex Edicto P. Burrieni Praetoris dies XXX. « possessa non sunt.*"

Ea sponsione contracta Quinctius editurus erat formulam, qua intenderet sponsionis summam sibi dari oportere, qua formula uicturus erat, si iudici probauisset, bona sua ex Edicto P. Burrieni Praetoris dies XXX. possessa non esse.

At enim quaeritur, satisdandum Naeuio sit a Quinctio necne. Quid ad hanc rem ex illo decreto?

Id uero uel sua sponte apparebit, quum primum reliquas, quas posuimus, duas quaestiones attigerimus.

Quid igitur (ea altera est) *potuit* Praetor de illa satisdandi controuersia decernere? Quid potuerit Praetor decernere

Quid potuerit Praetor decernere.

De iure constabat cum Praetori tum inter litigatores propter peculiare quoddam caput, haud dubie tralatitium, in Dolabellae quoque Edicto propositum, quo iudicatum solui iubebatur satisdari, si quis ab eo peteret, cuius ex Edicto Praetoris bona dies XXX. possessa essent.

Cuius rei primarium extat testimonium in supradicto cap. 8. orationis pro Quinctio, hisce uerbis:

« *A Cn. Dolabella denique Praetore postulat* (Naeuius), ut *sibi Quinctius iudicatum solui satisdet ex formula* QUOD AB EO PETAT CUIUS[3]) EX EDICTO PRAETORIS BONA DIES XXX. POSSESSA SINT. *Non recusabat Quinctius, quin ita satisdare iuberetur, si bona possessa essent ex Edicto.*"

Accedit alterum testimonium, *Gaii* scilicet, cuius in Comm. IV. §. 102. haec continentur:

« *Quod si proprio nomine aliquis iudicium accipiat in personam, certis ex caussis satisdari solet, quas ipse Praetor significat. Quarum satisdationum duplex caussa est: nam aut propter genus actionis satisdatur aut propter personam, quia suspecta sit:*

3) Sic recte uidentur edidisse secundum Lambinum *Schützius*, *Orellius*, *Klotzius* pro uulgato isto *quoniam eius*, quae corruptela putatur ex scribendi forma *Quoius* nata esse. De Codicum habitu, ut saepe alias, parum constat. — Caeterum miro errore quidam hanc formulam siue caput Edicti, quo, quem satisdare oporteret, definiebatur, ad ipsam satisdandi stipulationem traxerunt, eiusque stipulationis formulae etiam inseruerunt, quasi sub illa condicione qui satisdaret, stipulanti actori promiserit. Quo nihil sane potest esse absurdius. Ad hunc modum in Programmate Jenensi, supra laudato, statuitur; «*Res igitur huc redit: Quinctius nolebat satisdare ex formula: Quoniam bona sua ex Edicto dies XXX. possessa essent; non recusabat autem satisdare ex formula: Si bona possessa essent.*»

«propter genus actionis, uelut iudicati depensiue, aut «cum de moribus mulieris agetur; *propter personam*, «uelut si cum eo agitur, qui decoxerit, *cuiusue bona a «creditoribus possessa proscriptaue sunt*, siue cum eo «herede agatur, quem Praetor suspectum aestimauerit." Quid potuerit Praetor decernere.

Quorum locorum consensu[4]) amplissime etiam refellitur opinio existimantium, ei soli, si quid peteret, ita satisdari oportuisse, qui bona a Praetore iussus ipse possideret, quippe cui praecipuum illud ius quasi in uicem praetorii cuiusdam pignoris, possidendo quaesiti, tributum fuisset. Immo palam est, cuius bona supradicto modo a creditore uno pluribusue possessa sint, eius uniuersam quodammodo personam ita affici, ut pro suspecta exinde habeatur, adeoque quisquis postea cum eo in personam acturus sit, possit, ut sibi iudicatum solui satisdetur, exigere.

Atque ea iuris ratio etiam caussa fuit, cur in sponsionis formula, quam supra cognouimus, tametsi accuratissime nobis tradatur, numquam tamen Naeuii nomine adiecto possessio, quae in condicione posita est, definiretur, sed absolute, cuiuscunque fuisset, demonstraretur.

Ne plura: in proposita specie de iuris norma circa satisdandi necessitatem constabat cum Praetori tum

4) Adde l. 33. §. 1. De reb. auctor. iud. po.—(Ulpianus) «Defeo«dere debitorem, sicut antequam «bona eius possiderentur, licet, «ita post bonorum quoque posses«sionem eius, siue ipse sui siue «alius defeosionem eius suscipiat, «debet satisdare, ut satisdatione «interposita iudicium accipiatur, «et a possessione discedatur.» — Quare autem neque in hoc fragmento neque apud Gaium triginta dierum mentio occurrat, infra suo loco (§. 6.) apparebit, in praesens nihil attinet inuestigare.

Quid potuerit Praetor decernere.

litigatoribus: quae uero instabat indicatio, in eo tota uersabatur, *Quinctii bona supradicto modo possessa essent necne.*

Quid ergo est? Quemadmodum potuit Praetor eam quaestionem dissoluere?

Nempe potuit aut ipse de tota re cognoscere atque decernere, aut iudicem dare, qui caussam cognosceret sententiamque pronunciaret: utrumque autem duplici modo.

Potuit aut ipse cognoscere

Siquidem priore ratione inita Praetor, pro tribunali, caussa utrinque orata, testibus, qui essent, auditis, tabulis prolatis, omnibus denique, quae ad rem pertinerent, peractis, secundum alterutrum litigantium sententiam dedisset, Quinctiique bona uti oporteret possessa esse, aut pronunciasset aut negasset, adeoque Quinctium aut satisdare iussisset, aut sine satisdatione recte iudicium accepturum esse decreuisset.

aut iudicem dare.

Contra si intricatior illa quaestio uideretur, quam ut pro tribunali illico expediretur, liberum erat Praetori praeiudicium constituere atque litigantes ad iudicem remittere, qui re audita pronunciaret, bona ita possessa essent necne: qua re iudicata et transacta tota caussa ad Praetorem reuersura esset, ut soluta iam, quae fuerat, difficultate, de satisdandi necessitate, prout res de possessione iudicata ferret, tandem decerneret.

Sponsio.

Verumtamen ut iudicium constitui posset, actione opus erat formulaque Edicto proposita. At enim nulla fuit formula, qua directis uerbis iudici negotium daretur, ut cognosceret ac pronunciaret, bona alicuius ex Edicto Praetoris dies XXX. possessa essent necne. Ergo in eiusmodi caussarum figuris paratum erat sponsionis

auxilium, non solum coram Praetore in iudiciis ordinandis, uerum etiam in uita quotidiana usitatissimum[5]). Sponsio

Sententiam iudicis desideras de iure aliquo aut facto, cuius nulla actio est. Quid agendum?

Nempe fac tibi compares aliquod ius, quod genere quidem suo expeditam habeat actionem, at ad propositum tuum ita constituatur atque cum priore illo iure factoue coniungatur, ut hoc quodammodo in se recipiat, eaque condicione totum suspendatur.

Hoc consilio actio tibi comparabitur, iure ciuili constituta, qua de actione nemo iudex poterit iudicare, nisi prius de iure illo factoue, quod unice tibi cordi est, cognouerit et iudicauerit.

Enimuero is fuit sponsionum usus ab antiquissimis temporibus uulgatissimus.

Certissimo enim iure semper constabat, qui *Spondes Spondeo* forma adhibita certam pecuniae summam promisisset, eum ciuili actione inde teneri.

Quare cum duo de quacumque re, *facta esset necne, uera esset necne*, inter se certabant, et iudici eam controuersiam subiicere cupiebant, expeditum erat consilium, ut certam pecuniae summam alter ab altero stipularetur, adiecta condicione, *si ea res uera factane aut esset aut non esset;* deinde uero qui stipulatus esset, aduersus alterum, qui spopondisset, actionem de pecunia certa credita a Praetore postularet, coque iudicio ordinato

5) Notissima sunt exempla: Liu. III, 24. 56. 57. XXXIX, 43. XL, 46. Cic. in Verrem I, 45. III, 57. 59. 62. V, 54. in Pison. c. 23. ad Fam. VII, 21. de Officiis III, 19. Auctor ad Herennium IV, 23. — Plaut. Rud. III, 4, 7. V, ult., 24. — Val. Max. II, 8, 2. VI, 1, 10. et 5, 4. VII, 2, 4. — Gellii N. A. VII, 11. XIV, 2. — Petron. Satyr. c. 70. extr.

Sponsio.

cum aduersario apud iudicem ex formula disceptaret, uerbo quidem de sponsione, re autem — (sicut orationis propositae exemplum docet) de condicione, unde et sponsio et iudicium unice penderet.

Iam illud perspicuum est, sententia de sponsione dicta, tametsi ad litteram nihil, nisi an sponsionis summam dari oporteret, iudicatum esset, necessario tamen etiam de condicione sententiam iudicis apparuisse, adeoque adsecutos esse litigatores, cuius rei caussa sponsionem fecerant, uidelicet ut de re factoue, de quo agitur, a iudice pronunciaretur[6]).

Sponsionum duplex genus.

Sed hoc loco noua quaestio superuenit. Nimirum quid fieri solebat de illa sponsionis summa, qua, qui spoponderat, actore uincente condemnabatur?

Duplex fuit ex more Romanorum eius rei ratio.

Quippe in eiusmodi sponsione facienda praeterquam iudicium de condicione comparandum aliquando alia quaedam utilitas spectabatur, aliquando nulla.

Qualis accedere potuit?

Nimirum ut, qui spopondisset, si sententia iudicis esset erroris, mendacii, temeritatis conuictus, pecuniaria quadam poena afficeretur.

Quid autem? ubi contra actorem iudex de sponsione sententiam dederit, eumque qui spoponderat, a summa sponsionis absoluerit, nonne aequitas poscit, ut inuicem

6) Ad extremum perduxit praeiudicialem hunc sponsionum usum M. ille Lutatius, qui, quo sibi iudicaretur, *an uir bonus esset*, res sua natura ac specie a ciuili iure iudicioque alienissima, sub ea ipsa condicione ab aduersario pecuniam stipulatus esse fertur. Cic. de Off. III, 19. Val. Max. VII, 2, 4. Caeterum priuatim contractam esse hanc sponsionem, neque in iure fieri iussam, apertum est.

actor propter iniustam suam certationem simili quadam poenа plectatur? Sponsionum duplex genus.

Nec fugit haec ratio Romanos. Immo traditum accepimus, eos consuluisse, ut pari modo uterque litigatorum periclitaretur. Enimuero quum natura sua simplex sit sponsio, atque, ut hodie dicunt, unilateralis, adeoque qua sponsione alter alterum sibi obligauerat, eadem numquam potuit alteri inuicem obstringi, nouam comparauerunt stipulationem, qua, qui sponsione se obligasset, inuicem ab altero parem summam sub contraria condicione stipularetur, eamque secundam stipulationem etiam nomine distincto *restipulationem* non *sponsionem* uocauerunt.

Qua duarum stipulationum contraria inter se ratione eueniebat, ut una quidem re factoue, at inuerso modo, suspensae, contrariam semper inter se sententiam iudicis ferrent, et qui sponsionis aduersarium condemnaret, simul restipulationis absolueretur, et contra; denique alteruter condemnatus aut sponsionis aut restipulationis summam quasi poenae nomine uictori sufferre deberet.

Sequitur ut de altera specie uideamus, ubi in sponsione contrahenda nulla rei promittendi poena spectabatur, nihil denique nisi iudicis de condicione sententia quaerebatur.

Nimirum hoc quoque loco reus promittendi, iudicio uictus, sponsionis summa actori condemnabatur; contra, sententia secundum se data simpliciter absoluebatur, at nullum erat condemnationis periculum, quod inuicem actori immineret.

Neque tamen propterea restipulatione opus esse uidebatur, quo magis aequitati consuleretur.

Quid ergo est? Secundum superiorem figuram quo

Sponsionum duplex genus.

pari iure parique periculo uterque esset, ita res instituebatur, ut, quali spondendi reus periclitabatur iactura, tale etiam periculum adderetur, quod inuicem actori uicto immineret. Enimuero nonne idem effici potuit diuersa ea ratione inita, ut sponsioni quod haberet periculi detraheretur?

Ne multa, hanc rem sic docemur solitam esse peragi.

Sponsionis summa perexigua finiebatur, quin talis, qualem nemo curaret siue petere siue recusare petenti. Cui consequens fuit, ut ex more neque a reo condemnato solueretur, neque ab actore uictore peteretur, immo tantummodo dicis gratia tam promissa quam condemnatione comprehensa esse uulgo putaretur.

Quid mirum igitur, *restipulationem* hoc loco cessasse, omnique pecuniario periculo utrinque remoto litigatores praeiudicio, quod de sponsionis condicione sibi concilîassent, contentos fuisse?

Atque duplici ea sponsionum contrahendarum ratione constat notissima illa diuisio in *poenales* ac *praeiudiciales*.

Quo loco obiter admonendi sumus, non idcirco alterum genus praeiudiciale appellari, quia in poenalibus praeiudicium nullum agatur, immo quia in illo genere sponsionum extra praeiudicium nihil agatur, in hoc uero insuper etiam poena, ueluti quae consensu contrahi obligationes dicuntur, proprium quoddam genus constituunt, non quo in caeteris contractibus nullo sit opus consensu, immo quia neque uerborum neque scripturae ulla proprietas desideratur, sed sufficit, eos, qui negotium gerunt, consentire[7]).

7) Gai. Comm. III §. 136.

Verumtamen subtiliorem eam quaestionem summo quasi digito tetigisse hoc tempore satis est[8]). Interea in eo consistamus, quod de sponsionum et poenalium et praeiudicialium natura ac proprietate adhuc apparuit. Qua de re superest, ut *Gaii* testimonium recitemus, quod inuenitur in Comm. IV. §§. 93. 94. Sponsionum duplex genus.

Verba haec sunt:

« *Per sponsionem . . . hoc modo* (in rem) *agimus:* « *prouocamus aduersarium tali sponsione:* SI HOMO, QUO « DE AGITUR, EX IURE QUIRITIUM MEUS EST, SESTERTIOS « XXV. NUMMOS DARE SPONDES? *deinde formulam edimus,* « *qua intendimus, sponsionis summam nobis dari oportere, qua formula ita demum uincimus, si probauerimus rem nostram esse.*"

« *Nec tamen haec summa sponsionis exigitur; non* « *enim poenalis est sed praeiudicialis, et propter hoc* « *solum fit, ut per eam de re iudicetur. Unde etiam* « *is cum quo agitur non restipulatur.*"

At enim, obiiciat aliquis, quid attinuit, rem exploratissimam tot uerbis exponere?

Ego uero caussam ostendo huius orationis utilitatem, quinetiam necessitatem. Nam qui adhuc eam siue ediderunt siue commentariis illustrauerunt, quum sponsionum duplex illud genus omnes aut ignorarent aut negligerent, denique perinde agerent, atque sine poena et restipulatione sponsio nulla fuisset, inde potissimum accidit, ut erroribus et corruptelis tantopere contaminatam ac perturbatam habeamus uniuersam Quinctianae huius sponsionis materiam.

8) Conf. *Ph. Ed. Huschke* in *Richteri* Annalibus criticis, Tom. IV. p. 487. Contra *S. W. Zimmern* in Historia Iuris, T. III. §. 58. p. 170.

Sponsionum duplex genus

Quae ut ordini suo restituatur, porro uidendum erit, quando *poenali* sponsioni locus fuerit, quando *praeiudiciali.*

Quando alterutrum obtinuerit,

Ac primum quae in communi et quotidiana hominum conuersatione fieri solebant sponsiones, certae ad eam rem normae non uidentur adstrictae fuisse, quippe quae totae essent uoluntariae ac fortuitae, ad arbitrium certantium pro lubitu instituendae atque contrahendae. Quamobrem perquam credibile est, tum poenale sponsionum genus, tum mere praeiudiciale, prout uideretur, usu uenisse; quin etiam illud uix ausim negare, aliquando accidere potuisse, ut uel poenalis sponsio, siue ob spondentis fiduciam sui, siue alia de caussa, omissa restipulatione contraheretur[9]).

Contra earum sponsionum, quae in iure, praetore iubente ac moderante, iudicii ordinandi caussa fierent, certior quaedam ratio nullo dubio obtinuit.

Constat autem, etiam ad iurisdictionem utrumque sponsionum genus pertinuisse.

poenalis sponsio

Etenim poenalium sponsionum proprium quoddam caput fuit inter poenas temere litigantium, certaque fuerunt actionum genera, in quibus edendis actori ius erat, ab aduersario, si recte actum esset, certam pecuniae summam poenae nomine stipulari.

Exempla sunt actiones *de pecunia certa credita* et *de pecunia constituta*, quarum unam tertiae partis habuisse sponsionem, alteram dimidiae Gaius auctor est[10]);

9) Conf. exempla supra allata, p. 7. not. 5. et infra h. §. not. ult. in fine.

10) Comm. IV. §. 171. « ex quibusdam caussis sponsionem facere permittitur, uelut de pecunia

poenalis sponsio

illius etiam specimen extat in Q. Roscii caussa a Cicerone acta[11]). Accedunt interdicta, quibus, praeterquam quod in restitutoriis et exhibitoriis aliquando formulae arbitrariae locus esset, cum poena, i. e. per sponsionem agi solebat[12]). Exemplum actionis ex eiusmodi sponsione de interdicto restitutorio facta Caecinae caussa praebet[13]).

cum restipulatione

In iisdem uero caussis, ubi cum sponsionis poena agebatur, etiam restipulationem ex aduersa parte interuenisse, pluribus argumentis probabile est.

Nam primo loco disertum habemus Gaii testimonium, *restipulationem* in *actione de certa credita pecunia* et in *interdictis* competere[14]); in quibus ipsis actionum generibus *sponsionem* antea deprehendimus.

Accedit *sacramenti actionis* similitudo, ab eodem auctore hic introducta[15]). Praeterea haud leui momento

«certa credita et pecunia constituta: sed certae quidem creditae «pecuniae tertiae partis, constitutae uero pecuniae partis dimidiae.» Conf. ib. §. 13.

11) c. 4.» Pecunia tibi debebatur certa, quae nunc petitur per «iudicem; in qua *legitimae partis* «sponsio facta est» rei.

c. 5. «Pecunia petita est certa: «cum *tertia parte* sponsio facta «est.»

12) *Gaius* IV, 141. «...et modo «cum poena agitur, modo sine «poena: cum poena, uelut cum «per sponsionem agitur; siue poena, ueiut cum arbiter petitur, «et quidem ex prohibitoriis interdictis semper per sponsionem «agi solet; ex restitutoriis uero «uel exhibitoriis modo per sponsionem, modo per formulam agitur, quae arbitraria uocatur.» Conf. ibid. §§. 162 — 166.

13) Vide eius orationis c. 8. extr. «... P. Dolabella Praetor interdixit ... de ui hominibus armatis ... Restituisse se dixit. *Sponsio facta est.* Hac de sponsione «uobis iudicandum est.»

14) Gaius IV, 13. 166 — 168.

15) d. §. 13. «(sacramenti) actio «perinde periculosa erat... atque «hoc tempore periculosa est actio «certae creditae pecuniae propter «*sponsionem*, qua periclitatur *reus*, «si temere neget, et *restipulationem*, qua periclitatur *actor*, si «non debitum petat; nam qui «uictus erat, summam sacramenti

poenalis sponsio cum restipulatione.

aestimandum est, quod in supradicta §. 94. ib. quasi proprium praeiudicialis sponsionis esse declaratur, *restipulationem cessare*[16]).

Ex quibus omnibus facile apparet, intimam illam inter sponsionem et restipulationem coniunctionem obtinuisse, quam supra, etiam aequitati maxime conuenire, praefati sumus[17]).

praeiudicialis

Porro praeiudiciali quoque sponsionum generi in iurisdictione exercenda locum officiumque fuisse, illustri illo Gaii testimonio, quod paullo antea recitaui[18]), manifestissimum est.

Itaque tota res ad unam illam quaestionem redit, quam supra posuimus, uidelicet utrum genus de quibus caussis potissime in usu fuerit.

Cuius rei tametsi uereor, ut certam absolutamque Romanorum rationem ualeamus extricare, tamen uestigia quaedam apparere uideo obseruatione digna, ad cognitionem utilia.

Nimirum ut ultro concedam, quae supra indicaui actionum genera, poenalibus sponsionibus instructa et munita, nonnisi exemplorum loco nobis tradita esse, neque quasi finito illo numero uniuersum poenalium sponsionum usum circumscribi neque concludi; uix tamen credo, mero casu fieri, primum ut ad aestimationem *rei ac litis*, qua de agitur, sponsionis summa ubique referatur, certaque

« praestabat *poenae nomine*, eaque « in publicum cedebat, praedesque « eo nomine Praetori dabantur; « non ut nunc sponsionis et restipulationis poena lucro cedit aduersarii, qui uicerit.»

16) Verba d. §phi 94. supra exhibui p. 11.

17) *Zimmern* l. c. p. 170. *Rein*, d. Röm. Priu. R., p. 450. *Huschke* de caussa Siliana p. 6.

18) Vide supra p. 11.

eius parte, ueluti dimidia, tertia, finiatur; deinde ut neque poenalis eiusmodi sponsio, neque alia poena temere litigantium (cuius generis illa quoque est) ulla inueniatur, quin cum finali totius litis exitu coniungatur[19]. Nam propter decretum ordinandae litis gratia interpositum aut propter praeiudicium decreti praeparatorium, nemo sane legerit, quemquam aut dupli condemnatum aut ignominia notatum, aut contra calumniae contrarioue iudicio petitum fuisse. praeiudicialis sponsio.

Quocirca haud temere mihi uideor in suspicionem adduci, certam quidem obtinuisse poenalium sponsionum rationem, finitum, quibus accommodarentur, actionum numerum; constitutam denique illis actionum generibus suam cuique litis partem, qua spondendo reus periclitaretur; haec tamen omnia nonnisi eius puniendi caussa comparata fuisse, qui finali iudicis sententia de re ipsa simul condemnaretur: contra uero omne hoc sponsionum poenalium genus prorsus alienum fuisse a uariis illis frequentissimisque caussarum figuris, ubi in iure, uel ob iudicium ordinandum uel ob aliam quamcumque rem, quae ad iurisdictionem pertineret et ius dicenti emergere posset, sponsione opus esse uideretur; immo in hisce omnibus Praetorem praeiudiciali potius sponsione, quam pro arbitrio fieri iussisset, rem transigere solitum esse[20].

19) Conf. *Gaii* Comm. IV. §§. 171 — 182.

20) Quae in Verrem III, 57. seqq. et V, 54. narrantur poenalium sponsionum exempla (Verba uide infra h. §. not. 35.), remotiora mihi uidentur a iure ciuili ordinariaque iurisdictione, quam ut in contrariam partem ualere possint: Heraclii uero Centuripini caussa, ibidem II, 27. relata, etiam omni sua natura et habitu incertior atque obscurior.

praeiudicia-lis sponsio.

Praeterea admonendi sumus, praeiudiciali sponsionum generi tunc quoque locum fuisse, quando principale illud ius, de quo agendum esset, sponsione quidem, cui formula accommodaretur, indigeret, neque tamen eorum numero esset, in quibus, ut poena is quicum agitur periclitaretur, constitutum fuit. Ecce tibi in rem actionis exemplum, e *Gaii* Institutionibus supra allatum[21]).

Sponsio Quinctiana,

Atque haec hactenus. Unde ad caussam nostram illud uidetur redundare, quam sponsionem de proposita quaestione Dolabella fieri iussit potuitque more et exemplo iubere, eam non *poenalem* sed *praeiudicialem* fuisse; *restipulationem* igitur nullam accessisse.

quibus modis institui potuerit.

Ea uero sponsio, uti ab initio dixi, duplici modo institui potuit. Nimirum uter stipulatoris, uter promissoris partes susciperet?

Iam haec ipsa quaestio uidetur propria esse praeiudicialis huiusce sponsionum generis.

Nam poenalis sponsio, quum coercendi eius caussa, quicum agitur, comparata sit, semper ita in iure instituatur necesse est, ut, qui in principali caussa actoris locum obtineat, eidem aduersarius stipulanti promittat.

Praeiudicialium uero sponsionum quum totidem sint caussae ac figurae, quot possunt in iure dicendo uariae quaestiones atque contentiones incidere, et quum plerumque liberum sit Praetoris arbitrium, de eiusmodi controuersia ipse uelit cognoscere atque decernere, an sponsione fieri iussa iudici negotium dare, alterutra ratione non ad certam iuris normam, uerum pro grauiore aut leniore,

21) Comm. IV. §. 93. Vide supra p. 11. Conferas etiam ibidem § 91. et in Verrem 1, 45.

intricatiore aut faciliore rei natura, denique ex opportunitate sua atque commodo eligenda: necessario fere consequens est, illud quoque Praetoris arbitrio totum contineri, in sponsione facienda uter stipuletur, adeoque in praeiudicio agendo petitoris personam suscipiat. **Sponsio Quinctiana quibus modis institui potuerit.**

Qua de re quod Praetor ex aequo et bono pro rei qualitate decreuisset fierique iussisset, quando alteruter litigatorum facere noluit neque ius dicenti obtemperare, nullo dubio in promptu fuit pro potestate recusantem coercere, actorem quidem deneganda aut actione aut alio, quod appeteret, iurisdictionis auxilio; eum uero, quicum agitur, illo periculo, quod, qui recte utique oportet non defenduntur, incurrere solebant[22]). Quamobrem ubi accuratior inuenitur iustae plenaeque defensionis descriptio[23]), non id solum requiri uidemus, ut *iudicio*, uerum etiam ut *sponsione*, uti oportet, is quicum agitur defendatur. *Sponsione* uero *se defendere* reus tunc dicitur, quum ad arbitrium Praetoris, qui sponsionem de aliqua re fieri iusserit, aut actori stipulanti

22) Obiter admonendi sumus, praeter communem illam coercendi rationem etiam peculiaria quaedam remedia fuisse, certis actionum generibus praestituta; cuius rei exempium diuinationi potius quam notitiae nostrae offerunt mutili illi uersus apud Gaium IV, 170.

23) Conferatur lex Galliae Cisalpinae c. 20. «si is ibi de ea «re in iure non responderit, *neque* «*de ea re sponsionem faciet*, neque «iudicio, uti oportebit, se defen«det» rei. — Et inferius: «qui se «*sponsione iudicioue*, uti oporte«bit, *non defenderit*» rei. — Et postea: »neque de ea re satis, «uti oportebit, faciet, *aut si spon*«*sionem fieri oportebit*, *sponsionem* «*non faciet*, non restituet, neque «se iudicio, uti oportebit, defen«det rei.» — Ad uerba «*sponsione* «*se defendere*» conf. Liu. XXXIX, 43. «In extrema oratione Catonis «(Censoris contra L. Quinctium «Flamininum) condicio Quinctio «fertur, ut, si id factum negaret, «ceteraque quae obiecisset, *spon*«*sione defenderet sesè*: sin fatere«tur» rei.

Sponsio Quinctiana quibus modis institui potuerit.

spondet aut ultro ab eo stipulatur, ac deinceps quae ad sponsionis ordinem exitumque pertinent, siue accipiendo inde siue edendo persequendoque iudicio ex more peragat.

In summa, ut ad caussam Quinctii reuertamur, quaeque proxime disputauimus, ad exitum perducamus; — potuit Dolabella, si sponsione ac praeiudicio rem transigi mallet, sponsionem aut ita fieri iubere, ut Naeuius, totius caussae actor, imaginariam quandam pecuniae summam a Quinctio stipularetur sub ea condicione, *si bona eius ex Edicto dies XXX. possessa essent*, deinde ex hac sponsione actionem intenderet: aut ex opposito, tali modo, ut Quinctius, in principali actione reus, sub contraria condicione a Naeuio stipularetur, adeoque in praeiudicio inde nascente et agendi et probandi onus officiumque suscipere cogeretur.

Quid debuerit Praetor decernere:

Iam quum appareat, quid Praetor de satisdationis illa controuersia apud se orta decernere potuerit; superest tertia quaestio supra proposita, uidelicet *quid recta iuris ratione decernere debuerit.*

cognoscere an sponsionem fieri iubere.

Primo loco uidendum, uerumne fuerit sponsione rem transigere, an rectius ipse cognitionem uniuersam in se recepturus fuisset.

Quae res quum in potestate et arbitrio Praetoris tota esset posita, puto tamen aliquando potuisse merito reprehendi Praetorem, qui multis negotiis districtus in re graui atque dubia, quum uix primam faciem cognouisset, temere aut cupide ad decernendum prosiliret: contra uero, qui sua cognitione minime fretus, quo amplissima fieret rei inuestigatio, a sententia ferenda in totum se abstinuerit, sponsionem fieri iusserit, de

sponsione peritum aliquem probatumque addixerit iudicem, cui illius rei exactissima cognitio, religiosaque iudicatio et praeterea nihil curae esset; cuius denique sententia ipse usurus eoque fundamento decreturus esset: is, dico, magistratus officii, religionis, modestiaeque potius laudem merebit, quam ulla umquam reprehensione dignus inuenietur; unica fortasse ea exceptione, si adeo plana atque explorata res esset, ut bonum et constantem magistratum magis deceret, maturo decreto quaestionem dirimere, quam sponsionis praeiudiciique exoptatam moram calumniae condonare.

cognoscere an sponsionem fieri iubere.

Hanc normam cum ad caussam nostram adhibeo, Dolabellam censeo recte atque ordine fecisse, qui sponsionem fieri iusserit. Nondum quidem huius loci est diiudicare, bona Quinctii ex Edicto possessa fuerint necne; id tamen puto uel primum legenti Tullii orationem facile patere (sicut infra perspicue apparebit), haud mediocriter intricatam atque difficilem fuisse propositam illam quaestionem, quin etiam probabiliorem primo aspectu Naeuii quam Quinctii caussam speciem praebuisse.

Quare iniuria Tullium hoc loco Praetoris iniquitatem insimulare, tantopere mihi persuasum est, ut uix dubitem, quin, si missa sponsione breui manu Dolabella ex sua cognitione decernere uoluisset, Naeuius superior discessurus fuisset, adeoque Quinctius Praetoris cum religioni tum aequitati totum debeat acceptum referre, quod etiamdum sibi liceat caussam famamque suam apud iudicem defendere.

Tullii querela.

Caeterum ad hunc locum pertinet Ciceronis querela, quae in c. 2. orationis inuenitur, ubi Praetoris accusat „*iniquitatem et iniuriam, quod contra omnium con-*

Tullii querela. »*suetudinem iudicium prius de probro quam de re* »*maluerit fieri.*"

Etenim cam uidetur demonstrare consuetudinem, qua in ordinario famosorum iudiciorum genere, cum ipsam de re et actione condemnationem ignominia sequatur (ueluti in mandati, fiduciae, pro socio et similibus actionibus), de fama neque anteriore neque omnino peculiari propriaue sententia iudicatur, immo famae detrimentum principali iudicio ipso iure continetur.

Verumtamen ab eiusmodi ignominiae caussa haec species nostra eo differt, quod earum numero sit, ubi *rei* magis *factoque* quam *iudicio* et *condemnationi* famae detrimentum inesse putatur; quo genere caussae sunt eius, qui corpore quaestum fecerit, quiue lanistaturam artemue ludicram fecerit, aliaeque complures[24]); in quibus omnibus, dummodo de facto constaret, nihil opus fuit non modo condemnatione sed ne iudicio quidem; adeoque, ubi propter facti incertitudinem praeiudicio locus esset, neque magis *reo*, si sponsione condemnaretur, quam *actori*, contra quem sententia daretur, ignominia imminebat, neque omnino nisi improprie oratoriaue quadam licentia dici potest *ipsi iudicio* existimationis periculum inesse. Qua loquendi forma quum libere Tullius in defendendo Quinctio utatur, omnimodo sciendum est, hunc, si sponsione sua uincatur, eadem futurum esse ignominia, qua iamdudum esse putaretur, si de possessione bonorum prius constitisset.

Iam uero facile apparet, quum eadem illa posses-

24) Conf. Legis Iuliae municipalis (Tab. Heracleensis) c. 8. — et L. 1. De his qui not. infa.

sione bonorum et satisdandi necessitas, qua de agitur, et Quinctii fama (quae iuris potius ratione quam Naeuii uoluntate in discrimen uenit) suspensa sit, nullo modo fieri potuisse, quin de *probro*, quod Cicero dicit, *prius quam de re* (h. e. de principali Naeuii actione) apud iudicem disceptaretur, nisi suo decreto Praetor satisdationis postulationem reiecisset, Naeuiumque sine satisdatione litem contestari iussisset. Id uero Dolabellam, quin decerneret, merito recusasse, supra docuimus. Tullii querela.

Neque me fugit, aliam praeterea uiam a Quinctii defensoribus demonstrari, qua satisdationis quaestio expediri possit, neque tamen Quinctii fama in discrimen uocetur; quinetiam hoc loco Praetoris iniquitatem, quod non audierit, accusari[25]).

Nimirum condicionem Naeuio tulerunt, *ut uterque inter se satisdaret*, quo facto et res Naeuio tuta esset futura, et fama Quinctio salua, quippe qui, quum inuicem satis acciperet, ex pacto et uoluntate, non ex Edicti formula neque iuris necessitate coactus etiam satisdedisse uideretur.

Verumtamen ea condicio, ut aequissima fuerit ad paciscendum, haudquaquam talis fuit, qualem Praetor decreto confirmare atque Naeuio inuito imponere potuisset.

Quid enim? quum Edicto Praetoris certum quoddam satisdationum ius esset constitutum, caussaeque, quibus satisdandi necessitas consisteret, tam actionibus quam personis curiose descriptae ac finitae; quis ferret Praetorem, qui, ubi ex eiusmodi iusta quadam caussa liti-

25) Vide c. 8. «demonstrabant, «de re iudicium fieri oportere, «ut aut uterque inter se aut neu«ter satisdaret: non necesse esse «famam alterius in iudicium ue«nire.» Conf. c. 13. extr. 14. 28.

Tullii querela gator aliquis ab aduersario satis accipere uellet, utrumque inter se satisdare coegerit, nulla alia ratione motus nisi quominus caussa appareret, propter quam qui solus Edicto teneretur, satisdandi necessitati paruisset?

In summa fecit Praetor quod debuit facere, quum sponsionem fieri iussit.

Sponsio quomodo concipienda fuerit. Sequitur, ut altero loco dispiciamus, quomodo concipienda ea sponsio fuerit, uidelicet utri stipulandi agendique officium, utri spondendi defendendique oportuerit adsignari.

Etenim supra docuimus, stipulari oportuisse, aliquot nummos dari, aut Naeuium a Quinctio:

> SI BONA TUA EX EDICTO BURRIENI PRAETORIS DIES XXX. POSSESSA SUNT et rel.

aut Quinctium a Naeuio:

> SI BONA MEA EX EDICTO P. BURRIENI PRAETORIS DIES XXX. POSSESSA NON SUNT et rel.

Utram igitur sponsionem debuit Praetor fieri iubere? Fuitne aliqua et quaenam fuit eius rei ratio ac norma, ad quam Praetor decretum suum dirigeret?

Atque uulgo quidem dici solet, qui in principali iudicio actor esset, eundem etiam in sponsione facienda stipulatoris partes plerumque suscepisse, exceptas tamen quasdam caussas fuisse, quarum uideo equidem exempla magis (imprimis hoc Quinctii) quam rationem afferri.

Enimuero ad illam regulam nullo dubio sponsionis conceptio dirigebatur, ubicumque id agebatur, ut in eius sponsionis formulam uniuersum de re principali iudicium concluderetur[26]).

26) Vide supra p. 10. 11 not. 8.

Quid ita? Opinor quia sponsionis fuit, actori actionem iudiciumque comparare, non agendi probandique onus et officium in aduersarium transferre. Sponsio quomodo concipienda fuerit.

Quid ergo est? Ubi propter secundariam quandam incidentemque controuersiam praeiudicio opus erat, nonne uerissimum fuit, eadem ratione illud spectare, utri de singulari hac quaestione probandi munus potissime incumbat, utri ex aduerso aliqua fortasse siue praesumptio siue quod possessionis instar habeat, competat, illi denique stipulandi agendique, huic spondendi et defendendi partes tribuere?

Nam hoc sane tritissimum est, aliarum rerum actori, aliarum ei quicum agitur probationem incumbere; quod prout accideret, censeo aut actori aut reo (de ipsa re et actione qui esset) ad sponsionem faciendam praeiudiciumque inde agendum a magistratu stipulandi agendique officium, nisi aliter inter litigatores conueniret, tribui solitum esse. Quid enim aequius fuit, quam eum, qui coram magistratu alicuius rei probandae onus tulisset, si illic res peracta esset, eundem in eo praeiudicio, quod uni huic rei compararetur, actoris munere fungi?

Videamus igitur, haec omnis ratio quomodo caussae Quinctii possit accommodari.

Biennio circiter antea Naeuius a Burrieno Praetore, ut bona Quinctii ex Edicto possideret, postulauerat, caussam, uadimonium desertum[27]) et quod genus prae-

27) c. 6. «testificatur iste, P. «Quinctium non stitisse et se sti- «tisse; tabulae maximae signis «hominum nobilium consignan- «tur: disceditur: postulat a Bur- «rieno Praetore Naeuius, ut ex «Edicto bona possidere liceat.» Id uero a. d. V. Kal. Intercalares L. Cornelio Scipione C. Iunio Norbano Coss. (a.u. IϽCLXXI.) actum esse, ex c. 25. perspicuum est.

Sponsio quomodo concipienda fuerit.

terea quantum satis esset[28]), probauerat, quod postulauit, impetrauerat, bona maiorem partem possederat, quinetiam ad hunc usque diem possidebat[29]), eamque possessionem bonorum non solum aduersus iniustam Alfeni defensionem, Burrieni Praetoris decreto reiectam, tenuerat, uerum etiam deinceps tam apud tribunos plebis quam apud trium annorum Praetores saluam atque integram perpetuo conseruauerat. Nam satis mihi persuasum est, *certum* illud *auxilium*, quod a tribunis petitum quidem at non impetratum esse, cum aliquo stomacho Tullius refert[30]), nullam rem magis proprie quam possessionem bonorum ipsam spectasse (qua de re infra latius disserendi occasio[31]) erit), quinetiam post Alfenum Quinctium quoque cum a Burrieno tum a sequentium annorum Praetoribus, ut de possessione Naeuius decedere iuberetur, saepius quidem at semper frustra postulauisse.

Quae omnia, et rei ueritate et notitia Praetoris certa atque explorata, quamuis Quinctius cum uaria argumentatione, partim ex aequitate partim ex subtili iure deprompta, contra ueniret, neque probandi spe neque fortasse uel uincendi iusta exspectatione destitueretur,

28) De ea re uide infra §. 2. et §. 4.

29) Vide c. 31. «Multis uexa«tus contumeliis (Quinctius), plu«rimis iactatus iniuriis, non tur«pis ad te sed miser confugit: «e fundo ornatissimo deiectus, «ignominiis omnibus appetitus, «*cum illum in suis paternis bonis* «*dominari uideret, ipse filiae nu*«*bili dotem conficere non posset*, «nihil alienum tamen ulla supe«riore commisit.»

30) c. 7. extr. «Appellantur tri«buni: *a quibus cum esset cer*«*tum auxilium petitum*, ita tamen «disceditur, ut Idibus Septembri«bus P. Quinctium sisti Sext. Al«fenus promitteret.» — Conf. c. 20. extr. «At enim tribuni plebis ne «audierunt quidem.» rel.

31) Vide hic infra §. 8.

tamen ita comparata fuerunt, ut aequissima ratione, si non praeiudicium, at praesumptio quaedam et quasi iuris, de quo agebatur, quodammodo possessio Naeuio inde conciliari uideretur, adeoque nulla opus esset nec gratia Naeuii nec Praetoris iniquitate, quo *Quinctius* potissimum stipulari praeiudicioque experiri iuberetur, Naeuius autem possessoris loco constitueretur. Quid enim? Nonne rerum adhuc gestarum summam et effectum ille impugnabat atque euertere conabatur, hic autem sustinebat ac defendebat? Sponsio quomodo concipienda fuerit,

Superest ut admoneamus, quae proxime tractata sunt, tota ad illum Tullianae defensionis locum pertinere, quo uehementissime Praetoris conqueritur iniquitatem, nec satiari potest lamentando, *quod priore loco caussam dicere Quinctius coactus sit*[32].

Qua tamen in re nihil Praetorem peccasse, immo et iuris rationi et officio suo probe satisfecisse, iam perinde confido perspicuum esse, atque in superiore illo crimine fuit, ubi *de probro prius quam de re iudicium fieri iussisse* Dolabella accusabatur[33].

Quid autem? duplex ea de sponsione querela, uana quidem nostro iudicio et infirma, ut uerissima fuerit, nonne plane inutilis fuisset?

Nimirum quid attinet, de Praetore apud iudicem

32) Vide c. 8. «Clamabat . . . «Quinctius . . . . , sponsionem si «istiusmodi faceret, se (id quod «nunc euenit) de capite suo *pri-« ore loco caussam esse dicturum.»* Conf. c. 2. 9. 13. 31. — Praeterea nescio, an eidem illi sponsionis instituendae ordini alludatur uerbis in c. 8. «non recusabat Quin- «ctius, quin ita satisdare iubere- «tur, *si bona possessa essent ex « Edicto.»*

33) Vide supra p. 19. seqq.

Sponsio quomodo concipienda fuerit.

queri, qui sponsionis formulaeque legi adstrictus, quod iudicium reddidit magistratus, peragere atque sententia sua ad effectum perducere, non corrigere debet?

Audio: at enim Tullium nostrum haec ratio fugit caeterosque oratores, quorum puto neminem hoc querimoniae genus, ubi occasio esset, facile praetermisisse[34])?

Nihil minus. Enimuero hisce locis non id agebant, quod adsequi nullo modo possent, ut formulam mutarent, iudicemue a formula depellerent; immo, quam curam numquam neglexerunt, ut misericordiam mouerent, beneuolentiamque et caussae suae et clienti compararent; — haud ignari, quem apparuerit, iniquum a Praetore iudicium accepisse, ei hac ipsa parte, qua natura sunt homines, iudicis quantulumcumque fauorem accrescere solere.

Loca in c. 8. et 27. pro Quinctio.

Nunc pertractatis duabus illis inuestigationis partibus, uidelicet quid Praetor de satisdandi illa controuersia *decernere* cum *potuerit* tum *debuerit*, tempus est, ut ad supradicta orationis pro Quinctio loca reuertamur, ubi, quid Praetor *decreuerit*, enarratur.

Integram ex Codicibus hanc supra exhibui lectionem:

c. 8. — «iubet P. Quinctium sponsionem facere: «*Si bona sua ex Edicto P. Burrieni Praetoris* «*dies XXX. possessa non essent.*»

c. 27. — «Sponsio quae in uerba facta est? *Si ex Edi-* «*cto Praetoris bona P. Quinctii possessa non sint.*"

Quae age transfer ex obliquo, quo pronunciantur,

34) Conf. pro Tullio c. 38. «quid attinuit, te tam multis «uerbis a Praetore postulare, ut «adderet in iudicium INIURIA, et «quia non impetrasses, tribunos «plebis appellare, et *hic in iudicio* «*queri Praetoris iniquitatem*, quod «de iniuria non addiderit?»

in directum sermonem, quae tandem in uerba sponsio fuit concepta? Loca in c. 8. et 27. pro Quinctio.

Sic existimo:

Quinctius:

Si bona mea ex Edicto P. Burrieni Praetoris dies xxx. possessa non sunt, HS ... (*tu Naeui*) dare spondes?

Naeuius:

Spondeo.

Haec autem sponsionis conceptio quum ad litteram conueniat illi, quam recta iuris ratione fieri necessario debuisse, ostendimus, factam esse Ciceronem etiam conqueri, adeoque uel iterato quodam testimonio confirmare intelleximus; quae tandem caussa dici poterit, quin Codicum auctoritati pareamus, textumque inde deriuatum pro unice uero atque genuino in Editionibus nostris religiose conseruemus?

Quando igitur a plerisque Editoribus, certe a recentioribus omnibus, diuersam plane lectionem receptam esse inuenimus, nimirum talem, qua, uariis quidem uerborum figuris, ui et effectu tamen semper *negatiua*, quam Codices exhibent, *sponsionis condicio* in *affirmatiuam* conuertitur, neque id critica quadam ratione, sed propter sensus, quam alii aliam sibi effinxerunt, necessitatem fieri intelligimus: spero fore, ut, quae adhuc disputauimus, pro idonea refutatione habeantur; neque puto amplius a me quicquam praestari oportere, nisi ut quam breuissime primo quae de Codicibus traduntur, deinde uarias tam Editorum quam Commentatorum opiniones recenseam, postremo errorum primarias, quae fuere, caussas demonstrem.

Loca in c. 8. et 27. pro Quinctio.

De Codicum habitu praecipua Editorum testimonia haec sunt:

Gruterus ad c. 8.:

«*si bona sua ex Edicto possessa essent.* — Ita «solum Codex Gruteri. S. enim Victoris, item Pa-«latini septem: *possessa non essent.*»

Idem ad c. 27.

«*si . . . possessa non sint.* — Ita ad unum Edd. «omnes et Mss. nostri et quos excussit Hotomanus, «qui tamen magis probabat NI . . . *non sint*, quod «deinde receptum fuit ab Editoribus neotericis.»

Ernestus ad c. 8.

«Edd. pr. R. W. B. 1480. A. «*possessa non essent.* «Primus NON deleuit P. Victorius, quem P. Manu-«tius aliique secuti sunt.»

Idem ad c. 27.

«*Si ex Edicto*) Hotomanus edidit NI, . . . quod et «Edd. quaedam habent. Sed Edd. uett. ualde ua-«riant, ut in talibus saepe alias.»

Garatonius ad c. 8.

«Omnes quos noui, excepto Gruteriano, Codices «et Ven. Editio illud NON retinent, quod hic sine «NI stare non potest, cui quidem uoci infestos «scimus esse librarios. Lectionem NI diserte con-«firmant Parisienses Codd. a Lallemando collati «et Iannoctianus noster. In quibus autem legitur «SI . . . NON, et satius est et facilius NI facere «quam NON expungere, quandoquidem utrumque re-«tineri non potest . . . Denique ea lectio SI . . .

«*possessa essent*, quantum scio, uno Gruteriano «Codice et Naugerii Editione defenditur.» Loca in c. 8. et 27. pro Quinctio.

Idem ad c. 27. fatetur, de nullo Codice sibi compertum esse, in quo *Ni . . . possessa sint* legatur, immo in omnibus NON summa constantia retineri.

«Unde, inquit, NI . . . NON malebat *Hotomanus*, «ne in formulam peccaretur. Deinde Editores, qui in «c. 8. idem tentanti *Lambino* restiterant, hic NI . . . NON «contra Mss. recepere. *Lallemandus* et *Iannoctius*, «cum iam sic edi uiderent, nihil adnotarunt: ex quo «tamen coniici posset, idem in suis Codicibus eos «reperisse.»

Beckius ad c. 8.

si . . . non essent in plerisque Codicibus, etiam in Oxoniensibus legi testatur, tantummodo Codices Parisienses et Iannoctianum diserte habere NI affirmat.

Idem ad c. 27. adnotat:

«NI recepi (seruato *non*), quod et in Codd. Iannoct. «Lallem. et quatuor Oxon. fuisse uidetur.»

Quae tamen uereor, ne ex supradicta *Garatonii* suspicione tota sint confecta.

Iam de illa lectionis uarietate in hasce sententias Viri docti discesserunt:

I. SI . . . POSSESSA ESSENT (in c. 8.)

Haec emendatio, quae dicitur, longe plurima suffragia tulit.

Recepta ac defensa est ab *Hotomano* et *Ursino*, qui uterque *sponsionem facere* pro *spondere*, *promit-*

Loca in c. 8. et 27 pro Quinctio.

tere intelligit[35]), iterumque errat, dum mutuam opinatur sponsionem fuisse; ad quorum rationem, *Hotomani* praecipue, statim reuersuri sumus.

35) *Huschkius* ad c. 30. pro Tullio (in *Imm. G. Huschkii* Analectis litterariis, p. 146.) principii loco posuit: *Sponsio perpetuo solius actoris est* (h. e. stipulatoris); quod tametsi ad extrema ibidem perducitur, quae nimia mihi uidentur, tamen plurimum ueri meo quoque indicio habet. Nimirum sicut *actionem* uel *iudicium habere cum aliquo* et similia *actoris* potius sunt quam *eius quicum agitur*, atque ita esse etiam sermonis usu declaratur, sic *sponsionem cum aliquo facere* seu *habere* magis proprie *stipulator* dicitur quam *qui stipulanti promittit*. Verumtamen hoc loco satis erit, contra Doctores supra laudatos euicisse, *exemplo fieri*, ut qui stipuletur *sponsionem facere* dicatur, quod dummodo apparuerit, nihil attinebit, diuersi sermonis, quo etiam ei, qui stipulanti spondet seu promittit, eadem illa uerba adplicantur, exempla celare.

Ergo *sponsionem facere* dicitur *stipulator* bisce locis: ad Fam. VII, 21. «... tibi uideri *sponsionem* «*illam nos sine periculo facere* «posse, *Si bonorum Turpiliae pos*«*sessionem* et rel. Conf. *Huschkium* de caussa Siliana p. 4. 13. — Item in Verrem III, 57. seqq. «P. Rubrius Q. Apronium «sponsione lacessiuit, Ni Apro«nius dictitaret, te sibi in decu«mis esse socium ...; *cum eo*«*dem Apronio* postea *P. Scandi*«*lius* eandem *sponsionem fecit*:... «facta est sponsio HS. $\overline{V}$.; coepit «*Scandilius recuperatores aut iu*«*dicem postulare* ... Sponsio est: «*Ni te Apronius in decumis so*«*cium esse dicat*; ... *abs te iu*«*dicium postulatur*. ... Recupe«ratores dicis te daturum.... «Instat *Scandilius poscere recu*«*peratores* ... (Verres) dicit se «de cohorte sua daturum.... «*Scandilius postulare de conuentu* «*recuperatores*, ... negat sese «apud Artemidorum recuperato«rem uerbum esse facturum;... «*postulat abs te*, *ut Romam rem* «*reiicias* ... Negas te Romam «reiecturum, negas de conuentu «recuperatores daturum; cohor«tem tuam proponis. *Scandilius* «*rem se totam relicturum dicit* «*et suo tempore esse rediturum*.... «quid facis? *Scandilium cogis* — «quid? *sponsionem acceptam fa*«*cere?* impudenter tollis exspe«ctatum existimationis tuae iudi«cium? non facis. ... Quid ergo? «*cogit* ... *Scandilium quinque illa* «*milia nummum dare atque ad*«*numerare Apronio*.» Hoc est, opinor, *restipulationis summam Scandilium condemnat*. — Quem

Accesserunt praeter *Manutium*, qui quid sentiat uix intelligi potest, *Sigonius*, *Gruterus*, *Freigius*, *Graeuius*, *I. Gronouius*, *Facciolatus*, *Ferratius*, Locus in c. 8. et 87. pro Quinctio

locum paullo copiosius excerpsi, ne obliqua in narranda sponsione oratio quemquam falleret, neue dubitationem moneret, quin *actoris* personam *Scandilius* sustinuisset.

de Officiis III, 19. «Fimbriam iudicem Lutatio fuisse, «quum *is sponsionem fecisset*, *Ni «uir bonus esset*.» Conf. *Val. Max. VII*, 2, 4. «L. Fimbria, *a M. «Lutatio Pythia iudex aditus* de «sponsione, quam *is cum aduersario*, quod uir bonus esset, *fecerat*.»

Aliquanto incertiora, nec tamen contemnenda exempla sunt haec:

Val. Max. VI, 1, 10. «C. Pescennius, triumuir capitalis, Cor«nelium . . . quod cum ingenuo «adolescentulo stupri commer«cium habuisset, publicis uincu«lis onerauit. A quo appellati «tribuni, cum de stupro nihil «negaret, sed *sponsionem se fa«cere* paratum diceret, quod ad«olescens ille palam atque aperte «corpore quaestum factitasset, «intercessionem suam interpone«re noluerunt. Itaque Cornelius «in carcere mori coactus est.» Nimirum, si non omnis ratio me fallit, ille Cornelius *probandi munus in se recepturus* erat, eaque mente *sponsione rogaturus*.

Val. Max. VI, 5, 4. «Quum «tribunus plebis L. Cotta fiducia «sacrosanctae potestatis credi«toribus suis nollet satisfacere, «decreuit collegium tribunorum: «Si neque solueret pecuniam, ne«que daret *cum quo sponsio fieret*, «appellantibus se creditoribus «auxilio futurum.» In hac specie eadem illa ratio facit, ut *creditoribus* stipulandum agendumque fuerit.

Gell. XIV, 2. «Nunc si *spon«sionem* fecisset *Gellius cum Turio*, «*Ni uir melior esset Gellius quam «Turius*, nemo, opinor, tam in«sanus esset, qui iudicarat, me«liorem esse Gellium quam Tu«rium.» Hic uero admonendi sumus, in principali quoque caussa *Gellium actorem*, *Turium reum* fuisse.

Certissimis exemplis accedit *pro Caecina c.* 16. «uenus est . . . «quum ad uim faciundam ueni«retur, si quos armatos quam«uis procul conspexissent, ut «statim testificati discederent, op«time *sponsionem facere* possent, «*Ni aduersus Edictum Praetoris «uis facta esset*. Itane uero? «scire, esse armatos, satis est, «*ut uim factam probes*; in manus «eorum incidere non est satis?» rel.

Contra uero qui sponsione ro-

Loca in c. 8. et c. 27 pro Quinctio. quorum singulorum errores recitare longum et inutile esset[36]).

Hotomani uero sententiam, communem quodammodo omnium fontem, iuuat per indicem subiicere.

Nimirum statuit, in priuatis controuersiis, ne, qui calumniarentur, impune discederent, moris fuisse, ut,

ganti spondet ac promittit, dicitur sponsionem facere:

pro *Caecina* c. 28. «*Aebutius* ... necesse est *male fecerit sponsionem*.»

in Verrem V, 54. «cogere Seruilium coepit, H-S duobus milibus «*sponsionem facere cum lictore suo*, «*Ni furtis quaestum faceret* ... Seruilius et recusare et deprecari, «ne iniquis iudicibus, nullo aduersario, iudicium capitis in se constitueretur .... Concidit; illi «latera tundebant, ut aliquando «*spondere se diceret*.»

Quid multa? adeo constat, anceps et utriusque personae commune esse illud *sponsionem facere*, ut in una oratione, quinetiam in uno capite uarietur, denique uel una enunciatione duplex ilis significatio aliquando comprehendatur.

Sic eandem sponsionem in c. 8. et 9. pro Quinctio facere dicitur *Quinctius*, qui *rogat*, in c. 14. *Naeuius*, qui *spondet ac promittit*; — sic in Verrem I, 45. «Si quis testamento se heredem «esse arbitraretur, quod tum non «extaret, *lege ageret* in hereditatem, aut pro praede litis uindiciarum quum satis accepisset, «*sponsionem faceret*, ita de hereditate certaret.»

Mox *ibidem*, paucis interiectis: «Ex Edicto urbano: Si de hereditate ambigitur, *si possessor «sponsionem non faciet*» *rel.*

Quo cumulus accedat, redeas ad c. 20. Legis Galliae Cisalpinae, ubi *sponsionem facere* atque *sponsione se defendere* dicitur, qui, prout Praetor iusserit, aut *sponsione rogat* aut *roganti promittit*. Qua de re supra p. 17., uerbis legis exhibitis, disputauimus.

36) *Sigonius* de iudiciis Lib. I. c. 21. med. «Naeuius prouocauit Quinctium sponsione stipulans: SPONDESNE SACRAMENTUM, «SI BONA TUA ... POSSESSA SINT? «Cui Quinctius ex auctoritate «Praetoris: SPONDEO, SI BONA «MEA ... POSSESSA SUNT. Inde «restipulans: ET TU SPONDESNE «IDEM, NISI BONA MEA POSSESSA «SUNT? Cui Naeuius: SPONDEO «NI BONA TUA POSSESSA SUNT.»

Confer *I. Facciolati* Exercitationes in M. T. Ciceronis Orationes II., pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Amerino, Patauii 1723. 8. p. 18.

M. Ant. Ferratii Epistolae, Venetiis 1738. 4. Lib. I. Ep. 2. p. 5.

qui litem intenderet, aduersarium sponsione certae pecuniae lacesseret, ni ueram caussam haberet, *contraque*, inquit, *is*, *qui sponsione prouocabatur*, *aut fateri cogebatur*, *aut*, *si infitiaretur*, *restipulari.*

Loca in c. 8 et c. 27. pro Quinctio.

Deinde pergit dicere, eum, qui sponsione lacesseret, prius *spondere* quam *stipulari* debuisse, cum spopondisset, tum stipulari solitum; — «*aduersarium uero* «*etiam ab illo restipulari*, *ut ille iterum sponderet*, «*et eius sponsio rite facta conceptaque uideretur.*»

Denique eum, qui prouocauit (quem in hac caussa Quinctium fuisse [37]), in iudicio ex uariis illis sponsionibus reddito actoris partes tenuisse.

Eandem lectionem *Ernestus* tuetur, similibus, opinor, circa sponsionum naturam erroribus captus [38]).

Superuenit exinde *Rostius* [39]), quem, licet mense Aprili A. CIↃIↃCCCXX. libellum suum ediderit, tamen *Gaio* nondum usum esse apparet.

Is a duobus illis, quos initio demonstraui, erroribus profectus, principii loco posuit:

«*Qui spondet* Si quid sit, *is dubitat et negat ita* «*esse*, *qui contra spondet* Ni quid sit, *is confidit et* «*affirmat*. *Unde efficitur*, *ut uox* Si *negantis*, Ni «*autem affirmantis sponsionem ordiatur.*»

Quorum anterius, quod caussae loco ponitur, haud absurdum quidem est, at effectus, qui dicitur, peruer-

37) Atquin mehercule eius est *sponsione prouocare*, qui sponsionem facere *uult* non qui *recusat*.

38) Conferatur eius nota ad c. 27. et *Clauis* s. u. *Sponsio*.

39) *F. G. E. Rostius* de usu uocularum Si et Ni in sponsionibus, ad *Plauti* Rud. V, 3, 19 — 27. Lipsiae 1820. 4. pag. 6. seqq.

Loca in c. 8 et c. 27. pro Quinctio.

sissimus, propterea quod *sponsio* genere suo *stipulatio* est, omnis autem stipulatio ex stipulantis persona, non ex promittentis spondentisue concipitur.

Nec meliora sunt, quae complendae illius doctrinae caussa idem V. D. addidit:

Namque eum putat semper dici prouocare ad sponsionem, qui prior stipuletur, priorem autem stipulari eum, qui affirmet, affirmare denique eum, qui prior aliquid statuat, quod argumentis et testibus probari ac transigi nequeat, quamobrem quo aduersarii lingua compescatur, affirmanti ad sponsionem sit prouocandum[40]. Quod qui faciat, semper pro affirmante esse habendum, neque quidquam interesse, utrum aliquid *esse* an *non esse* affirmet, modo sententiam suam ab altero impugnatam sic uelit tueri, ut eum iubeat spondere.

In summa, *Stipulatio*, inquit, *et sponsio ipsa fiebat cum particula* Si, *restipulatio et responsio cum opposita* Ni; *Praetor denique iudicem dabat cum particula* Si.

Huic, ait, rationi, ubicumque res occurrat, alterutram particulam uel Si uel Ni tam necessariam et propriam esse,

« *ut, ubi eam legem migratam uideamus, ibi audacter aut librarios mendi accusare aut ipsos scriptores negligentiae insimulare aut adeo nos erroris arguere debeamus.* »

40) Immo quo maior copia documentorum, testium, argumentorum, eo magis sponsione opus erit atque iudice, qui controuersiae operam det ac Praetorem ea cura subleuet. Vide supra p. 6. 16.

Iam eiusmodi principiis, tali proposito, quid mirum, Quinctianae hunc, quem dicit nobilissimum, locum uel primum ita pessumdari, ut statuatur, «*interpretum* «*errore, qui stipulationis formulam crasse et ob-* «*scure intelligerent, factum esse, ut inueteratum* «*uitium uerborum non solum non emendaretur, sed* «*nouis naeuis interpolaretur; ... manifestum enim* «*esse, quicquid contradicant doctissimi caeteroquin* «*interpretes, ueram lectionem solam esse hanc* SI «BONA ... POSSESSA ESSENT. *Negantis enim*, inquit, «*illa sponsio est. Quare in c.* 27. *a quibusdam libris* «*recte abest particula* NON. *in repetita sponsionis* «*formula.*» Quod nescio ubi legerit. Loca in c. 8. et c. 27. pro Quinctio.

Hac uero *Rostii* doctrina *Beierus* adeo decipi se passus est[41]), ut etiam A. CIↃIↃCCCXXI. (satis tamen diuulgatis *Gaii* Institutionibus) cum emendationem illam tum caetera omnia probaret, multa etiam in adnotationes suas transferret, illumque libellum sic laudibus extolleret. «*Hae omnes obseruationes exquisitissimae debentur* «*singulari eruditioni F. G. E. Rostii, collegae* «*nostri, e cuius elegantissimo programmate exteris* «*gratificaturi haec delibauimus. Quam confuse* «*hanc rem tractarunt alii!*»

Noui nihil memini, me apud Beierum inuenire, cui *Orellius* noster neque credere debuit, neque lectionis scite uindicatae laudem tribuere.

Caeterum prauam illam lectionem, a *Lemairio* quoque receptam, *Osiander*, Germanicus interpres, secutus

41) ad III. de Officiis 19.

Loca in c. 8. et c. 27. pro Quinctio.

est, eo insignis, quod inueterati erroris ipsi Gaio, grauissimo testi nostro, testimonium denunciauit.

II. Ni . . . possessa non essent.

Hanc lectionem cum receperunt tum defenderunt *Lambinus*, *Muretus*[42]), *Garatonius* (fluctuans tamen inter eam et superiorem[43])), *Beckius*, *Schützius*, *F. C. Wolffius*, *Klotzius*[44]), *Reinius*[45]).

Lambini defensio haec est:

Primum sic concipi soiere sponsiones per Ni, deinde concipi ex parte eius, qui sponsione lacessierit. « *At* « *hic*, inquit, *Quinctius iniquitate Praetoris Naeuium* « *sponsione lacessere coactus erat*[46]), *hoc modo:* « Ni mea bona ex Edicto Praetoris possessa non « sunt, centum dare spondes Naeui?

Deinde quinque affert exempla[47]), quibus nescio quid planum fiat, nisi aliquando uocem Ni occurrere aut in sponsionibus aut in sponsionum narrationibus.

Qua omni argumentatione nihil sane potest esse absurdius. Quis enim, quaeso, sic sponsionem faciet, ut necesse habeat, quando inde egerit, aut ipse illud

42) Var. Lect. XVI, 19.

43) Inuersa *Facciolati* dubitatio, qui superiorem recipiens lectionem uereinr, ne altera haec potior sit, quia per negationem sponsiones concipi solitae sint.

44) Is V. D. parum sibi constat, cum, nescio qua ratione, in textu edidit *Ni . . . possessa non essent*, in argumento uero praemisso retulit *Si . . . possessa essent*.

45) d. Röm. Priv. R. p. 488.

46) Conf. supra p. 33. not. 37. Illud addo; Potest quidem Praetor cogere aliquem aut iubere, ut *sponsionem faciat* siue rogando sine promittendo, sed ut *iubeat sponsionem facere*, adeoque ut *prouocet* atque *lacessat* aduersarium sponsione; id uero neque iuberi neque cogi quisquam sane potest.

47) Sunt loca supra p. 7. not. 5. a nobis allegata: de Officiis III, 19. in Verrem III, 59. in Pisonem c. 23. pro Caecina c. 16. Val. Max. VI. 1, 10.

factum *probare*, quod *negauisset*, aut eniti et elaborare, ut de sponsione *contra se* iudicetur? Loca in c. 8 et c. 27. pro Quinctio.

Garatonius autem de illa lectionis uarietate sic disputat, ut, si criticis rationibus agatur, hanc statuat sinceram esse lectionem; sensum uero aut hanc aut superiorem postulare, caeteras excludere; *Lambinum*, dum stipulationum uerba conquirat, ea *Quinctio* attribuere quae Naeuii sint. Verumtamen pugnam illam uerborum Ni non uehementer offendere, cum planius Si dici potuerit, denique eiusmodi exempla penitus ignorari. « *Ubi*, inquit, *Tullius sponsiones factas narrat*, Ni *uideo semper adesse*[48]), *sic Cato apud Gellium XIV* 2.[49]), *sic Liuius III*, 57. 24.[50]) « *Verum hae omnes affirmantium sponsiones sunt*, « *qui non aliter spondere certam pecuniam debent* « *quam* Ni ita sit. *Recte itaque VV. DD. similibus* « *locis ex formula ueteri hoc qua illustrare qua restituere non destiterunt. Sed eademne formula in* « *sponsiones negantium est inuehenda? Unicum hic* « *exemplum huiusmodi rei ne statuamus, mehercule* « *vereor.*" Deinde conferri iubet *Gellium* VII, 11.[51]),

48) Vide tamen ad Fam. VII, 21., cuius loci uerba supra exhibui p. 30. not. 35., de lectione autem, hic quoque tentata, ad *Huschkium* me retuli. Caeteroquin conf. *Gaium* IV, 93. 91. cum I. in Verrem 45., quorum locorum uerba habes supra p. 11. et 32. not. 35.

49) Uerba uide supra p. 31. not. 35.

50) c. 57. « *se . . . iudicem illi* « *ferre, ni uindicias ab libertate in* « *seruitutem dederit.*» c. 24 «adfirmantibus . . . , secum «eum (Kaesonem) tum frequentem « ad signa fuisse. *Ni ita esset, multi* « *priuatim ferebant Volscio iudi-* « *cem.*"

51) « tu in uno scorto maio« rem pecuniam absumsisti quam « quanti omne instrumentum «fundi Sabini in censum dedi« cauisti. Ni (al. *Si*) *hoc ita est*, « *qui spondet mille nummûm?*" et rel.

Loca in c. 8. et c. 27. pro Quinctio.

ubi tamen St an Nt sit legendum, quaeratur. In altero denique *Gellii* loco, V, 4.[52]) recte Sr esse, utpote in negantis sponsione, modo incertum auctorem esse Gellium.

Ne plura, iidem fere ubique errores. Illud unum addo, tam Garatonium quam caeteros male semper permiscere, quae ueris sponsionum formulis insunt, cum iis, quae nonnisi in narrationibus rerum circa singulas sponsiones dictarum factarumque continentur, ac propterea obliquo sermone et a sponsionum formulis diuerso nobis tradi solent. Quod errorum genus cum omnibus illis uocabulorum aucupiis uerissime *Huschkius* exagitauit[53]).

52) «Contra librarius in quod-«uis pignus uocabat, *si in una us-«piam littera delictum esset.*" Al. *ni . . . nuspiam.*

53) *De caussa Siliana*, in Studien d. R. R. p. 12. Conf. *Zimmern* l. c. T. III. p. 171. *Rein* l. c. p. 452. —

De illa sermonis uarietate *Huschkius* l. c. sic iudicauit:

«*Sponsionis sententia in con-«trarium mutata sponsiones re-«feruntur his locis: Cic. de Off. «III,* 19. *in Verrem V*, 54. *III*, «57. 59., *pro Caecina c.* 16. *in «Pisonem c.* 23. *Val. Max. II*, «8, 2. *Gell. XIV*, 2. *Gai. IV*, «165. (de quo loco, parum cer-«to, conf. ibid. p. 332.) *Ipsa «sponsionis uerba neque in con-«trarium mutata referuntur his «locis: Cic. pro Quinctio c.* 8. «27. (ad Fam. VII, 21.), *Gell. «VII*, 11. *Petron. Satyr.* 70., «*quae tamen loca ferme a uiris «doctis contra Codicum fidem «tentata sunt. Diuersitatis autem «ratio in hoc est: Cum contra-«rium ponitur, ea est dicentis «sententia, Titium, nisi res ita «se haberet, etiam ad sponsio-«nis periculum subeundum para-«tum se ostendisse: mentem igi-«tur ad periculum poenamque, «quam alter, ni suum assertum «uerum esset, in se recipiebat, «aduertit, non ad ipsa stipula-«tionis, quam elocutus erat, «uerba. Ubi uero dicentis animo «magis ipsa uerborum conceptio «quam sponsionis periculum ob-«uersatur, genuina etiam spon-«sionis uerba referet. Prior ra-«tio natura sua, quoniam sem-«per eius, qui sponsionem fecit, «cogitationem refert, perpetuo «coniunctiuum modum efflagitat* (confer tamen Plautum in Cas.

III. Ni . . . POSSESSA ESSENT.

Loca in c 9. et c 27 pro Quinctio

Sic legi iussit *Brissonius*, parum quidem idonea ratione, scilicet quia sponsiones, quibus se inuicem,

Prol. 75., Epid. V, 2, 35. 34. Pers. II, 2, 4.), *posterior et « coniunctiuum et indicatiuum ad- « mittit, ut tamen hic aptius po- « natur.»*

Non repugnabo; id nuum me turbat, quod in affirmatiuis sponsionibus obliquo sermone referendis *non uariatur* Si et Ni, immo perpetuo *negativa* particula Ni adhibetur. Cuius nodi equidem nidero simplicissimam solutionem, dummodo liceret particulam *ni* pro *nonne, an non*, in obliqua oratione positis *(Ob nicht)*, intelligere. Vetus enim est atque omnium ferme linguarum usu receptum, quae *affirmandi* animo obliqua oratione interrogentur, negatiue concipi, et contra. At enim uoculae *Ni* eiusmodi significatio in Lexicis nusquam occurrit. Ergo hoc de latinitate iudicium peritioribus relinquo. Haec tamen mecum reputavi, primum *Si* haud dubie pro *An* usurpari, itaque ipsam Latinae linguae indolem uix obstare, quin *Ni* possit *An non* significare: alterum, ultro posse concedi, ad priscum sermonem illum uocis *Ni* usum, siquidem obtinuerit, pertinere; nam in sponsionum similiumque rerum iure et consuetudine tam Ciceronis aetate quam postea multas prisci sermonis reliquias extitisse, nemo sane negabit. Denique unum saltem locum inueni (neque lectione neque sensu dubium, quamuis uarie a VV. DD, agitatum), ubi in communi sermone uocula *Ni* ita ualere uidetur; dico *Plauti Trucul. IV*, 2, 23.

Astaphium: « Litteras didicisti:
« quando scis, siue alios di-
« scere.»

Dinorch: « Discant, *dum mihi*
« *argumentari liceat, ni oblitus*
« *siem*
« Quod dedi. — *As.* interea
« magister dum tu commen-
« tabere
« Volt interim illa itidem com-
« mentari. — *Di.* quid? —
« *As.* rem accipere identi-
« dem», rel.

Confer praeter Editores etiam *F. G. E. Rostii* opuscula Plautina, Vol. II. p. 338. « Doch « möcht' ich erforschen, ob ich « etwa ausgeschwitzt, Was ich « lernt'.» — Sed iam satis de Latinitate, de qua, sicut antea dixi, non meum est indicare. De re autem ac sententia in me recipio, fore, ut, quae secundum *Huschkium* attnli exempla, omnia inueniantur tentatae illi rationi consentanea esse. Quibus insuper adiiciam tam ad

Loca in c. 8. et c. 27. pro Quinctio.

qui contenderent, prouocare consuessent, particula hac Ni conceptae fuissent[54]).

Quae *Brissonii* lectio, tametsi propter sensus ueritatem prioribus illis longe praestat, acerbe tamen a *Garatonio*, satis placido alias et humano auctore, reprehenditur. « *Brissonius*, inquit, *formulae locum* « *aptare studens, non sensit ab se peruerti sen-* « *tentiam. Turpiter autem secutus eum est Oli-* « *uetus, quem ab Hotomano et Ursino discere* « *oportebat, Quinctium sic facere sponsionem non* « *potuisse.*»

Caeterum quum *Oliuetus* hanc Brissonii lectionem a se receptam adnotatione sua sic defendisset, ut cum *sacramento sponsionem*, cum *poenali* sponsione *praeiudicialem*, cum omnibus omnia permisceret, nuper Heffterus[55]) nouus extitit defensor, qui propositae

spousioues quam ad similes res pertiueutia haec: *Liu. III*. 24. 57. 56. *Plaut. Rud. III*, 4, 7. *seqq. V*, 3, 24. *seqq. Poenul. V*, 4, 72. *Casin. in Prol.* 75. *Epid. V*, 2, 34. *seqq. Pers. II*, 2, 4. — *Gell. V*, 4. *Val. Max. IV*, 3, 3. *ext.* (id uero ad qualemcuuque ratiouem iucertius). Neque te praetereat, aliquaudo iuterrogatiuae particulae *Ni* eodem sensu uicem gerere conjunctiuam *quod*, ueluti *Val. Max.* VII, 2, 4. (conf. d. l. do Off. III, 19.) VI, 1, 10.

Caeterum obiter tantum (nam ad summam illam rationem baud pertinet) quaero, num forte iu d. *Gellii* loco (VII, 11., siquidem legatur *Ni*) *spondere* pro *stipulari*, apud *Valerium* uero d. l. (II, 8, 2.) *restipulari* pro *spondere* siue *promittere* usurpetur.

54) *de Formulis* Lib. V. cap. 7. p. 352.

55) *Gaii Institutionum Commentarius quartus*, *ed. Aug. Guil. Heffter*, *Berolini* 1827. 4. c. 17. p. 88. seq. — Illa tantum, quae *de sponsione pro praede litis uindiciarum*, qua Quinctius boua sua repetere potuisset, V. D. prodidit, minus probabilia mihi uidentur.

sponsionis ius tam bene perspexit, ut ueram lectionem, si critica quoque ratione usus esset, ipse restituisset, caeteri, si eum audiuissent, nunquam relinquere potuissent. Loca in c. 8 et c. 27. pro Quinctio.

IV. Si . . . possessa non essent.

Hanc lectionem, et Codicum auctoritate et iuris ratione unice ueram, olim *Menardus* agnouit[56]), cuius tamen sententia, et ueritate et simplicitate insignis, adeo caeterorum erroribus obruebatur, ut non modo laude, uerum ne refutatione quidem digna putaretur.

Deinde nostra aetate *C. F. Freiesleben*[57]), cum de Quinctiana hac sponsione fabulam componeret, ueram hanc lectionem, opinor, quo aliquid tamen ueri superesset, in formula conseruauit, quam de reliquo sic effinxit:

« Prouoco te cxxv. aeris sacramento, si ex Edi-
« cto Praetoris bona mea possessa non sint. »
« Similiter ego te si possessa sint. »

56) Videsis *Menardi* Argumentum huius Orationis, apud Garatonium p. 323. « Negante « Quinctio, bona ex Edicto esse « possessa, iubet Praetor sponsionem Quinctium facere, *Si* « *bona sua ex Edicto Burrieni* « *Praetoris* [*Romae*] *dies XXX.* « *possessa non sunt*. Quid est « ergo in controuersia? Dico peti « in hac oratione certam pecuniam ex sponsu, quam intendat P. Quinctius deberi sibi a « S. Naeuio, quasi commissa « stipulatione. » — Et inferius ait: « Forma sponsionis, secundum quam stipulari Quinctium « oportuit, fuit ferme talis: *Si* « *bona mea ex Edicto P. Burrieni* « *Praetoris XXX. dies possessa* « *non sunt, S. Naevi, promittis*, « puta, *mille nummos? Stipula-* « *tus est P. Quinctius, promisit* « *Naeuius.* »

Ecce quae ad rei caput pertinent, uera omnia praeter *summam pecuniae*, ad *poenalis* potius sponsionis quam *praeiudiciatis* modum efficta.

57) *de Sponsionibus earumque praesertim in iure Saxonico obligatione, Lipsiae* 1822. 4. p. 7.

Loca in c. 8. et c. 27. pro Quinctio.

Paullo postea *Rauius* Codices cum ratione iuris ita conciliauit, ut quo errore expulso ad lectionem hanc nostram stabiliendam necessario opus esset, eum quidem expelleret, de caeteris quam plurimos retineret[58].

Denique *Huschkius*, quum de caussa Siliana dissereret, obiter quidem locum nostrum attigit, ueramque lectionem auctoritate magis sua quam peculiari argumentatione firmauit: attamen sponsionum uniuersam naturam, qua est peritia et subtilitate, adeo perspexisse mihi uidetur, ut, dummodo ad Quinctianam caussam propius accedere uoluisset, scribendi mihi occasionem uix relicturus fuisset.

Atque haec est Editorum ac Commentatorum de illa sponsione disputatio, ad d. caput 8. huius orationis plerumque directa, atque inde ad caput 27., ubi eiusdem sponsionis mentio recurrit, translata.

Quam uero inferioris huius formulae quidam, inani artificio, sibi effinxerunt diuersitatem[59], ea peruersae

58) l. l. p. 21. — «Ea nimi«rum, inquit, erat formula (*si* «. . . *non essent)*, quam Praetor «Quinctium intendere uolebat, «cum Naeuium primus spon«sione obligaret. Non aliter «igitur legenda uidetur in c. 8. «et 27.; utroque enim loco di«citur ex persona Praetoris, qui «formulam ita nuncupabat, uti «erat usurpanda ab eo, quem «primum sponsionem facere iu«bebat, plane ut qui aduersa«rium ad sponsionem prouoca«bat, eam formulam addebat, «qua eum contendere secum «uolebat. Quod si Naeuius pri«mus sponsionem fecisset, ei«dem etiam primo loco ex sponsu «agendum fuisset.» — Sensit igitur V. D., *sponsionem facere* dici hoc loco qui stipulatur, non qui stipulanti promittit; illud uero non intellexit, simplicem esse sponsionem nec mutuam, neque illud, *ad sponsionem prouocare* eius esse, qui *uelit* sponsionem fieri, non qui *recuset*.

59) Conf. *Facciolatum* et *Garatonium* ad c. 27. Quorum hic, «Ferri, inquit, uulgata lectio «(*si . . non sint)* hoc loco potest;

illi sponsionis, qua de agitur, rationi, in qua purganda et emendanda satis, opinor, elaborauimus, tam intime coniuncta est, ut noua inde disputandi materia nasci nulla possit. Loca in c. 8 et c. 27. pro Quinctio.

« neque enim *Quinctius*, ut su-
« pra c. 8., dicitur fecisse spon-
« sionem, sed *sponsio facta est.*
« Indefinitum hoc est, et *Naeuii*
« sponsionem possumus intelli-
« gere.»

§. 2.

Quo iure Naeuius, ut bona Quinctii possideret, a Praetore cum postulauerit tum impetrauerit.

Iliis satis cognitis, quae iudicii ordinandi caussa in iure apud Dolabellam Praetorem disceptata sunt et transacta, sequitur, ut quae in iudicium uenerunt, sponsionisque caussam et actionem continuerunt, ordine percenseamus.

Quippe sponsio, de qua agitur, ita concepta fuit, ut iudicium in ea re totum uersaretur, *bona Quinctii ex Edicto Burrieni Praetoris dies XXX. possessa essent necne.* In proposita uero specie quum praeter Naeuium nemo Quinctii bona neque possederit, neque, ut possideret, postulauerit[1]), perinde est, ac si nominatim quaeratur, *Naeuius* ita possederit necne[2]).

Iam imprimis ad hanc quaestionem pertinet cognoscere, *an Quinctius in ea caussa fuerit, ut bona eius possidere Naeuio ius esset.* Qua de re quum peculiare quoddam fuerit Edicti caput, ubi certis legibus finitisque caussis enumerarentur, quorum bona Praetor, ut possiderentur, et, cum res ferret, uenderentur, iussurus esset; primo loco uideamus, quo nomine Quinctius in illud Edictum commisisse ab aduersario insimuletur.

1 Conf. c. 23. 24. 29. 2) Vide supra p. 5.

Nimirum quae eius Edicti memoria nobis est tradita, hoc orationis Quinctianae loco potissimum continetur : Edictum Praetoria

c. 19. « . . . *Attende nunc, ex Edicto Praetoris* « *bona P. Quinctii possideri nullo modo potuisse.* « *Recita Edictum.* QUI FRAUDATIONIS CAUSSA LATI- « TARIT. *Non est is Quinctius: nisi si latitant,* « *qui ad negotium suum, relicto procuratore, pro-* « *ficiscuntur.* CUI HERES NON EXTABIT. *Ne is qui-* « *dem.* QUI EXSILII CAUSSA SOLUM UERTERIT. *Dici* « *id non potest.* QUI ABSENS IUDICIO DEFENSUS NON « FUERIT. *Ne id quidem. Quo tempore existimas* « *oportuisse, Naeui, absentem Quinctium defendi,* « *aut quomodo* » ? rel.

De textu postea accuratius erit dispiciendum; interea exhibui *Hotomani* lectionem, *uerbis* quidem incertiorem, *sensu* uero omnium prope iudicio comprobatam ac talem, quam fide mea tantisper recipere minime timeo.

Quatuor igitur habes clausulas, quarum in unamquamque qui inciderit, in ea caussa est, ut aditus a creditoribus Praetor iussurus sit, primum bona possideri, deinde caetera, quae eius iuris sunt, ex ordine peragi [3]. E quibus Naeuius quam praetenderit, cu-

3) Confer *Gaii* Comm. IV. §. 78. « *Bona autem ueneunt* « *aut uiuorum aut mortuorum:* « *uiuorum* ueluti eorum, *qui frau-* « *dationis caussa latitant, nec* « *absentes defenduntur*; item eo- « rum, qui ex lege Iulia bonis « cedunt; item iudicatorum post « tempus, quod eis partim lege « XII. Tabularum, partim Edicto « Praetoris ad expediendam pe- « cuniam tribuitur: *mortuorum*

iusue nomine Quinctium apud Praetorem arguerit, uidendum erit.

Qua de clausula agatur.

Atque primum inter omnes constat, duas saltem ex quatuor illis clausulis a caussa Quinctii prorsus alienas fuisse, neque alio consilio a Cicerone introduci, nisi quomagis integra ac continua eius capitis recitatio procedat. Eae scilicet sunt ordine altera ac tertia.

Quippe nemo Quinctium insimulabat *exsilii caussa solum uertisse*[4]), quinetiam multo minus in mentem Naeuio uenerat dicere, *mortem Quinctium obiisse neque heredem reliquisse.* Nam ad mortuorum bona

«bona ueneunt uelut *eorum*, «*quibus certum est neque heredes* «*neque bonorum possessores*, *ne*«*que ullum alium iustum succes*«*sorem existere.*»

4) Obiter admonendi sumus, hanc caussam apud *Gaium* non commemorari. Nec puto recte se habere, quod uulgo dicitur, eius utique bonorum possidendorum caussae apud *Papinianum* mentionem esse, in L. 13. Quib. ex cau. in po. e. «Ad cogni«tionem Imperatorum a prae«side prouinciae remissus, etsi «in caeteris litibus Romae de«fendere se non cogitur, tamen «in prouincia defendendus est. «*Nam et exsilio temporario puniti*, «*si defensor non existat*, *bona* «*ueneunt.*» — Quid ergo est? Non magis mihi uidetur hoc loco *exsilium* quam *Imperatorum cognitio* pro *iuris caussa*, *cur bona ueneant*, haberi; immo de *absentiae caussa* quaeritur, an duabus istis rebus *excusari* possit. Denique plane mihi est perspicuum, ueterem illam caussam (sicut uetus exsilii ius uniuersum) liberae reipublicae parum fuisse superstitem. Neque enim arbitror, exsulis a ueteribus illis Praetoribus spectari *absentiam*, sed *capitis deminutionem*, neque antiquo illo iure rem faciem duco fuisse *exsulem iudicio defendere*. Qua tamen de re non huius loci est latius disserere. Qui uoluerit uarios Doctorum errores cognoscere, adeat *Cuiacium* Obss. X, 31., *Rauium* l. c. p. 46., *Zimmernium* l. c. p. 241., *Bethmannum*, Handb. d. Civ. Proc. T. I. p. 281. §. 26., *Klotzium* ad h. c. 19., *Reinium* l. c. p. 497. —

possidenda hanc Edicti clausulam Cui heres non extabit, pertinere, adeo manifestum est[5]), ut tempus terere mihi uiderer, qui id ita esse monerem, nisi complures fuissent, qui perquam ridiculo errore putarent, *quia liberi Quinctio essent, idcirco huic Edicti clausulae locum non fuisse*[6]); quasi uero unquam fando auditum fuerit, *liberos patri uiuo heredes extare!* Qua de clausula agatur.

Quid multa? Quo remotiores a proposita specie mediae illae duae clausulae inueniuntur esse (et sunt sane remotissimae), eo magis perspicuum erit, eas a Tullio nonnisi inter caeteras et cum ostentatione quadam totius eius capitis excussi enumerari. Quod cui bono sit animaduertisse, mox apparebit.

Restant igitur e quatuor illis clausulis duae, prima scilicet et extrema, quarum utra aduersus Quinctium fuerit agitata, unice quaerendum esse putaueris. Age uero: utrum caussatus est Naeuius? *fraudationis caussa Quinctium latitasse?* an *absentem iudicio defensum non fuisse?*

5) *Gaii* III, 78. (uide supra not. 3.) Conf. ib. II, 167. — Nec mirum igitur, infra (c. 28.) in peroratione rerumque, quae dicitur, repetitione hanc caussam, tamquam remotissimam, penitus omitti. Qua de re Hotomanus ad d. locum uerissime adnotauit. Conf. etiam c. 27. extr. et c. 23., ubi simili sane ratione *latitantis* solum atque *absentis* caussae commemorantur.

6) Vide *Rauium* l. c. p. 47., ubi negat *dici posse*, *Quinctio heredem non extare*, *cuius liberi haud semel in hac oratione memorentur.* Unde primum intellexi, quid ualeat, quod apud quosdam memini me legere, *Quinctio heredem extare.* Conf. *Lambinum* ad h. c. 19. u°. *Neque quemquam attinebat;* quinetiam *Ferratii* Epist. IV, 4. p. 250. — Neque magis opportunum esse duco, quod *Hotomanus*, *Klotzius* aliique ad h. l. de *necessario herede* monuerunt, qui euitandae bonorum ueuditionis caussa institui posset.

Qua de clausula agatur.

Qua de re dum quae *Naeuius* quaeue *Hortensius patronus* orauit, aliquis nobis tradiderit, tutissimum erit diligenter attendere, utrum *Tullius* potissime *defenderit.*

At uero qui hoc consilio integra solutaque mente orationem pro Quinctio perlegerit, facili negotio reperiet, uix uno alteroue uerbo latitationis caussam attingi, nullam rem, quae in latitantem proprie cadat, neque negandi neque excusandi gratia proferri, denique omnem eius caussae commemorationem perinde fere atque superiorum duarum talem esse, qualem non ab eo exspectaueris, qui periculum inde sibi creatum depelleret, uerum multo magis ab eo, qui tutissimum se hac parte sentiret[7]).

Contra quartam illam caussam, Qui absens iudicio defensus non fuerit, quum primum mentio incidit, studiose adprehendit orator[8]), per plura deinde capita[9]) intentissima cura persequitur, totusque in eo est, ut ex illius clausulae laqueis Quinctium exsoluat ac liberet. Cui rei sicut iampridem in narratione caute et consulto prospexerat[10]), ita etiam in peroratione[11]), ubi caeterae caussae partim breuissime transeuntur, partim plane omittuntur, insignem quandam curam adhibuit, eaque usus est cum grauitate tum copia uerborum, quae primario illo totius defensionis iudiciique loco et capite digna esset.

Simplex haec ratio, ex orationis habitu atque ad-

7) Vide c. 19. 27. 29.
8) c. 19.
9) c. 19—22.
10) c. 6. 7.
11) c. 28.

spectu deprompta, satis apud me ualuit, ut pro exploprata re semper haberem, *quartam* illam, non *primam* Edicti clausulam fuisse, qua teneri Quinctius ab aduersario diceretur. Qua de clausula agatur.

Quae tamen sententia quum longe absit, ut omnium iudicio comprobetur, nunc ea uideamus, quae contra et disputari et statui solent.

Atque etiam dissentientium a nobis magna est inter ipsos dissensio.

Alii enim unam latitationis caussam putant agitatam esse, alii ne hanc quidem, quin omnino nullam ex quatuor illis, quas supradicto Edicti capite contineri cognouimus.

Quarum opinionum prior, olim ab *Hotomano*[12]), nuper etiam a *Raulo*[13]) defensa, uix longam requirit refutationem. Neque enim originem duxit ex orationis huius comtemplatione, uerum ex praua quadam iuris ciuilis doctrina, adeo hodie explosa atque a melioris notae scriptoribus[14]) repudiata, ut qui ante *Gaium* repertum eam excogitauerunt, excusatione, qui abhinc in ea perseuerauerunt, uix miseratione digni esse existimentur.

Nimirum error in eo fuit, quod ex aliquot Digesto-

12) Quem confer praecipue in *Argumento* ad orationem pro Quinctio atque in notis ad c. 27.

13) Videsis l. c. p. 42. seqq.

14) *F. C. G. Stieber* de bonorum emtione, Lipsiae 1827. 8. p. 29. — *Zimmern* l. c. p. 240., qui ibidem in nota 3. (perinde ac *Stieberus* p. 42.) etiam de specie proposita mecum consentit, scilicet tamquam *absentis* non tamquam *latitantis* bona Quinctii possessa fuisse. — *Bethmann-Hollweg* l. c. p. 280. seqq. — Noui autem errores irrepserunt in *W. Reinii* d. libro p. 497.

Qua de clausula agatur.

rum locis male intellectis[15]) temere concludebatur, *missionis* ac *possessionis* diuersum omnino genus, ius, ordinem exitumque fuisse, prout aut *latitatio* aut *absentia* postulandi caussa esset; uidelicet *absentis* bona creditoribus possidere iussis *custodire* tantum ac *seruare* licuisse, *latitantis* uero quasi *ciuiliter possidere* certoque ordine etiam *proscribere* atque *uendere* ius fuisse.

Unde quum oratio pro Quinctio frequentem contineret et proscribendorum et uendendorum bonorum mentionem[16]), satius uisum est, communi iuris rationi caussam Quinctii accommodare quam religiosa huius obseruatione rationem illam disturbare. Quo consilio facile eo peruentum est, ut spretis quae repugnarent omnibus, latitatio ingereretur, absentiae uero caussa acerrime expelleretur.

Magnum autem huic errori praesidium inde parabatur, quod cuius bona tamquam latitantis possiderentur, ei perinde atque absenti depelli potuisse constat possessionem, si quis intra statutum tempus iustam eius defensionem susciperet[17]). Quippe falsa illa doctrina impeditis, quum ubique disceptari uiderent, Quinctius absens defensus fuisset necne, unum exoptatumque apparebat in eo perfugium esse, ut ad *latita-*

15) Conferantur de omni hac materia L. 7. §. 1. L. 2. pr. l. 6. §. 1. Quib. ex cau. in po. e. Theophilus ad pr. I. De successionibus sublatis. L. 3. §. 23. De A. u. A. Po. L. 21. §§. 2. 3. L. 22. pr. L. 23. §. 4. Ex quib. cau. mai. L. 13. Quib. ex cau. in po. e. L. 7. §§. 16. 17. eod. L. 19. §. 1. De iudiciis. L. 1. De negotiis gestis.

16) Vide c. 6. 15. 16. 18—21. 23. 24. 29.

17) Confer praeter orationem pro Quinctio etiam L. 33. §. 1. De reb. auctor. iud. po. (uerba

tionis caussam illa referrentur; neque animaduerte- bant, quae tamen sunt manifestissima, primum semper Ciceronem *defensionis* illam quaestionem a *latitationis* caussa seiungere totamque *absentiae* adplicare; deinde uniuersam latitationis caussam in *praesentem* potissimum cadere[18]), adeoque uel ipso uerborum tenore, quo *absens* Quinctius defensus esse diceretur, *absentiam* bonorum possidendorum caussam demonstrari, *latitationem* uero quasi necessario excludi.

Qua de clausula agatur

Verumtamen de isto errore iam nimium etiam diu disputare mihi uideor. Hodie enim inter omnes constat, eodem iure fuisse et qui *latitantis* et qui *absentis* debitoris bona, ut possideret, aut postularet aut impetrasset, eandem uim possessionis, eadem tempora, eundem tam proscriptionis quam uenditionis exitum atque effectum, exceptis tantummodo quorundam absentium caussis, quorum, etiamsi non defenderentur, bona possideri solum atque custodiri liceret, uendi non liceret, ueluti pupillorum et qui reipublicae caussa sine dolo malo absunt, et qui ab hostibus capti sunt[19]).

habes supra p. 5. not. 4.) L. 2. §§. 1. 2. 4. Quib. ex cau. in po. e.

18) Zimmern l. l. p. 241. Conf. L. 7. §. 17. Quib. ex cau. in po. e. L. 18. L. 19. De in ius uocando. Gai. III, 78.

19) L. 6. §§. 1. 2. L. 5. §. 2. Quib. ex cau. in po. e. L. fi. §. 1. L. 33. pr. De reb. auctor. iud. po. — *Paulli* R. S. V. 5. b. Conf. *Tab. Heracl.* P. II. v. 41—43. apud *Dirksen*. p. 115. — Neque infitiabor, aliis quoque de caussis saepenumero Praetores leuius absentibus quam fraudationis caussa latitantibus ius dixisse, ueniamque uendendorum bonorum aut dilationem, aequitate suggerente, dedisse; quin etiam Edictum inferioris aetatis subtiliore quadam ratione uarias species distinxisse. — Conf. L. 7. §§. 16. 17. Quib. ex cau. in po. e. — *Zimmern* l. c. §. 77. p. 240. §. 85. p.

Qua de clausula agatur.

Quae denique caussae omnes, quam sint et a lite proposita alienissimae, et pro communi exceptionum natura ad confirmandam regulam aptissimae, palam est intelligere.

Mitto caetera. Nam etsi grauibus aliquot nodis implicatam esse uideo iuris illius, quod de absentium bonis possidendis uendendisque obtinuit, Edictorumque post Ciceronis aetatem de ea re compositorum historiam[20]), nobis tamen hoc loco satis est intellexisse, nihil inde impedimenti existere, quominus ad ipsius huius orationis tenorem sanamque interpretationem iudicium nostrum dirigamus, ac propterea reiecto latitationis capite firmissime nobis persuadeamus, ex quatuor illis Edicti caussis hanc unam Qui absens iudicio defensus non fuerit inter Naeuium et Quinctium agitatam fuisse.

Verumenimuero hoc loco nouum aduersariorum genus obuiam uenit.

Sunt enim (sicut iam supra praemonui), qui omnino statuant, ex quatuor illis Edicti clausulis in hac caussa nulli locum fuisse, neque Quinctium nisi *uadimonii deserti* aut culpa aut crimine laborasse.

Quam sententiam tametsi ex huius orationis interpretibus unum *Klotzium* uideo distincte protulisse[21]),

267. *Bethmann-Hollweg* l. c. §. 26. p. 284. — Illud uero mihi constat (quod hoc loco satis est), simplex *Ciceronis aetate* Edicti ius uuumque illud fuisse, quod deinceps demonstrabitur.

20) Conferantur inter se quae supra allegaui in nota 15.

21) ad c. 6. 7. (in extrema nota) et c. 19. Conferantur *Manutius* et *Facciolatus* ad c. 7.

tamen generalis quaedam ratio subesse mihi uidetur, quae latius etiam apud probatissimos Iureconsultos[22]) manauerit. Qua de clausula agatur

Nam quum quatuor tantum bonorum possidendorum caussas Tullius enumerauerit, tamen apud eos, qui de iure ciuili scripserunt, iam uulgo obtinuit, ut compluribus additis hic numerus augeretur. Nimirum eadem serie continuata adiici solent:

I. *Iudicatus, confessus quiue in iure nihil responderit, neque iudicio, uti oportet, se defenderit*[23]).

II. *Qui quaeue in adoptionem se dederunt aut in manum mancipiumue uenerunt*, nisi ab eo, cuius iuri subiecti sunt, ex anteriore contractu in solidum defendantur[24]).

III. *Qui uadimonio non stetit.*

Eas uero caussas aliquo modo ad bonorum possidendorum ius pertinuisse, consentio; quinetiam Ciceronis aetate Praetorum Edictis aliquid cautum fuisse de

22) Vide supra not. 14.

23) *Gaius III*, 78. (uide supra p. 45. not. 3.) *Lex Galliae cisalpinae* c. 22. «Praetor . . . «in eum . . . de eis rebus omni«bus ita ius dicito, decernito, «eosque duci, *bona eorum pos«sideri proscribiue uenireque iu«beto*, ac si is . . . *d. e. r.* «*in iure apud eum Praetorem* «. . . *confessus esset*, *aut d. e.* «*r. nihil respondisset*, *neque se* «*iudicio, uti oportuisset, defen«disset.*» Conf. *Sauinii* Tractatum *Das altrömische Schuldrecht* in Comment. Academiae R. Berolinensis, a. 1833. p. 91. seq.— Adde L. 52. De R. I. — Consulto autem omisi speciem eorum, *qui lege Iulia bonis cedunt* (Gai. d. §. 78.), quippe quae Ciceronis aetate posterior sit.

24) Gai. *III*, 84. *IV*, 80.

Qua de clausula agatur.

prima facile concedam, de altera haud repugnabo; hoc unum adiiciam atque etiam contendam, diuerso Edicti capite uno pluribusue, ac separatim ab eo, quod in d. c. 19. Quinctianae nostrae recitatur, de duabus illis caussis hoc tempore cautum constitutumque fuisse. Neque enim in animum inducere possum, Ciceronem non integrum, quo de agebatur, Edicti caput recitasse, quippe qui ne alienissimas quidem a lite sua clausulas praetermiserit, et post quartam illam, quam proposuit, nullam esse reliquam, satis etiam distincte indicauerit[25]: neque caussa dici potest, quin censeamus, peculiari quodam capite Praetorem eas personas comprehendisse, quarum bona ut possiderentur communis omnium ea condicio efficeret, *quod in ius uocandi potestas non esset.* Contra perspicuum est, duo illa genera, aliunde adiecta, eiusmodi personas continere, quae in iure iam constiterint aut potuerint tamen in ius uocari.

Sed haec missa facio; sunt enim a Quinctii caussa nullo dubio remotissima. Ad tertium uenio, propter quod unum priora commemoranda fuerunt, *uadimonium desertum.*

Hanc enim uulgo ferunt quintam caussam fuisse,

25) Vide c. 28. «. . . quod «neque fraudandi caussa latitasset (al. *latitasse*), neque exsilii caussa solum uertisse diceretur. *Reliquum est, ut eum «nemo iudicio defenderit»* et rel. — Quae uerba attuli, ut ne quis in coniecturam euaderet, in d. c. 19. ab initio quidem Edicti caput recitari continuum, deinde uero, cum ad *absentis* clausulam peruentum esset, oratorem substitisse, ad argumenta transiisse, reliqua uero, quae recitanda fuissent, silentio praeteriisse.

qua ex hoc Edicto, ut bona possiderentur, committi potuerit, eodem genere et ordine ac quatuor illas constitutam, denique (quod subintelligunt magis quam affirmant) aut temere aut callido quodam consilio in recitando Edicti illo capite a Tullio praetermissam. Qua de clausula agatur.

Quam sententiam qui sequuntur, locupletissimo sibi uidentur teste uti *Ulpiano*, quem uel ipsa uerba illius clausulae, quam dicunt suppressae, recitare putant in *L.* 2. *pr. Quib. ex cau. in po. e.*

Ulpianus lib. 5. ad Edictum.

«*Praetor ait: In bona eius, qui iudicii sistendi* «*caussa fideiussorem dedit, si neque potestatem* «*sui faciet, neque defendetur, iri iubebo.*»

Certe equidem, tametsi hunc locum pro summa illa difficultate atque interpolationis — certitudine potius dixero quam suspicione, qua omnis uadimoniorum materia in Digestorum fragmentis laborat; satis leuiter ab interpretibus uideo haberi, tamen omissis, quae ad propositum nostrum minus sunt necessaria, haud grauabor, quod extremum a me postulaueris, ultro concedere, uidelicet Praetorem aliquando Edicto comprehendisse, se certa lege permissurum, ut, qui uadimonium deseruisset, eius bona possiderentur. Esto. Qua uero lege ac condicione id fieret, Praetor his uerbis, opinor, significauit:

«*si neque potestatem sui faciet neque defendetur,*» quibus confestim Ulpianus declarat contineri *qui latitauerit et qui abfuerit, nisi defendantur* [26].

26) ibid. §. 1. «Potestatem «autem sui non facit, qui id «agit, ne adversarius eius co«piam sui habeat. *Ergo lati-*

Qua de clausula agatur.

Quid ergo est? Nimirum abunde patet, hoc ius Edicto illo statui, ut, qui uadimonium deseruerit, dummodo simul etiam latitet aut absit, nec defendatur, eius bona possideantur.

Unde quum appareat, uadimonium desertum haudquaquam sua ui ac potestate bonis possidendis caussam praebuisse, sed ita demum, si aut latitationis aut absentiae caussa accederet, perspicuum etiam erit, errare, qui uadimonium desertum quatuor illis caussis, quae singulae debitoris bona ut possiderentur efficerent, pro aequali comparauerint, eodemque ordine pro quinta adiecerint.

Quae ratio si ei Edicto, quo *Ulpianus* usus est, non conuenit, nae illa longe aberit, ut aut *Ciceronis* aetati aut Edicto *Burrieni* Praetoris aut caussae *Quinctii* conciliari possit.

Nam praeterquam quod inferius apparebit, quae modo secundum *Ulpianum* probauimus, eadem, si non *uerbis Edicti*, at re ipsa atque iuris ratione *Ciceronis* iam aetate obtinuisse; neminem potest latere, unum quidem, in omni ea caussa acerrime pugnari, *Quinctius uadimonium deseruerit necne*, alterum contra illud, Tullium, quomagis euincat bona Quinctii ex Edicto possideri non potuisse, singulas, quibus enumerantur ii, quorum bona ita possideri liceat, clausulas sic ex ordine recitare, ut ne alienissimas quidem omittat[27]), denique nihil omnino se omittere palam osten-

«tantis bona iubet possideri. — «§. 2. Quid si non latitet sed «absens non defendatur? nonne «uidetur potestatem sui non fa«cere?»

27) Vide supra p. 54.

dat[28]); neque tamen ullam hac parte uadimonii deserti mentionem occurrere. Qua de clausula agatur.

Quae qui reputauerit, et alterum cum altero contulerit, quomodo credere poterit, in hoc ipso Edicti capite *quintam* aliquam *de uadimonio deserto* clausulam fuisse, quam Cicero in recitando suppresserit silentioque praeterierit? Nonne qui ita statuerit, oratorem nostrum talis calumniae dicam an impudentiae potius ac stultitiae insimulabit, qualis ne in abiectissimum quidem rabulam caderet? Aut quae ratio, quae utilitas, quae tandem fallendi spes uel excusatio tali orandi consilio adesse potuisset?

Quid multa? Optimum refellendi genus est, ueram rei naturam et rationem ostendere. Eam uero, dummodo propositam nobis orationem attente perlustraueris, nullo duce quasi ultro obiatam inuenies. Eius iuris ratio.

Etenim negat Cicero, bona Quinctii ex Edicto possessa esse. Eius rei tripartitam instituit confirmationem. Partes hisce uerbis[29]) distinguit:

„Ostendam primum, *causam non fuisse, cur a*
„*Praetore postulares, ut bona P. Quinctii possi-*
„*deres:*
„deinde, *ex Edicto te possidere non potuisse:*
„postremo, *non possedisse.*"

Iam alterius partis principium est, ut de supradicto illo Edicti capite, quo quatuor clausulis personas, quarum bona possideri liceret, enumerari cognouimus,

28) Vide supra p. 54. not. 25. 29) Vide c. 10.

Eius iuris ratio. disseratur, doceaturque, earum clausularum nulla Quinctium neque teneri neque ullo modo adtingi[30].

Vadimonii uero *deserti* quaestio *ubi* inuenitur locata?

Nempe in *prima* parte[31].

Quid ergo est? Tantopere uisa est omni sua natura atque effectu aliena esse a quadripartito illo Edicti capite, ut ne ad eandem quidem confirmationis *partem* pertinere, neque, ubi quaereretur, *an bona ex Edicto possideri potuissent*, quicquam ualere putaretur.

Contra apparet attinuisse de uadimonio deserto disceptare, ubi id ageretur, *caussa Naeuio fuisset necne, cur postularet, ut bona Quinctii possideret.* Haec enim summa est primae eius partis.

Videmus autem hanc partem duobus locis seu argumentis constare, primo, Quinctium nihil Naeuio debuisse, altero uadimonium ei nullum deseruisse.

Ergo *caussa fuisse* dicetur, cur Naeuius postularet, ut bona Quinctii possideret, *si hic illi aut debuerit aliquid aut uadimonium deseruerit.*

Illud igitur unum superest, ut dispiciamus, quae ratio inter has, quae dicuntur, *caussas cur Naeuius postularet* atque quatuor illas Edicti clausulas intercesserit.

Nimirum constat, illo Edicti capite quatuor generibus eas personas definiri, quarum bona possideri liceat. Earum autem numero si quis esset, num omni-

30) c. 19. seqq. 31) c. 14. extr — 19. 28.

bus undique licebat accurrere, atque, ut bona eius possiderent, postulare? Eius iuris ratio.

Immo iusta caussa postulantibus opus erat.

Quae igitur caussa *iusta esse* uidebatur?

Enimuero *creditoribus*, *rei seruandae caussa*, possidendi illud uendendique ius a Praetore constitutum erat. Itaque *creditorem* esse oportebat, qui ex Edicto bona possidere postularet.

Qua in re tamen creditoris nomen latius et cum quadam extensione accipiebatur: aequum enim uidebatur, ut ei quoque res seruaretur periculumque depelleretur, qui iustam spem magis quam certum ius crediti nactus pari modo iniuria inde afficeretur, quod aduersarii sibi potestas non fieret. — Itaque creditorum loco uidemus in hoc iure haberi eos, *quibus uadimonium desertum sit*, quinetiam alios incerto crediti iure praeditos, ueluti quibus sub condicione pecunia promissa sit, et q. g. a. [32])

Apparet igitur, duplici quadam condicione bonorum illud possidendorum ius suspensum fuisse, prima quidem ex persona eius, *cuius de bonis ageretur*, uidelicet ut in quatuor illarum clausularum aliquam incidisset; altera uero ex persona eius, *qui postularet*, uidelicet, ut iustam sibi postulandi caussam esse ex eo probaret, quod aut creditor esset, aut creditoris tamen loco haberetur; utrumque autem genus in proposita oratione

32) L. 6. pr. Quib. ex cau. in po. e. (Paulus). «In possessionem mitti solet creditor, etsi «sub condicione ei pecunia pro«missa sit.» — Qua de specie quaerilur propter L. pen. eod. Conf. L. 7. §§. 14. 15. eod. L. 50. pr. De peculio. L. 10. L. 11. L. 54. L. 55. De V. S. L. 42. pr. De O. et A.

Eius iuris ratio. etiam partitionis lege distingui, eaque ratione quae a postulantis persona requirantur, *prima parte*, quae a domini, *altera* contineri.

Quod ius si cum *Ulpiani* supradicto fragmento conferas, re quidem omnino inter se congruunt, ipsius uero Edicti forma atque conceptio hac Ciceronis aetate ita magis uidetur comparata fuisse, ut, quae ad alteram illam partem pertinerent personamque debitoris spectarent, proprio illo capite latius exponerentur, ea uero, quae priori parte continentur (scilicet postulandi ius nonnisi creditoribus, et qui creditorum loco haberentur, competere), obiter magis, inscriptione fortasse quadam aliaue modo, tacite fere uel per indicem significarentur. Unde intelligi potest, quomodo acciderit, ut in oratione pro Quinctio habita, quae *debitoris* personam spectarent, praecipue atque κατ' ἐξοχὴν *Edicto* attribuerentur, eaque parte, qua quaeritur, *bona ex Edicto possideri potuerint necne*, comprehenderentur; contra autem illa, quae ad ius crediti uadimoniique deserti, denique ad *postulantis personam* pertinerent, ab Edicti disceptatione secernerentur, propriaque parte, qua, *num actori postulandi caussa fuisset*, quaereretur, concluderentur.

His igitur perspectis omnibus facili negotio intelligetur, quam falsa sit supradicta opinio existimantium, uadimonium desertum sua ui ac potestate, neque alia re ulla superueniente aut Naeuio aut omnino cuiquam idoneam bonorum possidendorum caussam praebuisse, neque dubitabitur, quin, ubi ex quatuor illis Edicti caussis nulla accesserit, is, cui uadimonium fuerit desertum, quum in ius uocandi aduersarii potestatem

habeat [33]), bonorum ex Edicto possidendorum iure funditus destituatur.

In summa, parata tandem erit ad quaestionem, huic paragrapho inscriptam, haec responsio: Responsio ad ss. quaestionem.

Naeuius, cum Burrienum Praetorem de bonis Quinctii possidendis adiret, *caussam* protulit *uadimonium sibi desertum*, *Edicti* uero *quartam illam clausulam* (Si absens iudicio defensus non fuerit) a Quinctio sibi commissam esse contendit. *Pecuniam sibi deberi* simul Naeuium ita uerisimile est affirmasse, ut commodius tamen utiliusque duceret, *uadimonii deserti* quam *crediti* caussam probare.

Reliquum est, ut ad textum illius cap. 19., a quo haec omnis disputatio profecta est, reuertamur, quem ab *Hotomano* oblatum ad sententiae quidem summam in fidem nostram recepimus [34]), critica autem ratione curandum ad hunc usque locum reseruauimus. Locus in c. 19 pro Quinctio.

Etenim in illo textu, quem supra exhibui, uerba omnia haec *Dici id non potest.* Qui absens iudicio defensus non fuerit: *Ne id quidem* — unius *Hotomani* fide atque auctoritate consistunt, qui ex libro manuscripto perantiquo ea restituisse se profitetur.

Proxime autem accessit *Lambinus*, ipse quoque

33) Videsis *Horatii Serm. I*, 9, 74. *seqq.*, ibique *Porphyrionis* notam: «Aduersarius molesti il-«lius Horatium consulit, an per-«mittat se antestari, iniecta ma-«nu extracturus ad Praetorem, «*quod uadimonio non paruerit*» rel. Conf. L. 18. L. 19. De in ius uocando. *Bethmann-Hollweg* l. c. §. 21. p. 247.

34) Vide supra p. 45.

Locus in c. 19 pro Quinctio

testatus, se restituisse in Manuscriptis reperta, dum sic ederet:

Dici hoc de P. Quinctio non potest. QUI ABSENS IUDICIO DEFENSUS NON FUERIT. 35)

Caeteri, quibus olim Codicum notitia fuit (si cui hodie fuerit, utinam mecum communicare eam uelit!) omnes uno consensu testimonium dicunt, uerba illa cuncta abesse.

Quare quum grauissima sit ad uniuersum prope orationis intellectum illa lectionis quaestio, iuuat Doctorum praecipuas sententias cognoscere, ad extremum meam quoque adiicere.

Atque primus *Manutius* coniecturae ope idem suppleuit, quod *Hotomanus* et *Lambinus* Codicibus suis acceptum ferunt. «*Mutilus*, inquit, *locus*; *deest* «*enim, quod ad haec Edicti uerba* (QUI EXSILII CAUSSA «SOLUM UERTERIT) *Cicero respondeat. Sed desideran*«*tur etiam uerba Edicti; cum enim subiiciatur* Quo «tempore existimas oportuisse absentem Quinctium de«fendi *rel.*, *necesse omnino uidetur*, *praeire Edicti* «*uerba*, *quibus haec respondeant; apte autem con*«*gruerent in Edicto:* QUI ABSENS IUDICIO NON SIT «DEFENSUS. *Quod eo magis arbitror*, *quia uidetur* «*Edicti uerba iterare infra* 36), et rel.»

35) Sic extat in Ed. 1566., ubi (p. 677.) adnotatur: «... ne«que tamen reperimus ea Cicero«nis uerba, quae testatur Hoto«manus se una cum uerbis Edicti «reperisse, *ne hoc quidem*; neque «uero sunt necessaria.» Idem uero in Ed. 1584. ad marginem adiecit *ne is quidem*.

36) Quae aptissime demonstrantur loca haec sunt: c. 23. «quis est, qui fraudationis caussa «latuisse dicat? quis, *qui absen*«*tem defensum neget esse* Quin-

At uero quorum auctorum adhuc cognouimus testimonia, sententias, emendandique consilia, eorum et fidei et iudicio acerrimum se aduersarium ostendit *Gruterus*. Sic enim contra disputat: Locus in c. 19 pro Quinctio.

« *Locum asterisco notant pudentiores et iam ego;* « *nam certe Lambinianum adsutum natum procul-* « *dubio ex illo Hotomani.* (Recitatur quid uterque suppleuerit.) « *Fuerit id in ipsorum Manu-* « *scriptis, non est in Palatinis octo, non in Gru-* « *teriano, non in S. Victoris, non in Editionibus* « *exoletis; et proferat Hotomanus, proferat Lam-* « *binus membranas, in quibus tale quid compareat:* « *plus quam uiros dixero. Ego puto nihil deesse omni-* « *no, sed Ciceronem ea pronunciatione elocutum illa* « QUI EXSILII CAUSSA *rel., ut iudices atque corona* « *facile intellexerit, istud non conuenire Quinctio.* »

Rursus *Garatonius*, « *Sensus*, inquit, *hic omnino* « *postulat, ut aliquid ex Edicto praecesserit de* « *iis, qui absentes defensi non fuere. Cur uero* « *Hotomano et Lambino, uiris optimis, eam dicam* « *impingamus, ut Codices hic ipsi sibi confinxisse* « *uulgo existimari debeant, caussam satis hone-* « *stam nullam reperio. An illos antiquis et probis* « *Manuscriptis usos fuisse nescimus? An etiam*

« ctium? — c. 27. Eum ipsum, « qui fraudandi caussa latitet, eum « ipsum, *quem iudicio nemo de-* « *fendat*, eum ipsum, qui cum « omnibus creditoribus suis male « agat, inuitum de praedio de- « trudi uetat.» — c. 28. «Ex « Edicto autem non potuisse bona « possideri, demonstraui: quod « neque *fraudandi caussa latitas-* « *set* (al. *latitasse*), neque *exsilii* « *caussa solum uertisse* diceretur. « *Reliquum est, ut eum nemo iudi-* « *cio defenderit:* quod contra co- « piosissime defensum esse con- « tendi » rel.

Locus in c. 19 pro Quinctio.

«*Codex aliquis caeterarum rerum negligens una* «*in re diligens esse non potuit? Unde lacuna* «*ista profluxerit, satis est manifestum: ex repe-* «*titione scilicet earum uocum* Ne is quidem *et* «*similium. Lacunam dico, inuito Grutero. Is* «*enim non cogitauit, de Quinctii absentis defen-* «*sione dicere Tullium incipere, nec tamen quid* «*ea de re in Edicto esset, ante recitari: quod* «*quidem caput est; hoc enim Naeuius urgebat.*»

Caeteri Editores, tam ueteres quam recentiores plerique, incerta lacunae suspicione contenti, Vulgatam retinuerunt, ueluti *Graeuius*, *Oliuetus*, *Ernestus*, *Beckius*, *Orellius.*

Schützius edidit:

« . . . . *uerterit*, QUI ABSENS IUDICIO DEFENSUS NON «FUERIT.» Confirmandi caussa nihil adnotauit, praeterquam haec uerba abesse non posse.

Similis *Stiebert* [37]) coniectura, quaedam Edicti uerba excidisse, uelut haec: QUIUE ABSENS NON DEFENDATUR. *Ad tale quid enim*, inquit, *in sequentibus respondet et in peroratione quoque.* [38])

Klotzius miscendo cumulandoque *Hotomani* et *Lambini* supplementa sic edidit: [39])

. . . UERTERIT. *Dici id de P. Quinctio non potest.* QUI ABSENS IUDICIO DEFENSUS NON FUERIT. *Ne id quidem.*

37) l. l. p. 42. Conf. *Zimmern* l. l. p. 240. not. 3.

38) Vide loca, modo in nota 31. allata.

39) Lectionem suam defendit in Praefatione p. LX.

Singularem prorsus de hoc loco opinionem *Rauius* sibi comparauit. Sic enim scripsit: [40]) Locus in c 19 pro Quinctio.

« Qui uniuersam Ciceronis disputationem cogitatione
« complexus erit, inprimis qui attenderit ad uerba
« in c. 28. *Ex Edicto autem non potuisse bona*
« *possideri demonstraui, quod neque . . . latitas-*
« *set* [41]), *neque . . . solum uertisse diceretur:* fa-
« cile dicet, non tali auxilio (scilicet quale Hoto-
« manus tulit) locum posse resarciri [42]). Id uero
« non est *demonstrare*, recitatis Edicti uerbis id
« tantum subiicere *Non est is Quinctius.* Opor-
« tebat enim aduersarios unam certe afferre caus-
« sam, ob quam peterent, ut ex Edicto in bonorum
« possessionem mitterentur. Exsilii igitur caussa
« solum uertisse non dicebant Quinctium, sed frau-
« dationis caussa latitasse; id igitur factum non
« esse demonstrari oportuit. *In hac igitur lacuna*
« *etiam interiisse suspicor illam latitationis defi-*
« *nitionem, quam a Cicerone profectam improba-*
« *uit Ulpianus in L. 7. Quib. ex cau. in po. e.* [43])»

40) l. c. p. 47. et 84.

41) Alias: *latitasse.* Quae lectio, secundum *Juntinam* et *Lambinum* ab *Orellio* recepta, siue uera sit siue falsa, nulla certe ratio fuit, uulgatam illam adeo urgere, ut propter unam litteram, tot rebus aduersantibus, Hortensius ipsam *latitationis caussam neque aliam quamcunque* intendisse diceretur. Qua de re uide supra p. 48. seqq.

42) Ipse hoc loco *Rauii* contextus, a typotheta pessime habitus, coniecturae auxilio mihi restituendus fuit.

43) *Ulpianus lib. 59. ad Edictum.* — §. 4. « *Quid sit autem latitare uideamus. Latitare est, non (ut Cicero definit) turpis occultatio sui; potest enim quis latitare non turpi de caussa, ueluti qui tyranni crudelitatem timet aut uim hostium aut domesticas seditiones.*» — Caeterum adeo incertum est, unde

Locus in c. 19 pro Quinctio. Quinctiam coniectura assequi V. D. tentat, quemadmodum Cicero in deperditis hisce, quae dicuntur, capitibus refellendae latitationis caussa disseruerit.

Mihi uero secundum quae supra exposui constat, *latitationis caussam* neque urgeri ab Hortensio, neque a Cicerone uno plus uerbo, quam legimus, defendi.

Satis multa de auctoribus. Nunc ut proferam, quid ipse sentiam, primo loco persuasum habeo, lacunam esse atque supplementum requiri tali argumento, quale inter *Hotomanum* et *Lambinum* caeterosque, qui mutilum esse locum censuerunt, omnes conuenit. Argumento mihi sunt cum quae *Manutius* praesertim ac *Garatonius* monuere, tum uniuersa Quinctianae caussae figura et imago, quam supra repraesentaui.

Porro de uerborum tenore satis mihi constat, quatenus *Hotomani* et *Lambini* supplementa inter se congruunt; nec temere *Huschkius* ad cap. 48. pro Tullio [44]), locum nostrum respiciens, iudicasse uidetur,

Hotomani inuentum siue uerum siue fictum, quicunque cum isto loco (Tullianae) *contulerit, non dubitaturum eum, quin Ciceroniani sermonis proprietate admodum id adiuuetur.*

uerba illa Ulpianus excerpserit, ut inter uarias prius Tullii orationes ac libros quam inter singula huius orationis capita, quo pertineant, quaerendum sit. Conf. *Hotomanum* ad c. 19. et *Ant. Augustinum* de nominibus propriis τοῦ *Πανδέκτου* Florentini, c. 5., in *Ottonis Thes.* T. I. p. 337.

44) Verba Ciceronis haec sunt: «Num quem tribunum plebis ser«ui Tullii pulsauerunt? Non «opinor. Num furatum domum «P. Fabii noctu uenerunt? *Ne «id quidem.* Num luce furatum «uenerunt et se telo defende«runt? *Dici non potest.* Ergo» rel. Confer etiam *Auctorem ad Herennium IV*, 23.

Quid autem de eo statuemus, quod inter duas illas lectiones differt? Locus in c. 19 pro Quinctio

Qua de re si quis iudicem me constituerit, iurabo mihi non liquere, dum Codices consuluero, nimium etiam diu hoc tempore neglectos: sin uenia detur, ut coniectura defungar, dicam quid sentiam.

Nimirum cum duo illa supplementa inter se comparo, potior mihi est *Hotomanus primis uerbis*, *extremis Lambinus.* Malo enim breue illud *Dici id non potest*, Ciceronianis etiam exemplis illis commendatum, quam latiorem istam sententiam, quae apparet additis uerbis *de P. Quinctio*, haudquaquam mehercule necessariis.

Eadem uero breuitas ad calcem magnopere placet. Neque enim auribus gratum est illud *Ne id quidem*, postquam modo dixit *Ne is quidem*, neque suauis paruula haec uocabulorum *id* et *is* differentia: denique, quod grauissimum est, sermoni concitato atque ad illam rem, quae iamdudum menti praecipue obuersatur (uidelicet absentis non defensi crimen diluendum) properanti maxime conueniens est, repente abrupto alternarum interrogationum responsorumque illo quasi carmine in mediam rem quodammodo irruere: quid enim attinet, uerbo negare Quinctium ea clausula teneri, quum ad ipsum hoc primarium aduersarii praesidium expugnandum ac eliendum hac parte quam copiosissime defendendum paratus instructusque uenias?

At enim ex ipsa illorum uersiculorum *Ne is quidem* atque *Ne id quidem* similitudine natus est error librarii, quippe qui, quum priorem calamo exarasset, ad

Locus in c. 19 pro Quinctio. exemplar, unde transcriberet, oculos referens in posteriorem inciderit, atque inde perrexerit scribere, mediis omissis. Eiusmodi aliquid Garatonium significare intelligo.

Atquin haec ipsa ratio, haud raro commodissima et uerissima, hoc loco plane deficere uidetur, si ad ista quidem uerba adhibeatur. Nam quid apertius quam, illa errati caussa, euenturum fuisse, ut etiam uerbis *Qui exsilii caussa solum uerterit* careremus?

Nihil igitur relinquitur, nisi ut hoc loco errandi illud genus aut missum faciamus omnino, aut diuersis quibusdam uerbis accommodemus, ut si statuamus, librarium, quum uerbum UERTERIT scripsisset, tum in altero exemplari inferius uocabulum FUERIT respexisse, atque inde scribendo continuasse. Quod quum propter communes utrique uoci extremas quatuor litteras haud sit incredibile [45]), longe tamen absum, ut ualidum inde coniecturae meae adminiculum uelim comparare.

Qua ex coniectura, quantiuis sit pretii, locus noster hac denique specie prodibit:

Recita Edictum. QUI FRAUDATIONIS CAUSSA LATITARIT. *Non est is Quinctius: nisi si latitant, qui ad negotium suum relicto procuratore proficiscuntur.* CUI HERES NON EXSTABIT. *Ne is quidem.* QUI EXSILII CAUSSA SOLUM UERTERIT. *Dici id non potest.* QUI ABSENS IUDICIO DEFENSUS NON FUERIT. *Quo tempore existimas oportuisse, Naevi, absentem Quinctium defendi aut quomodo? rel.*

45) Magis etiam adspectus iuuabit, cum finxeris tale scripturae genus, quale in *Gaii Codice Veronensi* extat, aut in *Ciceronis Mediolanensi* et *Taurinensi*, unde *Maius* ac *Peyronus* fragmenta ediderunt.

§. 3.

Generalia quaedam de iure bonorum a creditoribus cum possidendorum tum uendendorum.

Gaius III. §§. 77—81. Theophilus ad pr. J. De successionibus sublatis.

Constat, Quinctii bona a Naeuio ita esse possessa, ut ne tamen, quum iudicium propositum ageretur, ad uenditionem usque peruentum esset. Neque uero orator intra rei gestae terminos disputationem suam continuit, immo frequentissime commoratur cum in iis demonstrandis, quae, prout iudex sententiam dederit, futura sint, tum in deploranda summa illa malorum, qua Quinctius obrueretur, si bona sua, quod cupidissime adfectasse Naeuius insimulatur, uenissent.

Quamobrem haud mediocriter ad plenum huius orationis intellectum pertinet, absolutam quandam eius iuris imaginem sibi comparare, neque operam perdemus, si de bonis possidendis, proscribendis, uendendis omnique eius rei ordine, exitu et effectu, quae Veteres nobis tradiderunt nostraeque aetatis scriptores summo cum labore fructuque excoluerunt [1], breuiter et quasi per

1) *Stieber* l. l. p. 54. seqq. *Zimmern* l. l. §. 79. p. 250. seqq. *Bethmann-Hollweg* l. l. §. 29. p. 305. seqq. Conf. §. 26. p. 282. seqq.

iudicem exposuerimus. Si quae forte de nostris addiderimus, proprioue arbitrio de receptis Jureconsultorum sententiis detraxerimus aut correxerimus, eorum posthac ratio reddetur.

Possessionis impetratio

Primum igitur erat, ut, si quis Edictum illud ab aliquo sibi commissum esse putaret, Praetorem siue pro tribunali siue de plano adiret, ab eo, ut bona possidere sibi liceret, postularet, eiusque rei, quantum extempio summatimque fieri posset, caussam probaret.

Quo facto Praetor, siquidem prima facie nihil obstare uideretur, neque audito aduersario, neque pleniore adhibita caussae cognitione, neque decreto interposito, iubebat illum qui postulauerat, alterius bona *ex Edicto possidere* [2]; siue ut *Gaii* uerbis utamur, *iubet ea Praetor per dies continuos XXX. possideri et proscribi* [3].

Unde facile apparet, utrumque ius et possidendi et proscribendi, tam caussa quam tempore eandem originem cepisse [4].

2) Contra uulgo statuitur, *caussa cognita decretum* Praetorem reddidisse: prima igitur haec quaestio erit, quam inferius tractemus. Videsis §. 4.

3) *Gai.* III, 79. — Caeterum satis erit, semel monuisse, in *mortuorum* bonis uendendis breuiora tempora obseruari. Quam differentiam deinceps nihil attinet prosequi. — De *proscriptione* conf. *Sen. de benef. IV*, 12.

4) Vehementer errat *Klotzius* (ad c. 6. h. or.), dum putat, bona Quinctii, priusquam proscriberentur, per dies XXX. possessa fuisse, idque communi iure ita obtinuisse. Qua de re praeter *Gaii* supradicta uerba uidesis huius orationis d. c. 6. et c. 19., atque confer c. 15. §. 48. cum c. 16. §. 51., item c. 17. §. 54. cum c. 18. §. 56. Quae contra ualere nihil potest incertum istud Theophili testimonium. — Conferatur etiam *Stieber* l. l. p. 59. *Zimmern* l. l. p. 250.

Possessionis autem ea natura fuit, ut omnium bonorum strictissimam quidem custodiam et obseruationem exercere, atque unamquamque rem, prout ad custodiam opus esset, adprehendere et tenere creditori ius esset [5], praeterea uero ciuilis neque caussa neque effectus accederet. uis et natura

Deinde quum primum aliquis, ut bona possideret, a Praetore impetrasset, caeteris quoque creditoribus, quiue creditorum loco essent, licebat, ad eam rationem accedere unaque possidere et custodire [6].

5) pro Quinctio c. 27. *Cognoscamus Edictum*: QUI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM UENERINT . . . EOS ITA UIDETUR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. QUOMODO? QUOD IBIDEM RECTE CUSTODIRE POTERUNT, ID IBIDEM CUSTODIANT, QUOD NON POTERUNT, ID AUFERRE ET ABDUCERE LICEBIT. . . . DOMINUM . . . INUITUM DETRUDERE NON PLACET. — Conf. L. 3. §. 23. De A. u. A. P. *(Paullus)* «Qnod antem Q. Mu«cius inter genera possessionum «posuit, si qnando Iussu magi«stratus *rei seruandae caussa* nei «quia damni infecti non caueatur, possidemus, ineptissimum «est: nam *qui creditorem rei ser«uandae caussa*, uel qnia damni «infecti non caneatnr, *mittit in «possessionem*, nel uentris no«mine, *non possessionem sed «custodiam rerum et obseruatio«nem concedit.*» Conf. L. 10. §. 1. eod. L. 3. §. 8. Uti possidetis. L. 12. Quib. ex cau. in po. e. L. 15. §§. 20. 23. De dam. infe. L. 5. pr. Ut in po. legat. —

6) L. 12. pr. De reb. auctor. ind. po. *(Paullus)* «Cnm unus «ex creditoribus postnlat in bona «debitoris se mitti, quaeritur, «ntrum solus is, qui petit, pos«sidere potest, an cum unus «petit et Praetor permisit, omni«bns creditoribus aditus sit? Et «commodins dicitur, cnm Prae«tor permiserit, non tam per«sonae solins petentis quam *cre«ditoribus et in rem permissum «uideri:* quod et *Labeo* putat, «Nec uidetur libera persona ac«quirere alii, qnia nec sibi quis«quam adquirit, cui Praetor «permittit, sed aliquid ex ordine «facit, *et ideo caeteris quoque pro»dest.* Plane si is postnlauerit, qui »creditor non est, minime dicen«dnm est, nel eum qui creditor est, «possidere posse, quia nihil egit «talis postulatio: aliter atque si

Defensio

Contra siue debitor ipse siue pro eo alius creditori, qui bona possideret, aut satisfecerit aut iustam defensionem obtulerit, res omnis ad integrum redibit, atque creditor postulante domino de possessione decedere a Praetore iubebitur.

Defensio autem tam a domino quam a procuratore eodem iure ac modo praestanda erit, eademque accipiendi iudicii satisdandique condicio obtinebit, atque priusquam bona possiderentur, obtinuisset [7]).

«creditor, cui permissum est «possidere, postea recepit debi«tum suum: caeteri enim pote«runt peragere bonorum uen«ditionem. — Conf. L. 5. §. 2. Ut in po. legat. L. 6. §. 7. Quae in frau. cred. — Denique huc pertinet, quod in c. 24. pro Quinctio dicitur: «quaero . . . «cur ex tot creditoribus aliis ad «istam rationem nemo accesse«rit« rel.: item quae in c. 29. «occurrunt similia.»

7) Contra *Zimmern* l. l. §. 79. p. 251., *Bethmann-Hollweg* l. l. §. 26. p. 282., *Walter*, Gesch. d. R. R. p. 768. statuunt, dominum statim post missionem, cum ipse se defenderet, iudicatum solui satisdare debuisse, eiusque iuris testes producunt *Gaium* in Comm. IV. §. 102. et *Ulpianum* in L. 33. §. 1. De reb. auctor. iud. po. (utriusque loci uerba exhibui supra p. 4. et 5. not. 4.) De *Gaio* dubitu, alioque loco (infra § 6.) disputabo; de *Ulpiano* tantisper concedam potius quam aut textus difficultatem aut L. 5. §. 3. Quib. ex cau. in po. e. opponam. Mihi cum Ciceronis aetate res est, qua quod supra posui, ius obtinuisse, certissima hae conclusione mihi uidetur constare: Controuersia fuit, Quinctium Naeuio iudicatum solui satisdare oporteret necne. Quae ad eam controuersiam dirimendam pertinent, sponsione comprehenduntur, de qua Aquillio iudicandum est. Quid ergo est? Nimirum hercle ex huius sponsionis conceptione cognoscetur, quibus rebus satisdandi illa necessitas contineatur. Quae tandem in uerba sponsio concepta est? Nempe Si bona (*Quinctii*) ex Edicto P. Burrieni Praetoris dies XXX. possessa non sunt. Caue igitur quidquam putes esse uerius quam sponsione uicturum fuisse Quinctium, *quamvis bona sua possessa essent*, dummodo iudici probaret, *dies XXX. possessa non esse*. Sponsione uero

Porro elapsis triginta illis diebus, quibus bona possessa et proscripta essent, nullaque interea defensione oblata Praetor iubet conuenire creditores et ex eorum numero magistrum creari, per quem bona ueneant [8]). Venditio.

Abhinc autem nouum currebat triginta dierum spatium [9]), intra quod legibus compositis [10]) publicaque per praeconem [11]) licitatione instituta uniuersa debitoris substantia quasi una res unoque pretio ueniret, finali tantum addictione, donec praestitutum illud tempus praeteriisset, dilata [12]).

Pretii autem loco in hac uenditione uersabatur pars

cum uicisset, quis dubitabit, quin a satisdandi necessitate liber solutusque fuisset? — Cui argumento si quid addere licet, praecedunt in eodem c. 8. sponsionis formulam ipsa Edicti uerba: «postulat, ut sibi Quinctius «iudicatum solui satisdet, *ex «formula*, QUOD AB EO PETAT, «CUIUS EX EDICTO PRAETORIS BO«NA DIES XXX. POSSESSA SINT.» — Caeterum de omni hac materia uide supra p. 4. seqq.

8) *Gai. III*, 79. *Theophil.* l. c. — De magistro, uno pluribusue, confer *pro Quinctio* c. 15. *ad Att. I*, 1, 3. *VI*, 1, 15., *ad Famil. XII*, 30, 5. *Quintilian. Inst. or. VI*, 3, 51.

9) *Gaius* ibidem: «*uiui bona «XXX.* (diebus) . . . *emptori ad«dici iubet.*» — Conf. *Zimmern* l. l. p. 252. 254. *Bethmann-Hollweg* p. 309.

10) *Stieber* l. c. §. 21. p. 65. *Zimmern* §. 79. p. 252. seq. — Qui VV. DD. quum de *uenditionis illa lege*, a *Theophilo* decepti, in tenebris uersari mihi uideantur, mox inter subsecinas nostras quaestiunculas ei rei locum dabimus. Videsis interim *pro Quinctio* c. 15. — Conf. not. seq.

11) Ibid. «cuius . . . bona «uenierunt; cuius non modo . . . «fortunae, sed etiam uictus ue«stitusque necessarius *sub prae«cone* cum dedecore subiectus «est: . . . de quo libelli in ce«leberrimis locis proponuntur, «. . . *cui magistri fiunt et do«mini constituuntur* qui, qua «lege et qua condicione pereat, «pronuncient: *de quo homine «praeconis uox praedicat et pre«tium conficit:* huic» rei. — Conf. Quinctilian. IX, 3, 29.

12) Vide supra notam 9.

Venditio. aeris alieni, quam aequali proportione creditoribus soluendam licitatores offerrent; adeoque, quemadmodum alias pecuniarium pretium licitando confici solet, sic in illo bonorum uendendorum genere *centesimis* (ut ad nostratium loquendi consuetudinem accedam) oblatis adiectisque certabatur, atque uictoris loco habebatur, qui pro maxima parte creditoribus satisfacturum se pollicitus esset [13]).

Addictio. Venditione ita celebrata praedictoque illo triginta dierum spatio praeterito reliquum erat, ut a magistro bona emptori, penes quem licitatio remansisset, addicerentur. *Magistri* enim non *Praetoris* fuisse bona addicere, omnes consentiunt [14]). De eo quaeritur, an

13) Hanc uendendi emendique rationem obtinuisse, hodie inter omnes fere constat, nec immerito, licet unum illud, quod afferri solet, *Theophili* testimonium omni suo habitu mirum in modum appareat mancum, lubricum, confusum uarieque corruptum. Quo tamen cum adhibuerimus, quod *Gaius* (in Comm. III. §§. 79—81. IV. §. 35.) ualidissime confirmat, bonorum emptorem in uniuersum ius successisse, ac propterea creditoribus quoque obstrictum fuisse (d. §. 81. extr.), nequo pecuniario singularum omniumque rerum pretio defungi potuisse; necessitate quadam effici uidetur, ut illa rei imago, quam supra repraesentauimus, animis imprimatur. — Conf. *Stieber* l. l. p. 65. *Zimmern* l. l. p. 253. seq. *Bethmann-Hollweg* l. l. p. 309. seq. *Savigny* Zeitschr. f. gesch. R. W. T. II. p. 375. *Walter* R. G. p. 768.

14) *Zimmern* l. l. p. 253. seq. *Bethmann-Hollweg* l. l. p. 309. *Stieber* l. l. p. 66. *Puggé*, Rhein. Mus. f. Iurispr. T. II. p. 90. — Is solenni addictioni a magistratu pro potestate facienda locum fuisse et statuit et negat, prout aut publice aut priuatim bona uenierint. Qua de re citantur *Gaius* in Comm. III. §. 154. et *Varro* de R. R. II, 10. Neque negligenda sunt *in Verrem* I, 52. 54. s. fi. — Apud omnes autem hoc locu plurimum ualuit *Gai*. III, 79. (uide supra not. 9.)

priusquam addicerentur, semper Praetore adito atque auctore facto opus fuerit [15]), an tunc solum ad eam rem Praetoris officium denuo interuenerit, cum aut de emptore eligendo aut alia de re, quae addictionem spectaret, controuersia nata esset [16]). Nam quodcunque eius generis certamen de peragenda uenditione inter creditores existeret, id a Praetore caussa cognita interpositoque decreto dirimendum fuisse [17]), nullam recipit dubitationem. Addictio.

Caeterum admonendi sumus, dum bona emptori addicta essent, usque debitorem omni bonorum suorum et possessione et uenditione liberari soluique potuisse, dummodo creditoribus aut satisfieret, aut iusta defensio siue ab ipso siue a quolibet alio offerretur. Defensionem autem, siue pro domino procurator, siue dominus suo nomine iudicium accipere paratus esset, nisi satisdato iustam iam hoc tempore (h. e. anterioribus illis triginta diebus elapsis) nullam fuisse, indubitati iuris est [18]).

15) *Stieber* l. l. p. 66. ita scripsit: «Magister ei, qui plu«rimum obtulerat, haud dubie «rursus conseutieute et decer»neute Praetore bona debitoris «addicebat.» Similiter *Zimmern* l. l. p. 253. Contra uero *Bethmann-Hollweg* l. l. p. 309. *Puggé* l. l. — *Theophilus* indistiucte: «*tunc patrimonium emptori ad*«*dicebatur.*»

16) L. 16. De reb. auctor. ind. po. *(Gaius lib. 24. ad Edictum prouinciale)* «*Cum bona* «*ueneunt debitoris, in compara*«*tionem extranei et eius qui cre*«*ditor cognatusue sit, potior ha*«*betur creditor cognatusue: magis* «*tamen creditor quam cognatus,* «*et inter creditores potior is, cui* «*maior pecunia debebitur.*»

17) Conf. L. 8. §. 4. L. 15. De reb. auctor. iud. po.

18) Argumeuto sunt: uniuersa caussa Quiuctiaua, formula Edicti iu c. 8. recitata (uide supra p. 73. not. 7. extr.), *Gaius III,* 79., *L.* 33. §. 1. *De reb. auctor.*

Effectus **Quis tandem uniuersae huius bonorum uenditionis rite completae effectus erat?**

Nempe bonorum emptori successio competebat in uniuersum ius debitoris, ita scilicet, ut quaecunque eius fuissent, praetorio saltem iure in emptoris bona transirent, iusto deinceps emptionis titulo usucapienda; quae uero debitori ab aliis deberentur, ea emptori neque alii cuiquam recte solui liceret, quinetiam, quo ab inuitis exigere posset, praetoriae actiones eidem accommodarentur, creditoribus denique inuicem ad modum uenditionis lege constitutum ipse praetoriis actionibus teneretur [19]).

Cuius rei actiones Praetorem quemdam P. Rutilium nomine, qui etiam ipsam bonorum uenditionem introduxisse dicebatur, primum composuisse *Gaius* auctor est [20]). Neque inepte Nostrates, paullo ante medium

iud. po. (cuius loci uerba supra exhibui p. 5. uot. 4. Conferantur quae aduotaui ibidem et p. 72. uot. 7.) — *Zimmern* l. l. p. 251. 253. *Bethmann-Hollweg* l. l. p. 282. — *Puggé* l. l. p. 88.

19) *Gaii* Comm. III. §§. 77—81. *Theophil.* l. c. — *Zimmern* l. c. §. 80. p. 254. *Bethmann-Hollweg* p. 282. 309. seqq.

20) *Gaii* Comm. IV. §. 35. «*Similiter* (ac bonorum possessor pro herede) *et bonorum emptor ficto se herede agit. Sed interdum et alio modo agere solet: nam ex persona eius, cuius bona emerit, sumpta intentione, conuertit condemnationem in suam personam, id est, ut quod illius esset uel illi dari oporteret, eo nomine aduersarius huic condemnetur:* quae species actionis appellatur *Rutiliana*, quia «a *Praetore P. Rutilio, qui et bonorum uenditionem introduxisse dicitur*, comparata est; «superior autem species actionis, «*qua ficto se herede bonorum emptor agit*, *Seruiana* uocatur.» —

De ratione, quae inter duo haec agendi genera intercesserit, maguopere quaeritur. Quippe *Puggeus* l. c. p. 93. cum *Heffero* ad d. §. 35. existimauit, displicere coepisse *Seruianam*, ubi uiui

Urbis saeculum septimum illius Praeturae annum fuisse, constituerunt. [21]) Effectus.

Porro ad eum priuati iuris effectum, cuius modo summam demonstraui, e publico quasi iure accedit, ut qui bonorum uenditionem passus sit, ignominia notetur famaque et existimatione priuetur [22]), adeoque omnium rerum et ornamentorum, quae publico iure ciuibus Romanis competunt, iacturam faciat. Qua ratione uerissimum esse puto, quod hodie dici solet [23]), mediam illum capitis deminutionem, saluo tamen priuato ciuium iure, subiisse.

bona nenirent, inelegans enim nisum esse, *uiui heredem fingi.* Contra *Zimmernius* p. 254. uerissime monuit, *Rutilianum* agendi genus necessario *uetustius* esse, quia uniuersam bonorum uenditionem *Rutilius* primus condidisse diceretur. Nec minus placet, quod idem V. D., *mortuo dari fieri quicquam oportere* (et q. g. a.) neganit, atque inde effectum esse indicauit, ut qui mortui bona emisset, *heres* potius quam *procurator* esse *Seruio* auctore fingeretur. Praeterea magis est credibile, primum eius iuris conditorem, *Rutilium*, *rariorem* speciem, ubi *mortui* bona nenirent, quam *frequentissimam uiuorum* praetermisisse. Atquin *Zimmernii* uerior quidem sententia non tamen loco deficere mihi uidetur. Nam *exsuli* haud magis arbitror potuisse *dari fieri oportere* et q. g. a. quam mortuo, ideoque etiam in illa specie bonorum emptori *Seruiana* actione opus fuisse. Confer supra p. 46. not. 4. — *Gaii* Comm. IV. §§. 38. 80. III. §. 84. L. 2. §. 1. De cap. min.

21) Zimmernius l. c. p. 237. et *Puggeus* l. c. p. 90., *Haffterus* (Civ.-Proc. p. 560.) ratione admodum probabili *P.* illum *Rutilium Praetorem* pro eodem habuerunt, qui *P. Rutilius Rufus* nomine *a. u.* 649. *cum Cn. Mallio Maximo* Consul fuit. Conf. *Zimmern* T. I. §. 75a. p. 281.

22) Vide praeter hanc *pro Quinctio* orationem *Gai. II*, 154. *IV*, 102. *Lex Iulia munic.* (Tab. Heracl.) cap. 8. Tertullian. Apologet. 4.

23) *Bethmann-Hollweg* l. c. §. 29. p. 314. *Niebuhr* R. G. T. I. p. 642. *Savigny*, System d. heut. R. R. T. II. p. 179. 199. seqq. *Stieber* l. c. p. 55.

Effectus

Quod autem dixi, *ignominiam sequi bonorum uenditionem*, exceptionem addo: *Ne praeiudicium fiat temporis quaestioni.* Etenim magnopcre, atque hac potissimum aetate, ambigitur, utrum *possessioni* ac *proscriptioni*, an *uenditioni* demum et *addictioni* ignominia fuerit adiuncta. Cui cognitioni, subtiliori sane neque iniucundae, tertium locum ultimumque reseruaui inter illa, quae singillatim et quasi per appendicem tractare constitutum est.

De quibus iam sequitur ut ex ordine dispiciamus.

§. 4.

Subsecuae quaestiones.

Primo loco ratio erit reddenda, cur negauerimus, quod plerique omnes tamen statuerunt, *caussa cognita redditoque decreto Praetorem, ut bona propter supradictas illas caussas possiderentur, iubere solitum esse.*

Quaenam igitur sunt, quibus *quae Praetor pro tribunali agit cognitaque caussa decernit*, maxime discernantur ab iis, *quae de plano fiunt* atque *ex ordine magis iurisque celebrandi caussa* quam *ob controuersiam dirimendam* a Praetore petuntur? Caussae cognitio.

Enimuero ad iustam caussae cognitionem tam iure ciuili quam communi humanitatis ratione nihil antiquius est, quam ut quorum res agitur, priusquam decernatur, plenissime *audiantur.* At uero exsules, mortui, quiue latitant aut absunt, quomodo poterunt audiri?

Alterum est, ut ex facto inuestigetur, quod postulatur a Praetore, utrum iure, lege, Edicto, aequitate decerni recte possit an secus; ueluti cum de bonis alicuius, quia fraudationis caussa latitet aut absens non defendatur, possidendis agatur, Praetori quaerendum erit, num latitet, num absit, num defendatur; quae prout coguouerit se habere, aut redditurus quod

Caussae cognitio. petitur decretum aut recusaturus erit. Quid igitur? Operam dabit Praetor, ut debitor ille, qui dicitur, quocumque modo adesse iubeatur, domum ei denuncietur, amici euocentur; quinetiam tempus constituet, si quis defendere uoluerit. Nec prius quam ita apparuerit, neque adesse illum, neque defendi, iudicabit Edicto locum esse, bonaque postulantem recte possessurum [1]).

At uero earum rerum omnium, denique omnis eius cognitionis nec uola nec uestigium apparet. Immo, ut in caussae propositae exemplo subsistamus, euidentissimum est, Burrienum Praetorem, quum primum Naeuius de uadimonio deserto docuisset, illico eodemque aditu bona Quinctii possideri iussisse, neque horam unam exspectasse, num defensor existeret. Nec Tullius (quod grauissimum est) inter tot querelas uocem emisit, qua iniuste ita iussisse Praetor insimularetur; quinetiam quum acerrime in *aduersarium* inueheretur, qui ita postulasset [2]), diserte negauit ullum Quinctii caussam detrimentum inde cepisse, quod Praetor *ex Edicto bona possideri* iussisset [3]).

Tertio loco, quum pro tribunali caussa cognita Praetor aliquid decreuerit, efficitur, ut quod incertum antea ac controuersum inter litigatores agitatum sit, id iam pro explorato ac composito habeatur, nec magis ferme quam quae iure iudicioque iudicata sint, in discrimen denuo possit uocari.

1) Conf. L. 5. §. 1. Quib. ex cau. in po. e. L. 22. pr. Ex quib. cau. mai.

2) Videsis c. 6. 8. 15—17. 23. 28.

3) c. 19.

Cuius rei uel ipsa haec, in qua uersamur, oratio duo continet exempla, uidelicet *Burrieni* unum [4]), *Dolabellae* alterum [5]) decretum, de satisdationis controuersia utrumque redditum; eodemque genere pleraque illa fuerunt, quae iudicii ordinandi caussa fieri solebant, praesertim quotidianum illud omniumque grauissimum decretum, quo formula concipiebatur iudiciumque constituebatur [6]). Caussae cognitio.

Quocirca in caussa proposita qui statuerit, Burrienum Praetorem re cognita decreuisse, ut Quinctii bona ex Edicto possidere Naeuio ius esset, fateatur necesse est, illum pro potestate sua iudicasse, Quinctium in Edictum commisisse, uidelicet et uadimonium Naeuio deseruisse et absentem defensum non esse.

At uero in his quasi de integro quaerendis atque redarguendis Ciceronis oratio paene tota uersatur, neque hoc oratoris aberratione, licentiaue, immo ex proposito [7]) atque ipso Praetore auctore, quippe qui sponsionem, ex qua agendum esset, talem fieri iusserit, quali quaestio haec, commissa essent necne quae ad bona ex Edicto possidenda ualerent, prae-

4) c. 7. extr. 20. — ubi Praetor, cum *simplex iuris quaestio* esset, *statim decreto suo* controversiam diremit.

5) c. 8. — ubi Praetor, *quoniam mixtis uariisque et iuris et facti quaestionibus* controuersia de satisdatione praestanda consistebat, omnique natura sua *intricatior* erat, *praeuio decreto sponsionem praeiudiciumque fieri iussit;* quo facto de ipsa controuersia paratum expeditumque foret *e re iudicata decernere.* Conf. supra §. 1. p. 3. seqq.

6) Conf. *pro Tullio* c. 7. 38. 39. 27. 31. *in Verrem. II*, 12. *de Inuentione II*, 19. 20. *Orat. partit.* c. 28. *ad Herennium I*, 12. *Gai. IV*, 57. 53.

7) Conf. c. 10. et passim.

Caussae cognitio. cipue atque ex professo concluderetur in iudiciumque deduceretur[8]).

Non potest igitur Burrienus Praetor caussa cognita interpositoque decreto antea iudicasse, Quinctii bona ex Edicto possidere Naeuio ius esse; nam ea est iudiciorum natura, ut ex auctoritate Praetoris, ex decreto ac formula, uti iussus est, iudex debeat iudicare, non ut de ipso magistratu, recte an perperam quidquam decreverit, cognoscat ac pronunciet.

Quid autem? Nonne sponsione illa iudicioque continentur complura, quae, etiamsi Praetor Naeuio postulante, ut bona Quinctii possideret, *caussa cognita* decreuisset, necessario tamen integra fuissent relicta? Ea dico, quae facto ac tempore etiam posteriora illa aditione fuerunt. Quod genus sunt, possessionem Naeuius adprehenderit necne, per statutum tempus continuauerit necne, et similia.

Sint ista uera, nihil tamen obstare uidentur. Nam qui semel tantum orationem propositam perlustrauerit, ultro fatebitur, non sola haec neque separata in sponsionem iudiciumque deduci, immo cum caeteris omnibus, quae, priusquam Praetor adiretur, gesta sunt, sic coniungi, ut pariter ad iudicium omnia pertinere, uniuersumque de sponsione iudicium integrum iudici tradi ac permitti manifesto appareat.

Plus arbitror: haud mediocre inde sententiae nostrae praesidium accedere.

Quippe constat, eum, qui alicuius bona ut ex Edicto possideret, a Praetore et postulauerit et impetrauerit,

8) Vide c. 8. et 10. et quae supra in §pho 1. tractavimus.

hac una re adeo nihil certi iuris adquisiisse, ut, quamuis iusta caussa fuerit postulandi, quamuis a Praetore iussus etiam recte possederit bona et proscripserit, tamen, dummodo intra triginta dies siue ab ipso domino siue a procuratore iusta defensio offerretur, ad irritum isthaec reciderent omnia, neque qui ea passus esset, propterea aut peculiari satisdandi molestia aut alio detrimento quoquam afficeretur [9]). Caussae cognitio.

Triginta demum elapsis diebus iuris existebat effectus certus absolutusque [10]), incrementum capturus ex altera Praetoris aditione nouoque exinde triginta dierum spatio emenso [11]).

Unde quum appareat, primam illam in bona missionem, si iuris effectus spectetur, sua ui ac potestate minime consistere, sed cum aliis rebus iisque futuris et incertis coniungi atque inde suspensum teneri; quid mirum, Praetorem, ubi primum de bonis alicuius ex Edicto possidendis adiretur, de iure imperfecto et, ut ita dicam, ἐμβρύῳ neque cognouisse neque decreuisse? Non enim illud Praetoris est, de uariis rebus facti, ex quibus coniunctis ius aliquod nascitur, separatim cognoscere et decernere, uerum de iure ipso, comprehensis quibuscunque rebus consistat ac comparatum sit, ex integra absolutaque cognitione statuere.

Qua ratione Praetor, nisi magna atque iusta caussa accederet, propter futura illa et incerta etiam de iis differebat cognoscere, quae praeterita quidem essent aut praesentia (ueluti debitor an latitaret, an abesset,

9) Vide supra §. 3. p. 72.
10) Conf. ibid. p. 75.
11) Ibid. p. 74. 76. seqq.

Caussae cognitio

au defenderetur), at ex quibus, nisi caetera illa, adhuc incerta, accessissent, firmum ius ac durabile nullo modo nasci posset.

Enimuero quid est tandem cur *a Praetore*, ut bona ex Edicto possidere liceat, *postuletur*?

Nempe Praetoris adeundi non ea caussa est, ut lis aut ordinetur aut decreto dirimatur, uerum *ut ius celebretur*, i. e. actus quidam, quaerendi tuendiue iuris gratia comparatus, rite, Praetore sciente ac moderante, peragatur.

Cuius rei quum plurima sint in iure Romano exempla [12]), eaque magnam partem notissima, hoc loco satis erit de *hereditatis possessione* monuisse, quam a Praetore ex Edicto peti ac plerumque de plano neque caussa cognita neque decreto reddito impetrari solere, exploratissimi iuris est [13]).

Itaque, ut in pauca rem conferam, Praetor a creditore aditus, ut ex Edicto bona possidere liceret, neque cognoscere neque decernere solet, Edicti condicionibus satisfactum sit necne, uerum uti postulatur, ita *iubet ex Edicto bona possideri*, ea scilicet mente, ut perinde et permissio et possessio rata sit, atque Edicto caussisque possidendorum bonorum in Edicto propositis

12) De uariis illis praetoriae iurisdictionis formis conf. *Walter* R. G. p. 744. *Buchholz* ad Vatic. Fragm. §§. 156. 161. 163. 165. *Brisson.* de V. S. s. v. *Planus* et *Tribunal.*

13) Conf. L. 2. §§. 1. 2. Quis ordo in po. seru. L. 3. §. 8. De bon. poss. L. 1. §. 4. Si tabulae testamenti. L. 1. §§. 6. 10. 7. De success. edicto. — Walter R. G. p. 692.

satisfactum sit, fuerit, satisfactumque esse postea, ubi in cognitionem eā res uenisset, adparuerit. Caussae cognitio

Atque talem fuisse communem eius iuris rationem satis mihi persuasum est. Quamquam haud negauero, ad hanc rei seruandae caussa possessionem impetrandam perinde aliquando in caussis quibusdam exceptis cognitione ac decreto opus fuisse [14]), atque ubi de hereditatis possessione praetoriaue in bona defuncti successione ageretur [15]). Quae tamen exceptarum caussarum figurae, quum a proposito iudicio sint alienissimae, hoc loco quasi digito tantum demonstrandae fuerunt.

Caeterum admonendi sumus, Praetorem etiam in his, quae de plano ageret, *magistratum* tamen egisse, nec quasi coecum amentemque, quodcumque quisquam postularet, ilico fieri iussisse [16]). Quare quoties Praetori liqueret, iniuste prauaque ratione, ut bona alicuius possiderentur, peti, quin forte qui peteret creditor non esset [17]), alione modo palam iure destitueretur, haud dubito, quin denegata possessione eum dimiserit. Quinetiam satis mihi est credibile, e more fuisse, ut a postulante *caussae* cur postularet, siue uadimonium

14) Conf. L. 5. §. 1. L. 7. §§. 10. 11. L. 8. Quib. ex cau. in po. e. L. 18. Si serulius uind.

15) L. 14. §. 1. De bon. po. con. tab. L. 4. De coniung. c. emanc. lib. — Vide supra not. 13.

16) Nimium hercle est, quod *Glossa* de hereditatum possessionibus definit: «Est ergo possessio alia *edictalis*, ut quae *ex* «*Edicto Praetoris mortui* decer«nitur; alia *decretalis*, quae *a* «*uiuo Praetore* decernitur.» — Conf. ad L. 1. De bon. poss. Neque id loquendi genus semel tantum occurrit, sed in consuetudinem Glossatorum transierat.

17) L. 50. pr. De peculio.

Caussae cognitio.

desertum siue creditum esset[18]), aliqua probatio, quoad eius extemplo fieri potuit, et praestaretur et exigeretur. Nec enim frustra nec fortuito, opinor, absente Quinctio Naeuius curauit, ut testificatio fieret, ut tabulae consignarentur, sed quomagis Praetori, a quo bona Quinctii ut possidere sibi liceret, postulaturus erat, probaret uadimonium desertum iustam sibi caussam competere[19]).

Cuius rei similia extant exempla et in bonorum possessione secundum tabulas[20]) et in aliis possessionibus, quas *ex Edicto* nihilominus, non *ex decreto* procedere solitas esse, nemo umquam fuit qui dubitaret.

Reliquum est, ut quam adhuc argumentis potissimum defendimus sententiam, eam testimoniis quoque confirmemus.

Hoc autem numero merito omnia illa loca habentur, unde apparet, etiam postea quam Praetor iusserit bona possideri, pro incerto fuisse, iure an iniuria possiderentur[21]), facili negotio accidisse, ut cui ex Edicto

18) Vide supra §. 2. p. 57. seqq.

19) Conf. pro Quinctio c. 6.

20) in Verrem I. 45. — SI DE HEREDITATE AMBIGITUR ET TABULAE TESTAMENTI OBSIGNATAE NON MINUS MULTIS SIGNIS QUAM E LEGE OPORTET, AD ME PROFERENTUR, SECUNDUM TABULAS TESTAMENTI POTISSIMUM HEREDITATEM DABO; et ibidem c. 44. — *si tabulae testamenti non proferrentur, tum uti quemque potissimum heredem esse oporteret, si is intestato mortuus esset, ita secundum eum possessio daretur.* Conf. supra not. 13.

21) L. 1. §. 5. Ne uis fiat ei qui in po. *(Ulpianus)* «Haec uerba *Quanti ea res erit, ob quam in possessionem missus erit* (conf. «princ. ibid.) continent utilitatem creditoris, ut quantum eius «interest possessionem habere, «tantum ei, qui prohibuit, condemnetur. Proinde *si ob falsum creditum* uel *ob falsam petitionem* missus est in posses-

ius nullum esset, possidere tamen iuberetur [22]), de ea re praeiudicio esse agendum [23]), non in integrum restitutionem a Praetore quaerendam, nimirum ipso iure nulla et infirma eiusmodi non solum possessione uerum etiam uenditione [24]) et q. g. a. Caussae cognitio.

Quibus tamen omnibus longe praestat egregium illud Paulli testimonium, qui in supradicta L. 12. pr. De reb. auctor. iud. po. [25]) non diserte solum sed etiam solennibus iuris ciuilis uerbis omnem rationem nostram expressit ac comprehendit.

Quid enim? quod statuit, cui Praetor postulanti permittat bona possidere, *eum nihil sibi acquirere, sed aliquid ex ordine facere*, nonne plane idem est atque quod nos supra exposuimus, *iuris celebrandi caussa* [26]) a Praetore ex Edicto possessionem et postulari et permitti, non quo res iudicetur, decretoue, an commissum sit Edictum, statuatur.

« sionem, uel *si exceptione summoueri potuit, nihil ei debet prodesse* hoc edictum, *quia propter nullam caussam in possessionem missus est.*»

22) *Gaii* Comm. III. §. 220. « Iniuria autem committitur . . . « si quis bona alicuius *quasi debitoris, sciens eum nihil debere sibi*, proscripserit et rei.»

23) L. 30. De reb. auctor. iud. po. *(Papirius Iustus)* « Imperatores Antoninus et Verus Augusti rescripserunt, eos, qui bona sua negant iure ueniisse, *praeiudicio experiri debere*, et frustra Principem desiderare rescindere uenditionem.»

24) L. 7. §. 3. Quib. ex cau. in po. e. *(Ulpianus)* « Si quis possederit bona alicuius quasi latitantis, qui non latitabat, et uendiderit; consequens erit dicere, *uenditionem bonorum secutam nullius momenti esse.*»

25) Textum exhibui supra p. 71. not. 6.

26) *Cuiacius* in Comm. ad Lib. LIX. Paulli ad Edictum sub. h. L. 12. (in Opp. Ed. Neap. T. V. p. 757.) uerba illa «*aliquid ex ordine facere*» sic circumloquitur: *exequi solennem iuris ordinem, quo res seruetur creditoribus.*

Caussae cognitio. Cui denique sententiae prorsus congruit duplex illud, quod infert, primum, si unus petat, omnibus aditum comparari, neque propterea per liberam personam cuiquam adquiri; alterum (quod aliunde paullo ante demonstrauimus[27]), si is postulauerit atque impetrauerit, qui creditor non sit, nihil actum esse.

Ad cumulum tandem accedit ipsius pro Quinctio orationis quidam locus, adeo lucidus atque opportunus, ut, nisi mala multorum Editorum interpretumque opera deprauatus ac perturbatus esset, dignus uideretur, a quo tamquam principio ac capite uniuersa haec disputatio susciperetur breuique tota conficeretur.

Locus in c. 19. pro Quinctio. Etenim orator enumeratis, quas supra cognouimus, quatuor Edicti clausulis[28]), sic pergit dicere:

«Quo tempore existimas oportuisse, Naeui, absen- «tem Quinctium defendi aut quomodo? Tum quum «postulabas ut bona possideres? Nemo adfuit. Ne- «que enim quisquam diuinare poterat, te postula- «turum: *neque quemquam attinebat id recusare* «*quod Praetor non fieri sed ex Edicto suo fieri* «*iubebat.* Qui locus igitur absentis defendendi pro- «curatori primus datus est? Quum proscribebas. «Ergo adfuit» rel.

Iam haec est ex fide probatissimorum Editorum[29]) communis Codicum Mss. lectio, exceptis tantummodo leuioribus quibusdam manifestisque corruptelis, ueluti

27) Vide supra not. 24.

28) c. 19. — Vide supra §. 2. p. 45.

29) Conf. *Beckii* et *Orellii* notas.

quod in quinque Oxoniensibus atque in Dresdensi deesse dicitur *ex* ante uocem *Edicto*[30]). Locus in c. 19. pro Quinctio.

Sententia autem planissima meo quidem iudicio atque apertissima haec est:

Nihil Quinctii referebat, ut amici Praetorem adirent, ne Naeuio ut bona possideret postulanti permitteret. Non enim, quasi caussa cognita apparuisset, Quinctium uadimonium deseruisse nec absentem defendi, ita Praetor *pure* Naeuium possidere iubebat, immo *ex Edicto* possidere iubebat, h. e. ea mente, ut perinde et permissio et possessio rata esset, atque Edicto caussisque possessionis obtinendae in Edicto propositis satisfactum esset. Quae quaestio quum a Praetore integra atque, ut ita dicam, in hypothesi relinqueretur, nihil iuris ea possessione data neque Naeuio quaerebatur neque Quinctio detrahebatur, siue, ut Paulli uerbis utamur, *nihil Naeuius sibi acquirebat, sed aliquid ex ordine faciebat.* Quamobrem haud sine ratione Tullius negat attinuisse quemquam recusare, quin bona possideri iuberentur, quippe quaecumque tunc ualere potuissent, quominus possiderentur, eadem postea tantundem ualebant, quominus ex Edicto possideri possessaue esse uiderentur.

Hanc uero loci nostri sententiam qui non intellexerunt, quibus coniecturis quibusque de iure tam communi quam Quinctiano commentis rem egerint, summatim percurram, eamque spero mihi latioris huius tractatus excusationem fore.

30) Deest in tredecim Parisiensibus, quos ipse paucis hisce diebus contuli. Vide infra alterum nostrum caput.

Locus in c. 19. pro Quinctio.

Primo loco *Hotomanus* fatetur quidem, Vulgatam, quam diximus, in omnibus tam scriptis quam impressis legi, *in qua tamen*, inquit, *quis sit sensus*, *non facile dixerim*. Itaque emendat:

quod Praetor fieri sed non ex Edicto suo fieri iubebat.

Quid ita?

Quum enim, pergit dicere, *contra Edictum hoc fieret, paratum erat Tribunorum auxilium aut collegae.*

Quasi uero, ut mittam caetera, idcirco nihil attinuerit, quin iniquum Praetoris decretum fieret, recusare, quia tandem superesset tribunos appellare!

Lambinus nescio qua fide, uarias lectiones has affert:

quod Praetor sed ex Edicto suo iubebat:

quod Praetor non modo fieri sed ex Edicto suo fieri iubebat:

quod Praetor fieri sed non ex Edicto suo fieri iubebat.

Ipse uulgatam lectionem (quam *aliis quibusdam Manuscriptis* tribuit) sic transformat:

quod Praetor fieri non ex Edicto suo iubebat[31].

Varia deinde effingit librariorum tentamina, quibus ex genuina hac lectione, quam restituisse se gloriatur, Vulgatam effecerint. De hac tandem, quasi gratulabundus nobis, sententiam fert in haec uerba:

31) In Ed. Lambin. 1566. sic extat: *quod praetor non ex Edicto fieri suo iubebat.*

Ita hic locus miserabilem in modum deprauatus est, posteaquam semel a uero et recto deerratum est, ut temeritate hominum et stultitia soleut propagari falsa et praua[32]. Locus in c. 19. pro Quinctio.

Sensum denique ad exemplum Hotomani declarat.

Cuiacius[33]) uera interpretatione proposita uulgatam lectionem defendit, eamque *Grutero* probauit, quinctiam *Graeuii* laudes meruit, qui tamen, praeterquam quod uoculam *ex* eiecit, paucis uerbis colligendae sententiae caussa de suo adiectis prodidit, se neque *Tullium* neque *Cuiacium* intellexisse[34]).

Re autem et ueritate cum Cuiacio consentit *Facciolatus*, cuius notam *Garatonius* et recepit et confirmauit[35]).

32) Contra pro Vulgata *Gruterus* reponit: *Bone Deus! uel unius tantum opus est auctoritate, ut sincera lectio uel in perpetuum inquinetur.*

33) Obss. Lib. X. c. 31. «Certe, «inquit, quaiiscunque sit debi- «tor, etiamsi decreto Praetoris «non indigeant creditores, ut «mittantur in possessionem, ius- «su tamen permissuque Praeto- «ris indigent, qui uullus est nisi «nominatim concipiatur. Non «est opus decreto, id est caus- «sae cognitione, quia hoc omne «ex ordine et ex edicto postula- «tur permittiturque (sicut actio- «nes et exceptiones?) et uero «etiam Praetor non permittit «simpliciter *bona possideri* sed «*possideri ex edicto*; quod ita «in *Quinctiana bellissime expres*- «*sum legeremus, nisi noui emen*- «*datores deprauassent.* — Illud minus recta factum a Viro summo opinor, quod ex c. 27. huc retulit uerba *Praetor te quemadmodum possidere iussit? opinor ex Edicto.* Illic enim spectatur possidendi *modus*, hic uero *caussa.*

34) «*quod Praetor non fieri de*- «*creto iubebat sed Edicto suo du*- «*dum iusserat fieri.*»

35) Etiam *Menardi* et *Manutii* aduotationibus, quas nonnisi ex *Garatonii* editione cognouisse me fateor, nescio quid ueri in-

Locus in c. 19 pro Quinctio.

Ferratius [36]) dum collaudat Lambinum, quod locum antea corruptum magna ex parte restituerit, ipse uerba sic exhibet:

quod Praetor fieri, sed non fieri ex Edicto suo iubebat.

At *Lambini*, quam dicit (*Hotomani* potius dixerit), interpretationem optime refellit ex uerbis *neque quemquam attinebat.* Quam nouam protulit, aeque displicet, uidelicet haec uerba ad perseuerantiam Praetoris referri, cuius expugnandae nulla spes fuisset: exemplo esse, quod in c. 8. *Dolabellae* Praetori idem obiiceretur [37]).

esse uidetur. Nimirum ille, praefixa quidem falsa lectione *non modo fieri*, «Non iubebat, inquit, «Praetor praecise fieri, sed iu«bebat *fieri ex Edicto.*» Hic uero de lectione: «*Non fieri:* Sic ue«teres libri, et maior uis est «quam si legatur ut antea: *non* «*modo fieri.*» De sensu: «Cur «enim quisquam recusaret, quod «Praetor non ex arbitrio suo sed «ex edicto fieri iubebat?» —

Rauius denique l. l. p. 49., quamuis circa caussam possessionis petendae atque tempus defensionis offerendae grauissimis erroribus captus, tamen de uerbis propositis haud male sic tractat: «Non enim ex sua aucto«ritate Praetorem iussisse (Cicero «ait) bona Quinctii a Naeuio pos«sideri: *nam contra iniuriam* «*Praetoris oportuisset reclamare;* «sed Naeuium iussisse bona Quin«ctii sui debitoris ex Edicto suo «possidere, i. e. secundum id, «quod in Edicto de debitoribus «latitantibus scriptum esset; cum «igitur nullum uerbum Edicti ad «Quinctium pertineret, nihili «fuisse illud iussum, perinde ac «si alicuius seruos iussisset pos«sideri, cui constaret nullos us«quam seruos fuisse.»

36) Epist. Lib. IV. Ep. 4. s. 6. «Praetor, inquit, contra Edictum «suum et inique decernebat in «Quinctium; . . . . apud Iudicem «autem, qui sciens iudicat ini«que, frustra contendimus, ne«que Oratione opus est apud «eum Praetorem, qui contra ius «uult quippiam decernere, id«que sciens et prudens uult.»

37) «*Dolabella . . . iniuriam* «*facere fortissime perseuerat.*»

Ernestus: « Locum, ut nunc est, non intelligo. « Intelligerem si esset: Locus in c. 19 pro Quinctio

« *quod Praetor fieri sed ex edicto suo fieri iubebat.* »

Ad quae *Schellerus*[38]): « Sensus est: *quod Praetor « non utcunque fieri sed ex suo edicto fieri iubebat.* « Diuinare non possum, cur *Ernesti* dicat, hunc se « locum non intelligere. » Neque ego, *Schellerus intellexerit necne.*

Beckius nouam quandam attulit siue corruptelam siue coniecturam:

quod Praetor non fieri sed ex edicto suo fieri UETABAT.

Ipse, retenta quidem Vulgata, coniecit, uerba *non fieri sed* e glossa esse nata.

Schützius, *Orellius*, *Klotzius* pariter Vulgatam conseruauerunt, primus *Cuiacio*, *Graeuio*, *Garatonio* laudatis auctoribus, alter enumeratis uariis lectionibus, tacito caeteroquin iudicio, tertius *Cuiacio* quidem appellato, una tamen aliis quibusdam rebus admixtis [39]), quae incertum mihi reddunt, quid sentiat.

38) *Obseruationes in priscos scriptores quosdam.* Lipsiae 1785. 8. p. 41.

39) Praeter uerba illa ex c. 27. (de quibus modo notaui in nota 33.) adsciscit etiam ex Miloniana (c. 4.) haec, meo quidem iudicio alienissima: « *quae non « modo hominem occidi sed esse « cum telo hominis occidendi caussa uetat.* »

§. 5.

Subsecuae quaestiones.

Sequitur trium illarum quaestionum, quas supra seposuimus, altera, uidelicet leges bonorum uendendorum caussa componendae quanam ferme natura, specie, conceptione fuerint.

Lex bonorum uendendorum. Qua de re *Stieberus*[1], qui sententiam suam etiam *Zimmernio*[2] probauit, in hunc modum uerba facit:

« Lex bonorum uendendorum erat additamentum « proscriptionis, quo creditores, quantam partem « sibi ad minimum ab eo qui bonorum emtor futu- « rus esset, solui uellent, significabant. Legem « enim uulgo cognitum est dici condicionem negotii, « quae etiam proscriptionibus uenditionum, locatio- « num aliorumque negotiorum addi solebat. Neque « uero creditores totam pecuniam, quam pro uni- « uersis bonis postularent, sed, qua nos quoque « utimur computatione, incertam crediti partem, « ueluti semissem, bessem, dodrantem, (Procente) « significabant.»

Nec temere Virum doctum, immo diserto *Theophili* testimonio munitum sic statuisse dixeris. Cuius ecce tibi tenorem:

1) l. l. §. 21. p. 65. 2) l. l. §. 79. p. 252. seqq.

« Postea paucis elapsis diebus tertia quoque aditio « fiebat, in qua permittebatur iiiis *legem bonorum* « *uendundorum* facere: namque porro dictae pro- « scriptioni haec addebant: *Emtor creditoribus* « (exempli gratia) *in dimidiam debitorum partem* « *respondere debet; ut cui debeantur centum, ac-* « *cipiat solidos quinquaginta, et cui debeantur du-* « *centi, accipiat centum.* Et postquam hic certum « tempus praeterierat, tunc patrimonium emtori ad- « dicebatur, emtorque uocabatur bonorum emtor » et rel. Lex bonorum uendendorum.

Iam nescio, an mihi praefandum sit *Fremant omnes licet* et rel., nam ita quidem sentio:

Quae bonorum uendendorum lex magistro creato concipi atque paiam proponi solebat, ea ad suprascriptae formuiae modum ne uerbum quidem continebat, caetera, quorum in ilia Theophili formula nihil extat, dummodo uenditionem, qua de agitur, spectarent, omnia continebat.

Defensio mea haec est:

Inter omnes, qui de iiio bonorum uendendorum ordine scripserunt, ueluti tacito consensu hodie constat, toto eo paraphrasis capite piurima quidem contineri rectae notitiae quasi semina, unumque iiium atque uberem fontem esse, unde ad ea, quae tenuibus admodum riuulis aliunde nobis affluant, caetera possint suppleri. Simul tamen uideo hoc testimonium uerissima ratione eorum numero haberi, quae implicita fide indigna ac critica quadam arte tractanda, illico siue reiici siue, quoad eius fieri possit, corrigi atque in melius refor-

Lex bonorum uendendorum.

mari oporteat, ubi primum aut certioribus testimoniis ac documentis aut sanae solidaeque doctrinae, quae et obseruandis hominum moribus uitaeque quotidianae negotiis ac conuersatione, et ratiocinando constituitur ac confirmatur, plane repugnauerint [3]).

Quibus praemissis de legis conceptione secundum omnem illius uenditionis ordinem ac naturam ita mecum considero:

3) Qno magis supradicta iliins testimonii natura appareat, baud inutiie eril, quatenus ius antiquum spectat, integrum exhibere: «. . . erant et aiiae adquisitiones «nniuersales, ueiuti, bonorum «emtio (ἤτοι τῶν πραγμάτων «ἀγορασία), qnae in rebus «(πράγμασι) debitoris uendnn«dis fiebat, per mnitas ambages «muitosque circnitus facta . . . «Et si qnis reperiatur mnltis «debens, officio iudicis credito«ribus facnltas datnr in posses«sionem bonorum commnnis de«bitoris uenire, eaqne disponere, «quemadmodnm sibi condncere «cognouerint. . . . Olim autem «hunc in modum flebant. Si «eneniebat, nt qnis mnltis de«beret, et postea iatitaret neque «defensorem baberet, creditores «conuenientes praetorem adi«bant, boc ei qnerentes: per«mittebatqne iis praetor in pos«sessione esse bonorum debito«ris, erantque in eorum posses«sione per certos dies: bis au«tem diebus praeteritis altera «fiebat ab iis aditio postniantibus, «nt sibi licentia esset unum ex «ipsis constituendi, qui patrimo«nium (τὴν περιουσίαν) deberet «diuendere. Nam quia difficile «erat, omnes in unnm quoque «die conuenire, unum ex ipsis «deligebant, qui *Magister* dice«batur, et ilie deinde contrahe«bat cum iis, qui emere nole«bant. Fiebatque in partibus ur«bis illustribus proscriptio, haec «significans: *Ille debitor noster* «*in caussam uenumdationis inci*«*dit, nos creditores patrimonium* «*huius distrahimus: emptor qui* «*uolet adesto.*» (Seqnuntur uerba snperius p. 95. exhibita) . . . «emptorqne uocabatur *bonorum* «*emptor*, omnesqne actiones, quae «snbeunt bonorum uenditionem «competebant, et quotquot ad«uersus eum erant, iilae in bo«norum emptorem transfereban«tur, atque utiliter et agebat et «conueniebatur, sicuti et *bono*«*rum possessor*: ambo enim prae«torii sunt successores.»

Omnis uenditio, quae constituta auctione fit, a communi emendi uendendique genere, quod inter duos priuatim agitatur, eo maxime differt, quod in hoc ab initio utrique liberum est, tam de re et pretio quam de modo ac tempore, denique de omni re et praestatione, quam contractus ineundi natura recipit, quamlibet condicionem ferre, referre, latam accipere, recusare, eiue aut adiicere aut detrahere, uniuersa contractus lege undique incerta ac fluctuante, donec contrahentium uoluntas in unum tota conuenerit: contra ad illud licitationum genus certa quadam lege opus est, a uenditore empturientibus proponenda, omnibus locis finita et clausa praeterquam pretio: id enim, quum prae caeteris omnibus genere et numero totum semper consistat, adeoque facilem habeat a minori ad maius progressionem expeditamque eius progressionis perceptionem atque aestimationem, aptissimum est, quod in hominum conuentu ac simultanea empturientium contentione a primo uolente quolibet modo offeratur, deinde, quousque eorum qui adsunt studium suppetat, licitando augeatur, ad ultimum nullo addente quasi tacite finiatur, finitumque contractus legem, caeteris partibus primitus constitutam ac stabilitam, compleat et absoluat. Lex bonorum uendendorum.

Sic ubique gentium hodie uideo auctiones institui, eundemque morem apud Romanos olim obtinuisse, cum exemplis [4]) tum utilitate communi, quinetiam insita quadam necessitate mihi persuasissimum est.

4) Videatur *in Verrem I.* 54. seqq. *Cato de R. R.* c. 146. (Ed. Schneideri), conf. ib. c. 144. 145. 147. et seqq. c. 14. — *Lex de opere faciundo* (Puteolis inuenta) apud *Brissonium de* Formulis Lib. VI. c. 72.

Lex bonorum uendendorum.

Hanc uero communem auctionum rationem quum ad bonorum uenditionem adplicaueris, necesse est statuas, lege illa, qua de agitur, uniuersum uenditionis contractum, quo futurae licitationis uictor ex addictione teneretur, per singula capita descriptum comprehendi, ea tantum parte uacua relicta, qua pretium siue quae in ea specie pretii locum obtinet, portio creditoribus ab emptore soluenda definiatur. Quid ergo est? Continebitur ea lege nomen decoctoris, bonorum autem qualiscunque descriptio, forsitan etiam creditorum, qui conuenerint (nescio an distinctis fiduciariis ac pigneratitiis) enumeratio, Praetoris ac magistri nullo dubio nomina, solutionis ab emptore praestandae, excepta quantitate, accuratissima praefinitio (ex addictione statim debeatur an certa die, quibusue pensionibus), quin pro rei qualitate, opinor, aliquando satisdationis ab emptore praestandae praescriptio, denique quaecunque pro uariis caussarum figuris cum utilia creditoribus tum emptoribus subleuandis atque alliciendis apta fuerint uisa.

Haec igitur sunt, quae illa bonorum uendendorum lege censeam comprehendi solita esse.

Quid autem quod *Theophilus* de portione creditoribus soluenda narrat contineri?

Nimirum certa ac finita nullo pacto contineri potuit, quae futura demum licitatione esset conficienda. Quod quum omnes intelligerent, paululum quidem a Theophilo recedere legisque quam tradidit formulam corrigere necessitatis esse iudicauerunt; Id uero quo parcissime fieret, ita consuluerunt, ut portionem illam

numero descriptam in lege retinerent, et taxationis quodammodo locum obtinuisse statuerent, unde licitandi exordium fieret, neque qui minus esset oblaturus cuiusquam nomen reciperetur. Lex bonorum uendendorum.

Ego uero ingenue fateor, mihi nullam eiusmodi taxationis neque utilitatem neque rationem apparere. Quid enim? Venditio necessaria erat ac quocunque modo peragenda. Neminem autem, ut plus quam placeret offerret, cogi potuisse in aprico est. Ipsis denique creditoribus, quousque uideretur, licitare et ius et consuetudinem fuisse constat. Quaenam tandem, quaeso, caussa dicetur, quin consueto auctionum more liberaque licitatione totum negotium transactum fuerit?

Quod si negari non potest, nihil sane relinquitur nisi ut in sententia persistamus, quam supra posuimus, uidelicet uacuam hoc uno fere loco legem promulgari solitam esse. Neque si quid ueri inest iilis, quae ex communi omnium puto sententia de Theophili auctoritate antea statuimus, maior religio erit, ex iusta caussa unam legis qua de agitur clausulam euacuare, quam antea fuit, iniussu eius caeteras omnes supplere.

Reliquum est, ut admoneamus, uerissimum uideri, quod et *Theophilus* tradit et uulgo placet, uenditionis illam legem palam proponi atque libellis, quibus iampridem bona generaliter essent proscripta, adiici et quodammodo subiungi solitam esse.

---

§. 6.

Subseciuae quaestiones.

Extremo loco nobis constitutum est de ignominia disserere, de qua, utrum a *missione*, *possessione*, *proscriptione* an a *ueuditione* atque *addictione* originem ceperit, inter Viros doctos summam esse dissensionem supra indicauimus.

Ignominia. Nimirum in illam sententiam discesserunt *Bethmannus*[1]) et *Walterus*[2]), in hanc alteram *Puggeus*[3]), *Heffterus*[4]), *Zimmernius*[5]) et nuper pedetentim *Savinius*[6]).

Qua in controuersia haec potissimum loca inuicem inter se opponi solent, ab hac quidem parte *Gaii Comm. II. §.* 154., ab illa uero *Legis Iuliae municipalis c.* 8.[7]) et *pro Quinctio c.* 15. aliaque complura.

Atque *Gaius* quidem in d. loco disertissimam fecit mentionem *ignominiae*, *quae accedit ex uenditione bonorum*. Quid autem? quaestionem ibi hanc nostram

1) Handb. d. Civ. Proc. §. 29. p. 314.

2) Rechtsgeschichte p. 769. — Nescio an addam *Dirksenium* ad Tab. Heracl. P. II. p. 116.

3) Rhein. Mus. f. Jurispr. T. II. p. 88.

4) Inst. d. Civ. Proc. p. 560.

5) l. l. §. 76. p. 238. §. 77. p. 244.

6) System d. heut. R. R. P. II. §. 77. p. 180. — Conf. etiam *Stieber* l. c. p. 55. *Rein* R. Pr. R. p. 501.

7) *Tabulae Heracleensis* lin. 115—117., apud *Dirksenium* p. 71. seqq.

tractat dirimendamque sibi proposuit? Nihil minus. Ignominiae. Immo obiter tantum atque de necessariis heredibus disserens in hanc materiam incidit[8]), eiusque iuris uniuersum exitum atque effectum animo comprehendit, neque de singulis partibus earumue successione ac differentia animaduertit aut omnino curauit. Quid ergo est? *Venditionis caussa* bona plerumque et possidentur et proscribuntur, quinetiam caetera omnia, quae in hoc iure peragendo usu ueniunt, unam illam uenditionem spectant, eiusque praeparandae caussa comparata sunt. Quae quum primum, bonis uenditis atque addictis, ad ordinarium suum exitum peruenerunt, quid mirum, illa omnia, certa primitus quadam progressione finitisque temporibus distincta, iam *uenditionis* quasi uno actu ac nomine comprehendi? Etenim qui uenditione bonorum ad finem usque peracta nullo dubio existimationem amisit, quid attinet quaerere, num forte etiam aliquot diebus prius quam bona addicta essent famae detrimentum ceperit?

In summa, leui momento aestimo illa *Gaii* uerba, nec magis me mouent, quae et uerborum tenore et

8) d. §. 154. «Unde qui facultates suas suspectas habet, «solet seruum primo aut secundo «uel etiam ulteriore gradu liberum et heredem instituere, ut, «si creditoribus satis non fiat, «potius huius heredis quam ipsius «testatoris bona ueneant, id est, «ut *ignominia, quae accedit ex* «*uenditione bonorum,* hunc potius heredem quam ipsum testatorem contingat: quamquam «apud Fufidium Sabino placeat, «*eximendum eum esse ignominia,* «*quia non suo uitio sed necessitate iuris bonorum uenditionem* «*pateretur:* sed alio iure utimur.» — Confer etiam Comm. III. §. 154. «Item si cuius ex sociis «bona publice aut priuatim uenierint, soluitur societas» rei.

Ignominia. consilio dicentis similia aliunde[9]), partim ex ipsis contrariae rationis praesidiis[10]); repeti potuerint[11]).

Mitto haec; ad ea uenio, quae ab altera parte proferuntur.

Prima sunt supradictae legis Iuliae uerba haec:

«*Ne quis . . . in Senatu, Decurionibus Conscriptisque esto, neue cui . . . in eo ordine sententiam dicere ferre liceto, qui . . . . . cuiusue bona ex Edicto eius, qui iuri dicundo praefuit praefuerit*[12]), *praeterquam si cuius, cum pupillus esset reiue publicae caussa abesset, neque dolo malo fecit, fecerit, quo magis reipublicae*

9) L. 11. C. Ex quib. cau. infa. (Imp. Alexander). «Debitores, qui bonis cesserint, licet ex ea caussa bona eorum *uenierint*, infames non fiunt.»

10) Pro Quinctio c. 15. «Cuius uero bona *uenierunt*, . . . is non modo ex numero uiuorum exturbatur, sed si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur.»

11) Sunt etiam quae contra afferas, uelut *Plinii* Ep. VIII, 18. «Domitius Afer, qui illos in nomen assumpsit, reliquit testamentum ante octo et decem annos nuncupatum; adeoque postea improbatum sibi, *ut patris eorum bona proscribenda curauerit.* Mira illius asperitas, mira felicitas horum: illius asperitas, *qui numero ciuium excidit*, quem socium etiam in liberis habuit: felicitas horum, quibus successit in locum patris, *qui patrem abstulerat.*»

12) Verissime *Dirksenius* l. c. p. 216. «Haec uerba, inquit, non de magistratibus urbis Romae, sed de magistratibus municipiorum, coloniarum etc. . . . accipienda esse satis apparet.» — Nec licet ad huius legis tempora referre, quae legimus in L. 26. Ad municipalem, L. 4. De iurisdictione, et similia. — Conf. *Savigny* Geschichte d. R. R. im Mittelalter T. I. p. 30. seqq. Item: Ueber das altrömische Schuldrecht in Commentationibus Academiae Berolinensis anni 1833. p. 90. 92. 93.

« *caussa abesset, possessa proscriptaue* [13]) *sunt*, Ignominia
« *erunt* » rel.

Iam ipsam huius legis sanctionem, quibus personis ius publicum ita sit deminutum, ad existimationem ignominiamque pertinere, hodie inter omnes constat [14]). Ecce igitur opulentum legis testimonium, quo possessione ac proscriptione, non addictione demum existimationem periisse confirmetur. Nec facile audiendus erit qui uerborum proprietate neglecta existimauerit, uerbis quidem eum demonstrari cuius bona possessa proscriptaue essent, re autem et ueritate eum potius intelligi qui plenam absolutamque bonorum uenditionem passus esset. Nam ut taceam de Romanis, ad concipiendas exarandasque leges omnium hominum diligentissimis, subtilissimis, scrupulosissimis, quae ratio est existimare, nostrae legis latorem, quum bonorum uenditionis ad finem usque peractae effectum, qui Romae iampridem obtinuisset, Italiae quoque ciuitatibus impertire uellet, adeo rudem atque ineptum fuisse, ut pro *bonorum uenditione*, re ac nomine notissima paratissimaque, singulos aliquot actus, praeparandae uenditionis caussa comparatos, *possessionem* scilicet ac *proscriptionem*, demonstraret, adeoque ex certissimo uulgatissimoque iure ambiguum atque incertum efficeret?

13) Nihil offensionis habere uidetur disiunctiua haec particula. Conf. *Gaii* Comm. III. §. 79. cum Comm. IV. §. 102. Praeterea L. 53. De V. S. 206. seqq. — Quae *Dirksenius* ad Tab. Heracl. p. 102. contra uidetur disserere, ad propositam saltem clausulam non pertinent. Conf. ibid. p. 116.

14) *Savigny* l. c. p. 197. 201.

Ignominia.

Plus dico, in ipso eius capitis tenore uideor mihi inuenire, unde luculenter appareat, considerate consultoque fieri, ut *possessio ac proscriptio* demonstretur, *uenditio* penitus omittatur.

Quid enim? quod excipitur *qui pupillus fuerit, reiue publicae caussa abfuerit, neque dolo malo fecerit quo magis reipublicae caussa abesset;* nonne certissimo argumento est, de ipsa *possessione ac proscriptione* legis latorem non *dicere* solum uerum etiam *sentire?* Quippe si de bonorum uenditione sentiret, quid attinuit illas personas excipere, quarum bona aliquando *possideri* quidem, at numquam *uendi* licere explorati iuris fuit? [15])

Quibus perspectis sequitur, ut caussam hanc orationemque Quinctianam intentius excutiamus, nam eam quoque ab eadem parte atque legem Iuliam praesidio uocari, supra relatum est.

Iam per totam orationem [16]) Tullius non affirmat solum, sed uehementissime etiam conqueritur, per illam sponsionem, de qua iudicium est, ex re pecuniaria capitis caussam esse effectam, omnemque Quinctii agi famam atque existimationem.

Omitto caetera, uelut *aduersarium cupere nefarie Quinctium interficere, uitam et sanguinem eripere*

15) L. 6. §. 1. Quib. ex cau. in po. e. *(Paullus)* «Cum dicitur «*Et eius cuius bona possessa* «*sunt a creditoribus, ueneant,* «*praeterquam pupilli et eius, qui* «*reipublicae caussa sine dolo* «*malo abfuit:* intelligimus, eius, «qui dolo malo abfuerit, posse «uenire.» — Conf. L. 35. De bon. auctor. iud. po.

16) Conf. c. 2. 6. 8. 9. 13. 14. 15, 16. 22. 28. 31.

conari atque eius generis complura, quae nimia esse oratoriaque quadam licentia exaggerata, nec nisi miserationis augendae caussa accumulata libenter concedam. Ignominia.

Illud uero praedictis omnibus puto inesse uerissimum, si Quinctius sponsione uinceretur, futurum fuisse, ut ignominiam infamiamque iure constitutam subiret. Quod qua ratione euenturum fuerit, supra accuratius expositum est [17]).

Neque me fugit, *Puggeum*, alias haud spernendum auctorem, contra statuere [18]), omnia illa uana oratorieque conficta fuisse, neque ullum famae periculum ab hoc iudicio Quinctio imminuisse. Quam tamen sententiam probatissimis quibusque auctoribus merito displicuisse censeo [19]); quin a Tullio nostro pro turpissimo probro depulsam uolo. Nam ex caussae commodo uera augere, quinetiam falsa, ubi probandi spes sit, tentare oratorem, facili negotio officii studiique habebit excusationem; at per totam defensionem de iure notissimo ita mentiri, ut non modo *Aquillii*, sapientissimi iudicis, sed ne mediocris quidem cuiusquam fallendi spes sit, id uero stultitiae atque impudentiae, non Tullianae eloquentiae est.

Enimuero si, ut par est, fidem nobis Cicero facit, de fama Quinctium iudicio, quod agitur, periclitari, nae illud quoque palam est intelligere, famae illud detrimentum *possessioni* bonorum non *uenditioni* coniunctum

17) Vide §. 1. p. 20. seq.

18) Rhein. Mus. f. Jurisprudenz 1828. p. 88.

19) *Zimmern* l. c. p. 238. *Bethmann-Hollweg* l. c. p. 282. seq. 314. *Niebuhr* R. G. T. I. p. 642. (Ed. 3.) *Savigny* l. c. p. 209.

Ignominia. esse. Quippe bona uendita esse nemo contendebat, neque cuiquam in mentem ueniat, Ciceronem futuram fortasse bonorum uenditionem ex satisdandi inopia demonstrare: quod quam alienum sit a mente oratoris, in eo maxime perspicuum est, quod cum ostentatione quadam praedicat, Quinctium ad satisdandum non modo idoneum uerum etiam paratum fuisse, dummodo aequo iure utrinque obseruato existimationi eius consulere Naeuius uoluisset [20].

At uero uestigia, in quae adhuc incidimus, eandem omnia partem demonstrant. Ergo tandem secundum illos sententiam dabimus, qui primam possessionem a Praetore impetratam proscriptionemque illico secutam existimationis interitum fuisse contendunt?

Nondum expedita mihi res est. Nimirum cum in caussa Quinctii tum in eius iuris ratione sunt complura, quae diligentius etiam reputanda esse uideantur.

Statim occurrit, quod supra docuimus [21], cuius bona possiderentur, eum intra dies triginta, nulla satisdatione oblata, iudicio sese defendere aduersariumque de possessione depellere potuisse.

Num uero credibile est, qui propter bona sua a creditore uno pluribusue possessa ne satisdandi quidem necessitate obstringeretur, neque, quamcunque litem suscepturus esset, ad modicum hoc satisdandi onus pro suspecta persona haberetur, eundem hoc ipso iam tempore atque ob unam illam caussam eorum numero fuisse, qui in omne uitae tempus existimatione famaque destituti, ignominia notati, denique publico ciuium

20) Conf. supra §. 1. p. 21. 21) §. 3. p. 72.

iure mulctati ac capite quodammodo deminuti esse putarentur? Ignominia.

Alterum est idque grauissimum, ut *sponsionem Quinctii*, quomodo concepta sit, respiciamus. Hac enim sponsione iudicioque inde constituto cum satisdandi necessitatem tum etiam famam Quinctii contineri, suo utrumque loco ut planum fieret, quam intentissimam curam adhibuimus [22].

Atquin hanc sponsionem iussu Praetoris Quinctium fecisse cognouimus:

Si bona sua ex Edicto P. Burrieni Praetoris dies XXX. possessa non essent.

Qua formula quum non simplex possessio, immo *possessio per triginta dies continuata* demonstretur atque in condicione ponatur, nonne consequens est dicere, una cum satisdandi necessitate etiam *famae detrimentum* medium illud inter Praetoris permissionem absolutamque uenditionem tempus tenuisse, uidelicet *bonorum possessioni a Praetore ex Edicto impetratae atque per dies triginta continuatae* iure coniunctum fuisse?

Haec uero coniectura neque sua sponte absurdi quidquam habere uidetur, et ualde meo quidem iudicio confirmatur uniuersa illa iuris ratione, qua supra docuimus [23], nisi diebus istis triginta accedentibus nihil ex bonorum possessione a Praetore permissa neque absoluti neque certi iuris natum comparatumue fuisse.

22) Vide supra §. 1. p. 3. seq. p. 19. seqq. et hic paullo antea p. 104.

23) §. 4. p. 82. seqq.

Ignominia. Denique ad totam caussae Quinctianae speciem ac naturam tam praeclare quadrat, ut neque dissimulare uelim, eam ex huius contemplatione originem cepisse, neque omnino intelligam, quomodo reiecta illa coniectura caussae propositae ius et natura comprehendi possit.

At enim *Gaius* atque *Ulpianus* in supradicta satisdationis commemoratione [24]) de diebus illis triginta tacent; quinetiam *lex Iulia*, quam de ignominiae iure paullo antea recitauimus, bonorum possessionem omisso illo temporis spatio demonstrat [25]).

Nostrum igitur erit aut diuersi iuris caussam probare, aut, quum unum ubique ius scribentium animis obuersari statuerimus, uerborum uarie conceptorum rationem reddere.

Mitto prius consilium, parum uniuersae eius iuris rationi, supra propositae, consentaneum; in altero hoc subsistam. Quam uero mihi de ea re comparauerim coniecturam, explicabo breui:

Constat, triginta dierum illud temporis spatium neque *Gaio* incognitum neque omnino ea aetate exoletum fuisse. Nam *Gaius*, ubi de bonis possidendis uendendisque ex professo tractat [26]), ita loquitur:

«Siquidem uiui bona ueneant, iubet ea Praetor «*per dies continuos triginta* possideri et pro-«scribi» rel.

24) *Gaius* in Comm. IV. §. 102. *Ulpianus* in L. 33. §. 1. De reb. auctor. iud. po. — Utriusque loci uerba inuenies supra p. 4. seq.

25) Verba exhibui paullo antea p. 102.

26) Comm. III. §. 79.

Quid igitur? Qui ex Edicto iussuque Praetoris bona aliculus possidet, quomodo possidet? Nempe *per dies triginta.* Qui ex Edicto Praetoris bona possedit, quomodo possedit? *Per dies triginta.* Cuius denique bona ex Edicto Praetoris possessa sunt, quomodo possessa sunt? Utique *per dies triginta.* Ignominia.

Quid ergo est? Admodum credibile mihi uidetur, cum ex Edicti forma tum ex uniuersa eius luris ratione consuetudinem quandam loquendi obtinuisse, qua uerba illa *ex Edicto bona possidere*, *possedisse* et similia praecipuo quodam sensu etiam illud triginta dierum spatium in se reciperent, eaque proprietate et ad artis usum et in uulgari hominum conuersatione quasi per compendium ualerent.

Sic ipse orator noster uerba *ex Edicto possidere* non dubitat absolute usurpare, ubi possessionem per dies triginta continuatam intelligit [27]), quiuetiam ultra modum illud nostrum interpretandi genus in alio quodam defensionis capite extendit, eaque uerborum forma *ex Edicto possidere* tentat uel caetera omnia comprehendere, quaecunque ab eo, qui a Praetore lussus bona possideret, ex Edicti praeceptis obseruanda fuerint [28]).

27) Conf. c. 14. v: «*Quinctii bona, inquit, ex Edicto possessa* «*sunt*», cum Edicti sponsionisque formula in c. 8. — Adde ex hoc ipso c. 8.: «clamabat . . . «Quinctius, sese idcirco nolle «satisdare, ne uideretur indi«casse *bona sua ex Edicto pos*«*sessa esse.* — c. 23. «*si ex* «*Edicto possedisti*, quaero cur «bona non uenierint, cur cae«teri sponsores et creditores non «conuenerint» rel.

28) c. 27. «Praetor te quem«admodum possidere iussit? opi«nor ex Edicto . . . Num quid «est caussae, quin, si longe ali«ter possedit, quam Praetor edi«xit, iste ex Edicto non posse«derit, ego sponsione uicerim?» rel. Conf. c. 29.

Ignominia Quod quum facit Cicero, testimonium praebet, nostram illam interpretationem neque inauditam esse, neque a Romanorum indole plane alienam; quod perperam facere eum confiteor, non nocet: nec enim nouum est, quae sermonis usu constant, ad infinitum haud esse protrahenda[29]), neque conueniens esse, uerbi cuiusdam proprietatem, usu receptam, ac iuris quoque rationi consentaneam (qualis est quam supra demonstrauimus) adeo urgere atque cum captatione quadam amplificare, ut et sermoni consueto uis inferatur et uerborum cauillatione falsa iuris ratio effingatur.

Sic igitur, ut ad propositum redeam, nihil mihi obstare uidetur, quominus etiam *legis Iuliae* supradictis uerbis « *cuiusue bona ex Edicto eius, qui iuri* « *dicundo praefuit, praefuerit, possessa proscriptaue* « *sunt, erunt* », temporis illud spatium tacite comprehensum esse censeamus.

Quod quum propter rationem antea expositam iam per se nullam habeat offensionem, nescio, an etiam consulto in ea lege siue *triginta dierum* siue quodcunque temporis spatium *certo dierum numero finitum* omittatur, peculiari fortasse ea ratione, quod huius legis latori neque constiterit neque necessarium uisum fuerit, per omnia Italiae municipia similique ordine oppida in omnibus Edictis magistratuum, qui iuri di-

29) Propterea nihil officit, quod in aliarum rerum iure definiendo etiam statim post missionem bona et possideri et possessa esse dicuntur, ueluti in L. 6. §. 7. Quae in frau. cred. Conf. L. 10. §. 16. eod.

cundo ubicunque praeessent, eundem plane *triginta* dierum numerum bonis possidendis constitui. Ignominia.

Deinde ad principalem illum Gaii locum [30]) satis erit animaduertisse, nonnisi per indicem eam rem tractari, eaque mente, ut qui accuratius uelit satisdationum illarum caussas cognoscere, ad Praetoris Edictum remittatur.

Quid enim? si *Gaius*, quum eum nominaret, *cuius bona a creditoribus possessa proscriptaue sunt*, duo haec uerba addidisset: *ex Edicto*; nihil foret cur offenderemur. Quis autem sibi persuadebit, Gaium, quo diuersa exprimeretur sententia, data opera duo illa uerba omisisse?

Superest unus ille *Ulpiani* locus, *L.* 33. *§.* 1. *De reb. auctor. iud. po.* [31]).

Quem quum antea in satisdationis iure exponendo ad *Ciceronis* tantum aetatem negauerim contra ualidissima testimonia ualere [32]), iam eo peruentum est, ut ne noui quidem iuris, quod *Ulpiani aetate* obtinuerit, fidem mihi faciat.

Quid igitur? Vel hoc loco uerba *post bonorum possessionem* perinde accipiemus ac si diceretur *post dierum triginta bonorum possessionem*?

Quod quum per se quidem facile processerit, fateor tamen minus expeditum esse, propter illud quod opponitur *antequam bona eius possiderentur*: nam his

30) Comm. IV. §. 102. — Verba exhibuimus integra supra p. 4.

31) Loci tenorem uide supra p. 5. not. 4.

32) Vide supra §. 3. p. 72.

Ignominia. quoque uerbis triginta dierum intellectum impingere durius sane et uix ferendum fuerit.

Quid autem si *Ulpianus* disertis uerbis *dierum triginta possessionem* expressisset, num propterea diuerso huius fragmenti tenore, atque nunc est, uteremur? Haud credo. Constat enim, *Iustiniani* aetate ipsam quidem *possessionem* bonorum superstitem fuisse, reliquum uero bonorum uendendorum ordinem cum antiquis illis temporum spatiis eorumque iure et effectu iamdudum in desuetudinem abiisse [33].

Quare *Triboniano* potius cum caeteris Iustinianearum legum compositoribus quam *Ulpiano* ueteribusue Iureconsultis tribuendum est, quod nulla nobis neque illius spatii triginta dierum neque plerarumque rerum ad antiquum bonorum uendendorum ordinem pertinentium uestigia in Digestis superesse uidemus.

Nec dissimulabo, quod fragmentum illud et uerborum structura et sententiarum coniunctione habet inconcinni, contorti, suspiciosi, eius culpam, mea quidem coniectura, non tam *librariis* [34]) quam ipsis *Digestorum*

33) pr. I. De successionibus sublatis. Conf. L. 9. L. 10. C. De bon. auctor. iud. po. L. 8. §. 3. C. De praescript. XXX. uel XL. ann., et rel. *Zimmern* l. c. §. 86. p. 270. seqq. *Bethmann-Hollweg* l. c. §. 27. p. 290. seqq. §. 31. p. 340. seqq.

34) Vide *Cuiacium* in Comm. ad Tit. Dig. De R. I. (in Opp. T. VIII. p. 676.) «In L. 33. §. 1., «inquit, uidetur deesse uersus, «ita scilicet, ut pangatur post «uerbum *suscipiat*, deinde in«serantur haec uerba: *sed si* «*alius defensionem eius suscipiat,* «*debet satisdare*» et rel. Citat L. 5. §. 3. Quib. ex cau. in po.

conditoribus, qui parum considerate aliquid eiecerint uel mutauerint, imputandum esse.

e. et L. 63. De iudiciis. — Conf. ibid. p. 782. Addesis Basil. T. I. p. 543. Denique *Cuiacius* ad d. L. 5. §. 3. (in Obss. X, 29.) ait: «Omnino mens Ulpiani haec «est; hunc quidem esse morem, «ut, si *post dies XXX.* quam bo«na debitoris ex Edicto possessa «sint, . . . ipse debitor defen«sionem sui suscipiat, satisdet «iudicatum solui stipulatione» et rel. — Male *Pothier* ad d. L. 33. (h. t. Art. 5. N. 13.) secundum Glossam adnotat: «Et «quidem quum *ipse se* defendit, «satisdat duntaxat *iudicio sisti*, «si *alius* eum defendat, satisdat «*iudicatum solui.*»

§. 7.

Alfenus Quinctium absentem recte defenderit necne.

Rei gestae species.

Ex facto constat, Sextum Alfenum, quum Naeuius a P. Burrieno Praetore, ut bona Quinctii ex Edicto possideret, impetrasset, ac bona proscribere, singularum rerum possessionem adprehendere coepisset, illico et ui manuque repugnauisse et procuratoris loco se obtulisse, exinde in iure cum Naeuio constitisse atque ad quodcunque iudicium Quinctii nomine accipiendum paratum se ostendisse; quod autem Naeuius postularet, ut iudicatum solui satisdaret, recusauisse, atque Praetore, uti Naeuius postulasset, decernente, tribunos plebis appellauisse; tandem iusta intercessione haud insecuta ita discessum esse, ut Idibus Septembribus, quae proximae essent, Quinctium sisti Alfenus promitteret [1]).

Quaestio.

Unde duplex oritur quaestio:

Prima: Recte an perperam Praetor decreuerit, qui iudicatum solui Naeuio satisdare Alfenum procuratorem iusserit.

Altera: Si recte dixeris decreuisse, utrum ita comparata fuerunt, quae post decretum redditum euenisse

1) Vide c. 6. 7. 19. 20. 21. 22. 26. 28.

cognouimus, ut iusta inde Alfeni defensio ex iniusta constitueretur? Quaestio

Atque priorem quidem quaestionem merito statueris eo totam redire: uerone Alfenus an falso *negauerit* (sunt ipsa Ciceronis uerba[2]) *aequum esse procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet si ipse adesset.*

Qua in re ecquis est, cui non statim succurrat, apud Romani iuris auctores nihil tam exploratum unoque consensu comprobatum esse, quam quod etiam in prouerbium fere transiit, neminem alienae rei sine satisdatione idoneum defensorem intelligi[3])? Alfenus satisdare debuerit necne

Ad hanc igitur regulam qui Alfeni illum locum dirigerent, dubitare non potuerunt, quin sententiam *pro Naeuio* darent, atque Praetoris decretum iustum et aequum fuisse pronunciarent. Quo numero inuenitur Doctorum pars sane maxima, ueluti olim *Menardus*, nostra uero aetate *Zimmernius*[4]) et *Bethmannus*[5]).

Nec tamen defuerunt, qui aliter de ea re statuerent, ac partim in caussae Quinctianae specie partim

2) c. 7. s. fi.

3) Vide *Gaii* Comm. IV. §. 101. et §. 1. §. 5. I. De satisdationibus. Deinde *Gaii*, *Ulpiani*, *Paulli*. *Modestini* testimonia in L. 46. §. 2. L. 51. §. 2. L. 52. L. 53. De procuratoribus, L. 35. §. 3. L. 36. eod. L. 63. De iudiciis. L. 5. §. 3. Quib. ex cau. in po. e. L. 10. L. 5. §. 3. Iudicatum solui. L. 5. §§. 19. 20. De O. N. N. L. 166. L. 110. §. 1. De R. I. L. 21. Ratam rem haberi. L. 14. Qui satisd. cog. L. 21. §. 3. Ex quib. cau. mai. — Vatic. Fragm. §. 317. — Adde: L. un. C. De satisdaudo L. 12. C. De procuratoribus. Conferatur etiam *Consultatio* Vet. IC^{ti} c. 3., *Paullus* R. S. I, 3, 5.

4) l. c. §. 161. p. 482.

5) *Versuche über einzelne Theile der Theorie des Civil-Processes.* p. 235. *Handbuch d. Civ. Proc.* §. 26. p. 283.

Alfenus satisdare debuerit necne.

in communi iuris ratione inuenire sibi uiderentur quae Alfenum nullo iustae defensionis detrimento a satisdando liberassent.

Quorum primus quidem *Hotomanus*[6]) omnem illam de satisdando controuersiam sic explicat:

Naeuium statuit iure postulaturum fuisse, ut *Alfenus ipse suo nomine satisdaret, iudicatum a Quinctio solutum iri:* atquin Naeuium id magis postulauisse, *ut Quinctii nomine Alfenus satisdaret, Quinctium iudicatum soluturum esse;* recusandam igitur ab Alfeno eiusmodi satisdationem fuisse, *ne iure possessa esse Quinctii bona confiteretur.*

Hanc equidem sententiam, tamquam prisci temporis uniusque hominis errorem hodie sua sponte explosum atque obsoletum, silentio praeteriissem, nisi his nostris diebus instaurata et quasi recocta in publicum denuo prodiisset [7]). Quamobrem uenia mihi erit admonenti, defensorem, quum ipse nec dominus condemnetur [8]), nonnisi *pro se* iudicatum solui satisdare; quinetiam si fieri posset, ut *procurator dominum iudicatum soluturum esse* satisdaret, tamen id ipsum nisi *suo nomine* procuratorem promittere non potuisse. Nisi forte pro nihilo reputandum est, quod a pueris didicimus, neminem praeterquam in suam personam

6) ad c. 7. u: *Negat Alfenus* rel. — Auxilio uocat uolissimam illam L. 10. Iudicatum solui, quae, quam crassam ineptamque contineat interpolationem, illo tempore uel doctissimum latuit, hodie ne tironibus quidem ignotum est. Videsis librum meum *de Litis Contestatione et re iudicata*, Turici 1827. §. 41. p. 328.

7) Conf. *Klotzii* notam ad c. 7. pro Quinctio, v: *Iste postulat* rel. p. 575.

8) *Gaii* Comm. IV. §§. 86. 87.

posse promittendo contrahendoue obligationem suscipere. Alfenus satisdare debuerit necne.

Mitto haec cum per se inania tum orationis pro Quinctio, praesertim narrationis, testimonio funditus destituta. Ad aliam opinionem uenio, eorum scilicet, qui speciosiore certe ratione ad ius commune se contulerunt, eoque consilio quod Alfenus recusandi principium posuisse dicitur uindicauerunt, ut anteriore hac *Ciceronis* aetate diuersum aliquatenus procuratorum ius obtinuisse statuerent, uariisque procuratorum quibusdam generibus discretis unum aliquod seponerent, quod ad satisdandi necessitatem tunc eo loco constitutum fuisset, quo merito Alfenus *negasset*, *aequum esse procuratorem satisdare*, *quod reus satisdare non deberet*, *si ipse adesset.*

« Quod sic uidetur (ait *Rauius*[9]), primus, quem inuenerim eius rationis auctorem) « intelligendum: « *defensores* quidem, siue, ut tunc loquebantur, *pro-* « *curatores uoluntarios*, qui sua sponte absentis de- « fensionem susciperent, satisdare debere; *cognito-* « *rem*, ad certam rem suscipiendam a reo datum, « non accipi sine domini satisdatione; etiam *procu-* « *ratorem*, *quem uulgo dicerent*, *ad certam rem* « *defendendam a reo absente constitutum* recte « satisdare: at *uerum Procuratorem et legitime ita* « *dictum omnium rerum illius*, *qui in Italia non* « *esset*, quasi alterum quemdam dominum et alieni « iuris uicarium, *non magis satisdare debere quam*

9) l. c. p. 51. seq.

Alfenus satisdare debuerit necne.

«*ipsum, si adesset, dominum.* Quodsi, domino in «iudicio in personam reo facto, procurator omnium «rerum actori postulanti iudicatum solui satisdedisset, quod ab ipsis reis fieret, cum pro suspectis «haberentur, ipsum dominum satisdedisse, ipsum, «suam personam in iudicio suspectam esse, confes«sum esse uideri. Non enim talem procuratorem «*defendere* dominum sed *ipsius domini personam* «*in iure sustinere.*»

Enimuero quum talem *Alfeni* fuisse *orationem ac defensionem* Vir doctus potissimum demonstrasset, caetera in incerto reliquisset, mox accessit *Reinius* [10]), cui etiam *pro iuris ratione*, quae illa aetate obtinuerit, eadem coniectura placuit.

Mihi uero communem earum opinionum fontem, qui est in *Caecinlana* [11]), consideranti, deinde ad pretiosum illum *Excursum*, quem de procuratorum origine *Huschkius* composuit [12]), reuertenti, satis arguta atque elegans omnis illa ratio uideri coepit.

10) l. c. p. 487. seq.

11) c. 20. «de liberis autem «quisquis est, procuratoris nomi«ne appellatur (in interdicto scilicet): «non quo omnes sint aut ap«pellentur procuratores, qui ne«gotii nostri aliquid gerant; sed «in hac re cognita sententia «Edicti uerba subtiliter exquiri «omnia noluerunt . . . non enim «alia (est) ratio iuris in hoc ge«nere dumtaxat, utrum me tuus «*procurator* deiecerit, *is qui le*«*gitime procurator dicitur, om*«*nium rerum eius, qui in Italia* «*non sit, absitue reipublicae caus*«*sa, quasi quidam paene domi*«*nus, hoc est, alieni iuris uica*«*rius*, an tuus colonus aut ui«cinus . . . aut quiuis, qui illam «ulm . . . tuo rogatu aut tuo no«mine fecerit.»

12) *ad orationem pro Tullio* c. 17. in *I. G. Huschkii* Analectis p. 283. seqq.

Alfenus satisdare debuerit necne.

Quid enim? Quum paucissima tantum uestigia nobis reliqua sint, unde intelligamus, antiquitus eum solum *procuratorem* fuisse appellatum, qui omnium rerum eius, qui in Italia non esset, reiue publicae caussa abesset, quasi quidam paene dominus esset constitutus, *dominique ad rem familiarem* perinde atque qui *pro Consule* aut *pro Praetore* esset, *ad rempublicam administrandam Consulis* aut *Praetoris* uicem sustineret [13]): nonne credibile est, peculiari quadam iuris ratione multa illis temporibus de hoc procuratorum genere cauta fuisse, quae postea mutatis moribus nouoque iure ingruente euanuissent, atque gliscentibus saeculis etiam in obliuionem abiissent?

Enimuero antiquae huic rationi haud absurde illud aliquis adtribuerit, ut ad *uindicis* fortasse similitudinem [14]) *procuratores* in singulis caussis, *idonei essent necne*, ex sua quisque persona, spectarentur, neque una omnes satisdandi necessitate exaequarentur [15]);

13) *Isidori* Orig. Lib. IX. c. 4. (Ed. D. Gothofredi 1622. p. 1052.) « Procuratores uero eo quod *uice* « *curatoris* funguntur, quasi pro« pter curatores, sicut *Proconsul* « pro *Consule*. — Et *ibidem* c. 3. « (p. 1046.) *Proconsules* subiecti « erant Consulibus, et dicti *Pro*« *consules* eo quod uice Consulis « fungerentur: *sicut procurator* « *curatoris, id est actoris*.»

14) *Gellius* XVI, 10. *Festus* s. v. *Vindex*. *Gaius* IV, 21. 46. L. 22. §. 1. De in ius uocando. *Lex Galliae Cisalpinae* c. 21. *Boethius* ad Topica, c. 2. « *Vin*« *dex* est qui alterius caussam « suscipit uindicandam, ueluti « quos nunc *procuratores* uoca« mus.» — Conf. *Zenger* üb. d. Vadimonium, Laudshut 1826. 8. p. 41. *Zimmern* l. c. p. 341.

15) Vide *pro Quinctio* c. 19. extr., ubi Cicero praedicat, *Alfenum idoneum fuisse*. Conf. L. 51. §. 2. De procuratoribus. L. 166. De R. I. — De antiquo *procuratoris* iure conferatur etiam *Rudorff* ad legem Thoriam, in Zeitschrift f. gesch. R. W. Tom. X. p. 112.

Alfenus satisdare debuerit necne. quinctiam ueterem census agendi morem confirmandi caussa adsciuerit.

Ne plura, haudquaquam displicuit mihi prima facie supradicta Virorum doctorum coniectura, ac prope afui, ut cum Ill. *Schradero* [16]) dubitarem, ne quo iure Ciceronis aetas usa esset, idonea ratio Alfeno fuisset recusare, quin iudicatum solui Naeuio postulanti satisdaret.

Postea uero, quum supradicta illa loca iterum atque iterum perpenderem, et aliis quoque conquisitis inter se conferrem, denique uniuersam caussae propositae et narrationem et defensionem curiose mecum reuoluerem, uariis momentis tandem eo adductus sum, ut omnem illam coniecturam cum a Quinctii caussa tum ab uniuersa Ciceronis aetate repellerem, eorumque sententiae accederem, qui iamdudum iudicauerunt nugas egisse Alfenum, quum pro satisdatione, ad iustam defensionem utique necessaria, carmen istud offerret, quo *negasse* dicitur, *aequum esse procuratorem satisdare quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset.*

Qua in re, ad propositae sponsionis iudicationem nullo dubio grauissima, quae maxime apud me ualuerint argumenta, accuratius explicabo.

Iam primo loco illud iuris praeceptum, neminem sine satisdatione idoneum alienae rei defensorem esse, apud Iureconsultos inde a *Gaii* aetate tam frequenter

16) Ad §. 1. I. De satisdationibus, ubi V. D. allegatis aliquot locis, quibus uulgata iuris regula continealur, quaerere pergit: *Ciceronis aetate num contra obtinuit? Cf. Cicero pro Quinctio* 7. —

Alfenus satisdare debuerit necne

occurrit, tam nulla neque uariatione neque dubitatione, tam prouerbii simile, eo denique omni habitu et aspectu, ut uel propterea uetustatem quodammodo redolere uideatur [17]).

Deinde unus saltem locus apud Ciceronem inuenitur [18]), ex quo satis intelligitur, ne ea quidem aetate nouum fuisse, procuratorem, qui absentem defenderet, iudicatum solui satisdare.

Verum quid attinet foris conquirere quorum domi copiam habueris? Age potius uideamus, quid ex oratione pro Quinctio notitiae affluat.

Atque ut a leuioribus ad ea, quae grauiora sunt, procedam, quiuis facile animaduersurus est, in c. 8., ubi, quid inter Naeuium ac Quinctium e Gallia reuersum coram Dolabella Praetore actum sit, narratur,

17) Vide supra notam 3. p. 115.

18) *in Verrem* II, 24. extr. « Adeunt Bidini; petunt hereditatem; procuratores postulant.... « Insimulant (aduersarii) hominem (Epicratem) fraudandi caussa discessisse: postulant, ut bona possidere iubeat (al. *liceat*). Debebat Epicrates nummum nullum nemini: amici, si quis quid peteret, *iudicium se passuros, iudicatum solui satisdaturos esse* dicebant.» — Nil refert nostra, de lectionis uarietate disserere. Obiter tantum dicam, et *Zumptii* lectionem *(peteret in iudicio, se passuros)*, qua ne ipso quidem nimium delectari uidetur, displicere, neque umquam *Klotzium*, quicquid operum postea emittendorum afferat, mihi probaturum esse quod edidit «. . . peteret, «*iudicio* se passuros.» Quippe uerissimo *Zumptius* de hac lectione iudicat: «*Intelligi nequit*», uanaque sunt omnia, quae *Klotzius* cum de sententia tum de egregia Latinitate eius formulae *iudicio pati* commentus est. At quid sit *iudicium pati*, uel tironibus notum. Conf. *in Verrem* III, 28. *pro Quinctio* c. 20. 28. Praeterea L. 54. pr. De procuratoribus. L. 3. §. 5. De alien. iud. mut. ca. L. 18. §§. 4. 5. De castrensi peculio. L. 4. §. 1. De reb. auctor. iud. po., etc. etc.

Alfenus satisdare debuerit necne.

curiose caussam explicari, cur iudicatum solui sibi a Quinctio satisdari oportere Naeuius contenderit, eoque consilio quasi rem nouam neque antea commemoratam caput illud Edicti recitari, quo, qui iustam possessionem bonorum passus sit, ita satisdare petenti iubeatur[19]. At uero si eadem caussa fuit, propter quam etiam ab Alfeno Naeuius biennio ante, ut satisdaret, postulasset, aegre intelligitur, cur in hac anteriore disceptatione narranda (uidelicet in c. 7. nostro[20]) de illo Edicti capite, quinctiam de ipsa illa satisdationis exigendae caussa orator tacuerit, denique ne aliam quidem postulationis caussam ullam addiderit. Quae difficultas omnis cessat, dummodo supponas, pro quotidiano eoque notissimo *procuratoris* officio, Alfenus ut iudicatum solui ex more satisdaret, Naeuium postulauisse. Siquidem qui ita Naeuii postulatum intellexerit, non solum in d. c. 8. reuera habebit primam neque antea introductam alterius caussae Edictique mentionem, uerum etiam in d. c. 7. *caussam ex qua Naeuius, ut Alfenus satisdaret, postulauerit*, inueniet, non late quidem explicatam, at uel uno uerbo *procurator* nominis uice posito, quantum ad rem omnibus cognitam satis esset, demonstratam.

Porro obserua, quaeso, quemadmodum concepta sint ac composita ipsa uerba illa, quibus Alfenus, quin satisdaret, recusauisse dicitur:

19) Loci tenorem uide supra p. 4.

20) «Iste postulabat, ut *pro*«*curator* iudicatum solui satis«daret. Negat Alfenus aequum «esse» rel. (quae uide supra p. 125.)

«*Negat Alfenus aequum esse procuratorem satisdare quod reus satisdare non deberet si ipse adesset.*» Alfenus satisdare debuerit necne.

Caput igitur huius defensionis in eo ponitur, quod Alfenus ad satisdandi necessitatem Quinctio sese *aequiparauerit*. Unde nonne credibile fit, ea ipsa re contrariam fuisse postulantis rationem, hoc est *diuersitate* quadam, quae inter reum ac procuratorem intercederet, subnixam? Quod si ita est, necesse est ex *Alfeni* persona, hoc est, tamquam *a procuratore*, non ex *Quinctii* persona, hoc est, propter *bona eius ex Edicto possessa*, Naeuium, ut sibi satisdaretur, tum postulauisse.

Quid amplius? si ne fieri quidem potuit, ut ex Quinctii persona, hoc est, propter bona Quinctii ex Edicto possessa, cogeretur Alfenus iudicatum solui satisdare; num fatebimur tandem, nisi *procuratoriam* satisdandi caussam nullam fuisse? Quae res breui potest tota confici.

Etenim ex uniuersa rei narratione, quae in c. 6. et 7. continetur, aliisque orationis locis[21]) apparet, hancce illam inter Naeuium et Alfenum contentionem inde a die V. Kalendas intercalares, quo die Naeuius bona ut possidere liceret Praetorem adierat, statim, id est, proximis illis diebus commissam ac deinceps uix ulla cessatione continuatam esse. Sic traditum accepimus, Naeuium, quum primum Praetor possidere iussisset, statim quarum rerum copia esset adprehendisse, simul

21) Conf. c. 19. 20. 21. 28.

Alfenus satisdare debuerit necne. bona proscripsisse [22]); quum primum Naeuius adprehendere, possidere, proscribere coepisset, Alfenum praesto fuisse, ui manuque obstitisse, seruum prehensum abduxisse, libellos deiecisse [23]): quo facto confestim a Naeuio in ius uocatum secutumque esse, in iure, ne bona Quinctii possiderentur, reclamasse, procuratorem se atque ad iudicium accipiendum paratum ostendisse [24]); deinde Naeuium, ut iudicatum solui procurator satisdaret, postulauisse; id uero Alfenum re-

22) c. 6. «testificatur isto, P. «Quinctium non stitisse et se «stitisse . . . Disceditur: postulat «a Burrieno Praetore Naeuius, «ut ex Edicto bona possidere li«ceat. Iussit bona proscribi» . . . c. 16. 17. 18. «*horae duae fue«runt*. Quinctius ad uadimonium «non uenit . . . postulone a Prae«tore ut eius bona mihi *possidere* «liceat? . . . Non dubitaui, in«quit, quum uadimonium deser«tum esset, bona *proscribere*.»

23) c. 6. «Libellos Sex. Alfe«nus . . . deiicit, seruulum unum, «quem iste prehenderat, ab«ducit.» —

c. 19. «Quo tempore existimas «oportuisse . . . absentem Quin«ctium defendi . . . ? tum quum «postulabas, ut bona possideres? «Nemo adfuit . . . Qui locus igi«tur absentis defendendi primus «datus est? Quum proscribebas. «Ergo adfuit: non passus est: «libellos deiecit . . . Videamus «quae deinceps sint consecuta. «Hominem P. Quinctii depre«hendis in publico, conaris ab«ducere: non patitur Alfenus, «ui tibi adimit, curat ut domum «reducatur ad Quinctium» rel.

24) c. 6. «denunciat sese pro«curatorem esse, . . . sese . . . si «quid agere uelit, iudicio de«fendere. Haec dum Romae ge«runtur, Quinctius interea . . . de «saltu agroque communi ui de«truditur . . . — c. 7. «Alfenus «interea Romae cum isto gladia«tore uetulo quotidie pugnabat . . . «Iste postulabat, ut procurator «iudicatum solui satisdaret. Ne«gat Alfenus rei. — c. 19. «De«bere tibi dicis Quinctium: pro«curator negat. Vadari uis: pro«mittit. In ius uocas: sequitur. «Iudicium postulas: non recu«sat . . . — c. 20. «Postulabam, «inquit, ut satisdaret» rel. — ibid. — «Fatetur enim libellos «Alfenum deiecisse, uadimonium «promisisse, iudicium quin ac«ciperet . . . non recusasse» rel — Conf. c. 21.

cusasse; Praetorem decreuisse, iussisse; denique illum tribunos plebis appellauisse [25]). Quid multa? haec omnia quamuis neque uno die neque tranquillo semper usitatoue iuris ordine peragerentur, uix tamen dubitare licet, quin *intra triginta dies* ex quo Naeuius a Praetore iussus bona possidere ac proscribere coepisset, eo res processerit, ut Alfenus satisdare cum ab aduersario postularetur tum a Praetore iuberetur [26]). Alfenus satisdare debuerit necne.

Quae quum ita sint, quae ratio est credere, ex illa formula, *Quod ab eo petat, cuius ex Edicto Praetoris bona* DIES TRIGINTA *possessa essent*, Naeuium ut Alfenus satisdaret, postulauisse? Porro ut ita postulauerit, qui potest intelligi, neque *Alfenum* neque *Ciceronem* uocem unam emisisse, qua triginta dierum spatium elapsum esse negarent, ob eamque saltem caussam (mitto caeteras, quae *Alfeno procuratori* perinde atque postea *Tullio patrono* praesto fuissent) Edictum de satisdatione praestanda deficere contenderent?

Pergo quaerere, cur Praetor, quod iniuste et aduersante Edicto postularetur, caussa cognita illico, uti postularetur, decreuerit, Naeuioque Alfenum, quasi bona Quinctii, uti oporteret, possessa essent, satisdare iusserit [27]). *Tribuni plebis* tandem ubi fuerunt?

25) c. 7. c. 20—22.

26) Videantur in ll. cc. praeter uerba ante exhibita etiam e c. 21. haec: «*Fit rebus omnibus* «*integris, neque proscriptis ne*«*que possessis bonis, ut Alfenus* «*promittat Naeuio sisti Quin*«*ctium.*» — Hic autem ultimus Alfenianae defensionis finis fuit. Conf. c. 7.

27) Hoc decretum in narratione (c. 7.) tacite quodammodo subintelligitur, — Confer tamen c. 20. atque c. 21. v. «*iu con*«*tra Burrieni* (scil. eras familia«ris), *qui iniuriam decernebat.*»

Alfenus satisdare debuerit necne.

Quos quum procurator appellasset, ne unius quidem potuit *certum auxilium* impetrare [28]). *Quis* autem *procurator?* Nempe idem ille *Alfenus*, quem et partium studio [29]) et *Bruti*, qui tribunus plebis tum erat, familiaritate [30]) plurimum potuisse, quinetiam coram Burrieno Praetore turbulentius egisse, atque ad seditionem prope iuris disceptationem perduxisse [31]), denique a Bruto illo, si non iustam intercessionem, at plus aequo tamen impetrasse [32]) adeo perspicuum est, ut ipse *Tullius*, quum summo certe studio Quinctii caussam defenderet, istaque omnia a patrono Naeuii acerrime essent exagitata atque in odium uersa [33]), satius tamen duxerit, rem turpissimam inuidiosissi-

28) c. 7. extr. «Appellantur «tribuni: a quibus quum esset «certum auxilium petitum, ita «tum disceditur, ut Idibus Sep-«tembribus P. Quinctium sisti «Sex. Alfenus promitteret.» Conf. c. 20. «At enim, tribuni plebis «ne audierunt quidem . . . Quid «si M. Brutus intercessurum se «dixit palam, nisi quid inter «ipsum Alfenum et Naeuium con-«ueniret?»

29) c. 21. «. . . id quod Hor-«tensium, quia nuper iniecit, et «quia Naeuius semper id clami-«tat, dicturum arbitror, non «fuisse Naeuio parem certationem «cum Alfeno illo tempore, illis «dominantibus? Quod si uelim «confiteri, illud, opinor, con-«cedent, non procuratorem P. «Quinctii neminem fuisse, sed «gratiosum fuisse. Mihi autem «ad uincendum satis est, fuisse «procuratorem» rel. — Conf. c. 28. in fine, «neque potentia «procuratoris Naenio ius ere-«ptum» rel.

30) d. c. 21. «Bruti, inquit, «*(Alfenus)* erat familiaris, itaque «is intercedebat. Tu contra Bur-«rieni» rel.

31) c. 7. «Alfenus . . . cum isto «*(Naeuio)* . . . quotidie pugnabat: «*utebatur populo sane suo*, pro-«pterea quod iste caput petere «non desinebat.»

32) Vide supra not. 28.

33) Vide anteriores notas 29. et 31.

mamque quodammodo fateri, extenuare, excusare [34], quam apertissimam negare.

Alfenus satisdare debuerit necne.

Ex quibus omnibus quum satis uideatur roboris accedere sententiae, qua statuimus, *procuratoriam* fuisse *nec ex Quinctii persona petitam* satisdationis ab Alfeno exigendae caussam, mitto leuiora accumulare, quibus idem confirmetur.

Reliquum uero est, ut ad unum aliquem orationis propositae locum animum aduertamus, dignum, opinor, qui tamquam lapis Lydius uniuersae huic disputationi admoueatur. Exstat in c. 20. Verba haec sunt:

Locus in c. 20. pro Quinctio.

« *Conaris hoc dicere, neminem exstitisse, qui Quin-*
« *ctium iudicio defenderet? Postulabam, inquit, ut*
« *satisdaret* [35]). *Iniuria postulabas; ita uidebare:*

34) Conf. not. 29. 30. 31. — Adde c. 22. « Si propter partium « studium potens erat Alfenus, « potentissimus Naeuius. Si fre- « tus gratia postulabat aliquid ini- « quius Alfenus, multo iniquiora « Naeuius impetrabat » rel. Et paullo inferius: « Quod si tum « par tibi ius cum Alfeno fuisse « non putas, quia tamen aliquem « contra te aduocare poterat, quia « magistratus aliquis reperieba- « tur, apud quem Alfeni caussa « consisteret, quid hoc tempore « Quinctio statuendum est? » rel.

35) Varietates lectionis hae sunt: Primo e Codicibus: *satisdarent* atque *satisdaretur*. Nominatim autem utriusque laudantur auctores soli aliquot *Oxonienses (Beck.)*. Prius illud etiam Ed. Waldarf. continere dicitur. Continent autem *Parisienses*, quos nuper inspexi, *decem*. Alterum hoc *(satisdaretur)* ex Edd. Ven. Iunt. receperunt *Ernestus* (in pr. Ed.), *Beckius*, *Orellius*, *Lemairius*, *Klotzius*, probatur *Garatonio*, atque uideo duobus Codicibus Parisiensibus inesse. — Deinde e coniectura, uti uidetur, *satisdares* receptum a *Lambino*, *Schützio* placuit *Ernesto* et *Weiskio*. — Quam ipse exhibui, *satisdaret*, *Beckius* uulgatam refert esse Editionum lectionem, nominatim allatis Edd. *Med. Ald. Naug. Crat. Graeu.* 3., et continetur Codice Parisiensi uno. (Vide posthac nostrum caput alterum). Caeterum quid quaeque ualeat, infra apparebit.

Locus in c. 20 pro Quinctio.

« recusabat Alfenus. Ita, uerum Praetor decerne- « bat. Tribuni igitur appellabantur. Hic te, inquit, « teneo: non est istud iudicium pati neque iudicio « defendere, cum auxilium a tribunis petas » rel.

Iam *Hotomanus* aduersus omnium Codicum Mss. ueterumque Editionum consensum mera coniectura emendauit *iubebare* pro *uidebare*, nouamque illam lectionem, sensu diuersissimam, plerisque non solum suae aetatis uerum etiam posterioribus iisque primariis Editoribus, Commentatoribus, Interpretibus probauit. Quorum numero sunt *Lambinus*, *Lallemandus*, *Graeuius*, *Ernestus* [36]), *Beckius* [37]), *Schütziu*s, *F. C. Wolffius*, *Weiskius*, *Orellius*, *Lemairius*, *Rauius* [38]), *Osiander* [39]).

Qui Viri docti omnes, nisi sensus quandam necessitatem in animum sibi induxissent, numquam sane Codicum Mss. fidei coniecturam anteposuissent.

Atque, ut in transitu tantum admoneam, aliis quoque coniecturis alios, ueluti *Manutium* [40]), *Freigium* [41]),

36) « Edidi, inquit, *iubebare*. « ut coniecit *Hotomanus*, edidit « primum Lambinus. Edd. Vett. « habent fere *uidebare*, ut *W.* « *R. B.* etc., quod natum est syl- « laba prima *iu* inuersa, ut sex- « centies factum est in libris scri- « ptis et editis.»

37) Vide in *Additamentis* p. 390.

38) l. l. p. 52.

39) *Marcus Tullius Cicero's Werke* T. XXVII., *Reden* übersetzt von *C. N. Osiander* T. 1., Stuttgart 1832. 16.

40) Coniecit: *ita: iubebat Pr.*, i. e. *Praetor*; quod nemini placuit. — Nescio quo iure *Gruterus* tradat, Manutium maluisse *iubebatur*. *I. Gronouius* recepta *Gruteri* nota edidit *ita uidebaris*.

41) In textu (Ed. *Francof.* 1624. p. 34.) edidit: *satisdaret* et *uidebare*. At in notis p. 37: *ut satisdaret Quinctius iudicatum solui: Deinde: ita iubebatur*, « sic « enim, inquit, puto legendum, « ut intelligatur *Quinctius*.»

Facciolatum[42]), indulsisse, nunc uideamus, qua ratione dux illorum omnium, *Hotomanus* coniecturam suam, tam illustri applausu florentem, confirmauerit. Locus in c. 20. pro Quinctio.

Nimirum ad uerba *ita uidebare* sic adnotauit:
« *Manifestum mendum. Corrigendum putarem* IU-
« BEBARE, *ut etiam adiuuetur coniectura, de qua*
« *diximus supra, Naeuium postulasse, ut Alfenus*
« *procurator satisdaret, non suo, sed Quinctii no-*
« *mine: et ob eam caussam sic loquutus sit, ut*
« *diceret, iussum Quinctium satisdare; non autem*
« *in tertia persona Alfenum.*»

Ecce igitur tibi iterum oblatam illam Hotomani opinionem de satisdatione pro Quinctio praestanda, quam sine ulla dubitatione ac fortissima, puto, ratione supra reiecimus[43]).

Sed sinceros esse decet. Quin igitur ultro fatebimur, magnopere illam *Hotomani* coniecturam *iubebare* consentaneam esse etiam alteri illi sententiae *Rauii* caeterorumque existimantium, *caussam* saltem, cur Alfenus satisdaret, *e Quinctii persona* petitam fuisse. Qua in redarguenda ita adhuc elaborauimus, ut neque ineptam nec nisi hoc loco, in quo uersamur, attentissime examinato penitus repudiandam esse statuerimus.

42) Ille V. D. propriam sibi effinxit coniecturam: *ita uidebat*, sensu Vulgatae parem, uerbis deteriorem, Garatonii ratiocinatione funditus euersam, iamdudum uulgo explosam.

43) Vide supra p. 116., ubi etiam *Klotzium* cum Hotomano sentientem inuenimus; quare miror eum ad hunc locum adnotanisse, se ne intelligere quidem lectionem *iubebare:* quam caeteroquin manifesto errore *Orellio* perinde attribuit, quasi primus eam in textum hic intulisset.

Locus in c. 20. pro Quinctio.

Plus etiam largiar. Lectio *iubebare* ita conuenit ei sententiae, ut simul nostrae, qua statuimus, *pro procuratore, non propter bona Quinctii ex Edicto possessa*, Alfenum satisdare Naeuio postulanti iussum esse, penitus aduersetur; adeoque caussae nihil dico, quin aut haec, quam adhuc defendimus, sententia, aut illa lectio *iubebare*, omnino sit reiicienda.

Quid enim? qui *iubebatur* satisdare, quisnam fuit? *Alfenus*, opinor.

At in hoc nostro loco quis *dicitur iussus esse?*

Quinctius. Nam ad Alfenum, diu antea mortuum [44]), non potest hercle is sermo dirigi.

Qui ferendum est hoc?

Ita ferri sane poterit, si apparuerit, ad aliquam rem *pro una persona* Quinctium atque Alfenum et fuisse et habitos esse.

Eiusmodi autem res alia potest esse nulla nisi caussa illa propter quam satisdandum fuit.

Quid ergo est? Si *procuratoria* satisdatio fuit, quae ab Alfeno exigebatur, manifestum est, non posse eo loco Alfenum unam cum Quinctio personam sustinere. Neque tam infans reperictur quisquam, qui *Quinctium dominum absentem* satisdare iussum esse dicat, quum *Alfenus procurator* idcirco iussus esset, quia nemo alienae rei idoneus defensor sine satisdatione intelligeretur.

Contra si *ex persona Quinctii*, h. e. propter bona Quinctii ex Edicto possessa, Alfenus ad satisdandum compellebatur, qua de caussa etiam Quinctius, si

44) Vide c. 22. —

praesens ipse iudicium acciperet, satisdare deberet, modica quadam neque intolerabili licentia dici potest *Quinctius* satisdare iussus esse, quum propter personalem domini condicionem *Alfenus procurator*, qui uicem eius teneret, iussus esset.

Locus in c. 20 pro Quinctio.

Constat igitur, si genuina sit *Hotomani* lectio IUBEBARE, *procuratoriam* illam satisdationis exigendae caussam, quam adhuc defendimus, stare non posse.

Ex quo simul tamen efficitur, omnia, quibus antea procuratoriam hanc caussam probare studuimus, eadem ratione etiam ad infirmandam repellendamque lectionem *iubebare* ualere.

Illis uero argumentis quum *Codicum Mss.* auctoritatem adiunxeris, quos ad unum omnes lectionem *uidebare* tueri cognouimus, ex artis criticae praeceptis expeditissimum sane erit statuere, nisi communi Codicum lectioni idoneus sensus plane nullus elici potuerit, coniecturam istam *iubebare*, ne per se quidem probabilem, omnimodo esse repudiandam.

Videamus igitur, uulgata antiquitus lectio *uidebare* quemadmodum intelligatur, oppugnetur, defendique possit.

Qua de re *Garatonius:* «Cicero, inquit, cum dixisset *Iniuria postulabas*, addidit *ita uidebare*, «modestiae caussa, ne in litigantium concertatione «narranda iudicium ipse ferret. Neque enim hoc «loco demonstrandum sumserat, satisdationem a «Naeuio iniuria postulatam fuisse. Sed illud erat «ei propositum, ab Alfeno Quinctium iudicio defen- «sum ostendere. Ait igitur: quia iniuria postulabas,

Locus in c. 20. pro Quinctio.

«*aut saltem iniuria id facere Alfeno uidebare*, «hic recusabat. Vox autem *ita* nonne repetita a «Naeuio ex Tullii responso potest existimari? Quasi «dixerit Naeuius: *ita uidebar uerum* etc. Adde «quod *uidebare* recte conuenit cum *postulabas*; nam «de eodem homine dicitur: at *iubebare* non recte «cum *satisdaret*, quod item de eodem» rel.

Hanc sententiam *Beckius* tam in textu quam in adnotatione ab initio quidem secutus est, mox autem, a Censore reprehensus[45]), partim quia membrorum concinnitas iuberet haec *Naeuii non Ciceronis* esse uerba, partim quia uix credibile esset, Ciceronem mitigare uoces duriores in aduersarium uoluisse, cui numquam pepercisset: de sententia depelli se passus est, ac paucis telis non tam defensionis caussa quam inter fugam emissis[46]), in aduersariorum castra concessit, lectionemque *iubebare* sibi quoque iam placere professus est[47]).

Sed uereor equidem, ne speciosior illa refutatio quam solidior sit iudicanda.

45) In Bibliotheca Germ. uniu. noua, Kiliae 1796. Vol. XXV. p. 213. seq.

46) «Opponi, inquit, potest: «si uerba *ita uidebare*, referan-«tur ad iudicia omnium, quibus «haec caussa erat cognita (*uide-«bare omnibus iniuria postulare*), «ne inesse quidem his mitiga-«tionem orationis durae, et Ci-«ceronem distinguere suum iu-«dicium, aliorum opinionem, «et Alfeni patroni factum.» — Qua tergiuersatione nulli rei, opinor, medela potest afferri.

47) «At mihi quoque (sic pergit dicere) «nunc probabilior est «lectio *iubebare*, cum propterea «quod uerba *recusabat Alfenus* «rectius referuntur ad id, quod «Praetor iussit, tum quia con-«cinnitas membrorum magis ser-«uatur, et *iuberi* atque *decernere* «possunt distingui.» — Qua de distinctione paullo post uidebimus (not. 48.)

Quid enim? Recte anonymus ille V. D. negauerit, Ciceronem quidquam in oranda hac caussa eo animo mitigasse, *quominus Naeuius laederetur*, nonne hoc loco potuit alio quodam consilio, quod diceret, mitigare? Num praeter *Naeuium aduersarium* nemo aderat, cuius auribus orator posset parcere uelle? Quid si *iudicem* et qui in consilio essent, denique uel caeteros audientes respexisset? Locus in c. 20 pro Quinctio.

Aperiam planius quod sentio.

Fac uerum esse, quod supra pluribus argumentis confirmauimus, hac quoque caussae Quinctianae aetate perinde ac postea apud *Gaium* caeterosque Iureconsultos, explorata iuris ratione procuratori, qui absentem iudicio defensurus esset, iudicatum solui satisdandum fuisse: quid proficiet Tullius, si maxima uoce ac pro re indubitata contenderit, iniuria Naeuium postulauisse, ut Alfenus procurator iudicatum solui sibi satisdaret?

Nihil, opinor. Siquidem non satis est uociferari, nisi etiam *probaueris iudici;* prauam autem eam iuris rationem C. Aquilio numquam probare potuisset. Quinetiam pertinacius insistendo et iudici et iis, qui in consilio essent, caeterisque audientibus suspicionem iniecisset, infirmo illo loco uno totum consistere, quod Tullius summo studio contendebat, recte Quinctium absentem ab Alfeno defensum esse.

At enim recusauerat Alfenus quin Naeuio satisdaret. Ergo nec taceri id potest, neque sine excusatione aliqua proferri. Unde fit, ut ad Naeuii uerba «*Postulabam ut satisdaret*» Tullius reponat quidem: «*Iniuria postulabas.*» Quod quum probe sciat nemini se pro-

Locus in c. 20 pro Quinctio

baturum, praeterea quo appareat, etiamsi *iure Naeuius postulauisse* uideatur, inde Quinctii caussae detrimenti nihil accedere, statim mitigandi caussa adiicit »*ita uidebare.*« Ea igitur excusatione praemissa (»*Iniuria postulabas, ea saltem Alfeni erat opinio*«) subiicit ex facto: »*Recusabat Alfenus.*« — Iam superuenit quidem decretum Praetoris, Alfeno aduersum; id uero Cicero infirmare studet tribunorum, quae secuta sit, appellatione, earumque rerum mentione, quae ex illa appellatione prouenerint. Unde quasi retro uires accrescunt improbabili illi dicto »*Iniuria postulabas*«, prudenti consilio modeste antea tentato, uerbisque »*ita uidebare*« adiectis ad primum aditum mitigato. Etenim qui opinionis suae seu erroris uix habet excusationem, cum *negat absentis defensorem satisdare debere*, ei, quamuis ne Praetori quidem satisdare iubenti obtemperauerit, spes tamen relinquitur uincendi, *etiam iustam sine satisdatione defensionem suam fuisse,* dummodo recusanti sibi tribunorum auxilium accessisse probauerit.

Quod uero tribunorum auxilium quatenus Alfeno contigerit, quaeue interuenerint aliae res et Alfeni tunc defensioni et Quinctii iam caussae utiles, inferius apparebit: nunc satis est docuisse, sensum inesse communi Codicum lectioni UIDEBARE, neque eum ineptum, immo commodissimum, sententiarum concinnitate praestantissimum, denique illi iuris rationi consentaneum, quam ualidis argumentis supra confirmauimus *Ciceronis* iam aetate obtinuisse atque inde ad *Gaii Ulpianique* tempora conseruatam traditamque peruenisse.

Quae quum ita sint, nullo numero habendae erunt

Locus in c. 30 pro Quinctio.

istae uerborum illecebrae, quibus secundum Censorem suum *Beckius* aliique multi ad *Hotomani* coniecturam traducti sunt. Quamquam, ut uerum fatear, me quoque prima facie delectauit membrorum illa, quam dicunt, concinnitas, ac praeclare uisae sunt sermoni concitato et uehementi conuenire breues illae et quasi abruptae sententiae, singulae sua quaeque tum arguendi tum redarguendi ui ac potestate praeditae, simplices omnes, compositae nullae, altercationis modo et impetu inuicem sese excipientes, altera ex altera ueluti prosilientes.

Verumtamen membrorum dispositionem uerborumque concinnitatem ita considerari conuenit, ut ne uera mens dicentis sensusue necessitas negligatur. Qua parte quum et communis ratio iuris [48]) et caussae, in qua

48) Iam perspectis unde rei summa constat, iuuat etiam minora quaedam breuiter tantum perstringere. Quid est, quod apud *Beckium* (uide supra p. 132. notam 47.) legimus, «uerba *Recusabat Alfenus* rectius referri «ad id, quod Praetor iussit»; deinde, «*iuberi* atque *decernere* «distingui posse»? Enimuero haud absurde aliquis putauerit, magis conueniens esse, ut quod aduersarius postulauerit, recusetur, quam quod Praetor iusserit. At uero hic, opinor, subest Hotomanus, qui nouam quodammodo iuris artem ex ista coniectura sua composuisse uidetur. Ait enim: «Ex hoc loco apparet, «inter *iussum* et *decretum* Praetoris quid intersit. *Recusatio* «enim contra *iussum* interponi«tur, *decreto* uero aut *parere* «necesse est aut *ab eo appellare*. L. 14. De re iudicata (!)» Idem ad c. 8. v°. *Decernit:* «Moris «erat, ut prius *iuberet* Praetor, «postea *decerneret*. Aduersus *ius*«*sum recusare* licebat, aduersus «*decretum* non licebat. Sed hoc «loco *decernit* inuidiose pro *Iubet* «*et ad decernendum se comparat* «posuit.» — Quae contra lepidissime *Facciolatus:* . . . «Mihi «negotium facessit discrimen il«lud inter *iubere* ac *decernere*. «Ac nisi *Hotomanus* probet, peto «hanc ueniam, ut, quod *uerbo* «ille *asserit*, nobis *uerbo negare* «liceat. Cicero itaque hoc loco

Locus in c. 20 pro Quinctio.

uersamur, species atque imago [49]) et loci illius (*satisdare Alfenus* debuerit necne) per totam orationem pro Quinctio habitam constitutio [50]), pro uulgari lectione

«promiscue utitur uerbis *iubeo* «ac *decerno*; nec ullo modo ne«cesse est inuidiosam hanc κα«τάχρησιν inducere. Adde huc, «quod si Cicero ex *Hotomani* «sententia usus esset uerbo *de«cernit* ad inuidiam, cum non«dum renera *decreuisset* Dola«bella, sed tantum *iussisset*, «multo magis usus esset uerbo «*decernit*, cum Dolabella renera «decreuit ac litigatores dimisit: «atqui uerbum *iubet* adhibuit: «*Aut satisdare aut sponsionem* «*iubet facere, et interea recu*«*santes nostros aduocatos acer*«*rime submoueri.* Ergo nullum «est hoc loco excogitandum dis«crimen inter haec duo uer«ba.» — Unde commodissime idem V. D. ad locum nostrum concludit, ex Hotomani coniectura *(iubebare)* illud accedere incommodi, quod ea, quae statim sequuntur, *Verum Praetor decernebat*, nihil noui habeant, et uideantur quodammodo gratis addi. — Unum hoc adiicio, tanto magis istam *Hotomani* distinctionem improbandam esse, quod *pro tribunali, litigatoribus praesentibus, caussa orata cognitaque* haec agantur. Cuius rei quis crediturus est eum ordinem fuisse, ut prius actor postularet, deinde Praetor iuberet, mox is quicum agitur recusaret seque defenderet, tum Praetor tandem deliberaret secum atque decerneret?

49) At enim uidendum, ne contra ueniant, quae in c. 7. continentur: «utebatur populo «sane suo, propterea *quod iste* «*caput petere non desinebat.* Iste «postulabat, ut procurator iudi«catum solui satisdaret» et rel. Nonne *Quinctii* caput Naeuius dicitur petiisse? Ita. Ergo bona Quinctii ex Edicto possessa in caussa fuerunt, cur Naeuius, ut sibi ab Alfeno satisdaretur, postulabat? Minime uero. — Etenim, ut mittam caetera, non idcirco Naeuius dicitur *caput Quinctii petiisse*, quod a procuratore, ut sibi satisdaret, postulauerit, uerum quod, nisi absens, uti oporteret, h. e. *satisdato*, defenderetur, haud dubie in possessione bonorum obtinenda persistebat atque pro iure suo contendebat, ut Praetor potestatem imperiumque sibi accommodaret, ne, quominus bona possideret, caeteraque ad uenditionem pertinentia suis quaeque temporibus ex Edicto perageret, uim ab aduersario pateretur.

50) Caute ac timide paucissimisque uerbis ubique Cicero eam rem attingit. In narratione (c. 7.) decretum Praetoris omittit; in

uidebare omnia faciant, qua denique seruata nulla sermonis non modo deformitas sed ne inelegantia quidem appareat: pessima sane ratione factum est, ut posthabita omnium Codicum auctoritate coniectura textui insercretur, uerbis quidem primaque facie speciosa, re autem et ueritate uana omni modo atque perplexa. Locus in c. 20 pro Quinctio.

Quibus perspectis reliquum est, ut de altera illa lectionis uarietate, quam in exhibendo loci nostri tenore subnotauimus, dispiciamus.

Nec longa erit ea disputatio.

Quippe lectionem *satisdarent* nihil esse nisi mendum, inter omnes uidetur constare [51]).

Coniectura autem *satisdares* eodem prorsus pretio aestimabitur atque altera illa, cui corollarii loco accessit: coniecturam dico *iubebare*, ualide, opinor, modo repulsam.

Quae supersunt, uidelicet *satisdaret* et *satisdaretur*, tam sensu quam critica auctoritate utrumque potest consistere; quod si optionem mihi permiseris, eligam *satisdaret*.

c. 20. nostro non reprehendit; ubi reprehendit (uidelicet in c. 21. v. «in contra Burrieni *qui* «*iniuriam decernebat*»), quo tenore fuerit, quone iure constiterit, silentio praeterit, nec curat in memoriam reuocare. — Quae omnia argumento sunt, ius satisdationis, in alterutram partem haud dubie ea quoque aetate certum uulgoque notum, a Naenio potius atque Praetoris decreto stetisse.

51) Audax negotium fuerit statuere, Aifenum *cum aduocatis*, denique *omnes qui ab ea parte adessent* intelligi, eamque *pluralis numeri* caussam esse. — Est quidem in oratione mentio eius aduocationis, at satis a nostro hoc loco remota. Conf. c. 8. 22.

Primae quaestionis solutio

Sed ut ad propositum reuertamur (de Praetoris enim decreto, iustum fuerit an iniustum, quum quaereremus, ad illum uexatissimum locum delati sumus), nunc totum illud concludi sic licet, ut ad priorem illam quaestionem a principio constitutam satis firmato animo respondeamus:

Recte Praetorem decreuisse, quum iudicatum solui Naeuio actori satisdare Alfenum procuratorem iuberet.

§. 8.

Alfenus Quinctium absentem recte defenderit necne. — Continuatio.

Illis perspectis quae proxime disputata sunt, sequitur, ut ad alteram quaestionem supra positam transeamus.

Videndum igitur erit, an eiusmodi fuerint, quae post decretum a Praetore redditum accidisse dicuntur, ut quam Alfeni defensionem merito Praetor improbasset, iusta inde efficeretur.

Quid igitur accidit?

Primum fuit, ut tribunos plebis Alfenus appellaret. Tribuni ab Alfeno appellati.

Enimuero *qua de re* tribuni appellabantur?

Scilicet aduersus quod Praetor decreuerat, Naeuio Alfenum iudicatum solui satisdare oportere.

Sic uulgo dicitur, neque id perperam, si *proximam appellandi caussam*, quinetiam *communem sermonis usum*, praeterea nihil spectaueris.

Qui uero ipsum appellationis effectum, quem Alfenus appetebat, deinde generalem et appellationis et intercessionis uim ac naturam, denique utriusque magistratus, tam eius, *qui ius dicit*, quam eius, *qui auxilii ferendi caussa constitutus est*, proprium ius et officium reputauerit, pertinere ad rem arbitrabitur

Tribuni ab Alfeno appellati.

intelligi, haudquaquam eam fuisse tribuniciae potestatis naturam, ut quodcunque Praetoris iudicisue decretum, sententiam, emissamue opinionem tribuni pl. aut confirmarent appellati aut in melius reformarent, adeoque quodammodo locum magistratuum iudicumue superiore potestate praeditorum obtinerent: immo illud magis tribunorum potestate officioque continebatur, ut aduersus magistratum, siue ob iurisdictionem siue alia de caussa imperium exercentem, auxilio essent, priuatosque, quos ui imperioque magistratus peti uiderent, aduersus iniuriam appellati defenderent auxilioque suo atque intercessione tuerentur [1].

Ratio et consilium.

Alfenus igitur, decreto Praetoris satisdare iussus, non potuit ea de re directo iure tribunorum auxilium impetrare, neque contrarium eorum decretum elicere, quo satisdari oportere negaretur, eaque ratione Praetoris decretum euerteretur.

Neque imminebat Praetoris imperium, quo recta uia Alfenus ad satisdandum compelleretur, adeoque tribunis plebis auxilii ferendi occasio praeberetur.

Nulla enim est *directa* ad satisdandum coactio.

Enimuero quem satisdare oportet, rei loco consti-

1) Conf. *Huschkium* ad c. 38. pro Tullio, in Analectis p. 155. *Walter* R. G. p. 162. seq. p. 85. et ll. ibi citt. — Videatur imprimis *Gellius* XIII, 12. «Sed quaerentibus nobis, quam ob caussam tribuni, qui haberent summam coërcendi potestatem, ius uocandi non habuerint: quod «tribuni plebis antiquitus creati «uidentur *non iuri dicundo nec* «*caussis querelisque de absen*«*tibus noscendis, sed intercessio*«*nibus faciendis quibus praesen*«*tes fuissent: ut iniuria, quae* «*coram fieret, arceretur;* ac pro«pterea ius abnoctandi ademtum, «quoniam, *ut uim fieri uetarent*, «assiduitate eorum et praesen«tium oculis opus erat.»

tutum, is, nisi satisdet, non recte defendit, siue semetipsum, quum suo nomine conuenitur, siue alium, cuius procurator est. Tribuni ab Alfeno appellati.

Atquin aduersus eum, qui sicut oportet iudicio non defenditur, paratum est Praetoris imperium, quod primum siue ducere iubendo siue in possessionem bonorum mittendo, deinde, si quis contempta magistratus auctoritate aut ducenti aut possidenti repugnauerit obstiteritue, ui manuque exerceatur.

Hic igitur primus tribunis auxilii ferendi locus erit.

Enimuero id ipsum auxilium cui personae accommodabitur atque cum effectu suo profuturum est?

Alfeno? Nego. Quis enim Alfeno satisdare recusante non defenditur? Nempe *Quinctius.*

Quippe *Alfenus* nullo iure obstrictus est, non modo ut satisdet, uerum etiam ut uel tantulum Quinctium defendat. Itaque Alfeno, siue satisdare recusanti siue alio quocumque modo procuratoris officium detrectanti, nulla Praetoris coactio imminet. Contra, si nemo adsit, qui recte atque ordine procuratoris munere fungatur defensionemque, uti oportet, suscipiat, *Quinctii* absentis bona possidebuntur, suoque tempore creditoribus conuocatis, magistro creato caeterisque ex Edicto Praetoris rite peractis uenibunt[2]); interea autem Naeuio, ne uim patiatur, quominus siue solus siue cum aliis creditoribus possideat, Praetoris iurisdictio, potestas imperiique uis accommodabitur.

Ergo haec sunt, quorum depellendorum caussa Alfenus non *suo* sed *Quinctii* nomine tribunos pl. appel-

2) Vide supra §. 3. p. 69. seqq.

Tribuni ab Alfeno appellati. lauit: nam haec omnia Praetoris decreto, quo satisdare iussit Alfenum, aut uerbis expressa aut tacite comprehensa ac palam intellecta fuerunt, eademque nullo dubio *Naeuius*, quum primum ab Alfeno in bonorum possessione adprehendenda uim passus esset [3]), a Praetore, nisi Quinctius absens, uti oporteret, iudicio defenderetur, postulauerat atque pro certissimo suo iure acerrime flagitauerat: unde illud quoque intelligitur, quod Tullius in c. 7., re in inuidiam uersa, Naeuium insimulat caput petere haud desiisse [4]).

Alfenus autem apud Praetorem contenderat, ut absentem Quinctium sine satisdatione defendere eiusque nomine iudicium accipere sibi liceret, eaque defensione probata *Naeuius de Quinctii bonis decedere iuberetur.*

Quod quum Praetor denegasset, quinetiam possessionem bonorum, nisi satisduto procurator iudicium acciperet, decreto suo confirmasset, tuendoque possessori paratum sese ostendisset: tum Alfenus, sicut iam antea dictum est, tribunos pl. appellauit, qui *si certum*, quod petebatur, *auxilium tulissent* [5]), h. e. si aduersus Praetoris uim ac potestatem Naeuio accommodandam auxilio se fore pronunciassent, res eo perducta fuisset, ut impune Naeuius cum de possessione deiiceretur tum ab adprehendenda reliquarum rerum possessione repelleretur.

Ne plura, perspicuum est, quod a principio posuimus,

3) Conf. c. 6. 19. 20. 22. extr. 29., et supra §. 7. p. 124.

4) Vide supra §. 7. not. 49. p. 136.

5) c. 7. extr., cuius loci uerba habes supra §. 7. not. 28. p. 126.

Praetoris quidem decretum, quo satisdare Alfenus iussus esset, tribunorum appellandorum caussam, quinetiam cognitioni eorum materiam praebuisse [6]), attamen auxilium illud, quod a tribunis pl. cum petebatur tum exspectabatur, exitu suo atque effectu nonnisi possessionem bonorum futuramque eius tuitionem praetoriam spectare potuisse. Tribuni ab Alfeno appellati

Nec refert, disertis uerbis Praetor in decernendo ista omnia praedixerit et quodammodo denunciauerit, quae futura essent, nisi satisdato Alfenus iudicium acciperet, an et ipse et litigatores caeterique certissimum iuris ordinem exitumque mente solum ac cogitatione prospexerint atque praesenserint. Minime enim nouum est, non tantum de praesenti auxilio ferendo tribunos plebis adiri solitos esse, sed in posterum quoque quod laturi essent auxilium appellatos nonnumquam caussa cognita promisisse [7]).

Quamobrem Alfeno, si iniquo Praetoris decreto satisdare se iussum esse putaret, statim post decretum redditum licebat tribunos appellare, neque exspectandum erat, dum Praetor tuendae possessionis caussa ui manuque imperium exerceret.

Quippe ex more in specie proposita (si ordinem rei gerendae, non quo iure ipsa res fuerit, respicias)

6) Rationi eius iuris atque Ciceronis defensioni consentaneum est, rem ita se habuisse. Ex facto et rei ueritate quemadmodum se habuerit, infra distinctius apparebit.

7) Videsis quae de L. Scipionis Asiatici caussa narrantur apud *Gellium* VII, 19. et *Liuium* XXXVIII, 52. Conf. *ib.* c. 58—60. *Val. Max.* IV, 1, 8. — Remotiora inuenies bene multa apud *Brissonium* de Formulis Lib. II. c. 173. seq., ueluti *Liu.* XXVIII, 45. IV, 53. 60. XLII, 32. — *Val. Max.* VI, 5, 4.

Tribuni ab Alfeno appellati.

fieri potuisset, ut tribuni pl., ab Alfeno appellati, caussa cognita pronunciarent, iniustum uideri Praetoris decretum, quo satisdare Alfenus iussus esset, nil opus esse satisdatione, seque aduersus Praetoris potestatem, quandocunque propter satisdationem recusatam Naeuio bonorum possidendorum uendendorumue caussa accommodaretur, Alfeno, procuratori Quinctii, auxilio futuros esse.

Cuius rei praeclarum quoddam extat exemplum, quo mirifice omnis haec tribunicii auxilii ratio et illustratur et confirmatur.

Exemplum ia c. 38. et 39. pro Tullio.

Etenim in oratione, quam pro *M. Tullio* Cicero dixit, narratur, inter M. Tullium atque Q. Fabium litigatores *de formula concipienda* apud Praetorem contentionem fuisse: Tullium quidem usitatam *puramque* actionem edidisse, Fabium contra, ut unum aliquod uerbum, quod exceptionis uim haberet, adderetur, postulauisse [8]), deinde, quum a Praetore non impetrasset, tribunos plebis appellauisse.

« *At quibus uerbis*, sic pergit Cicero dicere, *in* « *decernendo Metellus usus est? caeteri, quos* « *appellasti? nonne haec omnium fuit oratio, quod* « *ui hominibus armatis coactisue familia fecisse* « *diceretur, id tametsi nullo iure fieri potuerit,* « *tamen se nihil addituros?* »

8) pro Tullio c. 38. 39. — De eiusmodi disceptationibus conf. *de Inuentione* II, 19. 20. *ad Her.* I, 12. *Orat. Partit.* c. 28. *in Verrem* II, 12. I, 46. Etiam tribunorum pl. *de exceptione* appellandorum mentio est in *Acad.* II, 30. «postulant, ut *excipiantur* haec inexplicabilia. *Tribunum* aliquem «censeo uideant: *a me istam* «*exceptionem numquam impetrabunt.*»

Quid igitur est, quod tribuni plebis dicuntur Fabio appellanti respondisse, *se nihil in formulam a Praetore datam addituros esse?* Anne tribunorum plebis fuit, Praetoris formulas caussa cognita redditas corrigere, supplendo detrahendoue emendare? Nihil uero minus. Unde intelligitur, hoc solum illis uerbis inesse neque aliam tribunorum mentem fuisse, nisi ut pronunciarent, *ex sententia sua nihil esse formulae addendum*, immo aequum esse iudicium, quod Praetor dedisset fierique decreto suo iussisset: id iudicium quin acciperet, nullo iure Fabium detrectare: qua de caussa sese auxilio ei non futuros, quominus iudicium accipere a Praetore cogeretur, ac, nisi acciperet, omnia pateretur, quae in eos, qui iudicio recte non defenderentur, constituta essent [9]). Tribuni ab Alfeno appellati

9) Obiiciat aliquis, si haec ita sint, cur tandem tribuni plebis istis uerbis *(se nihil addituros)* tam impropriis in decernendo usi sint, aut *Cicero* in narrando eorum decreto utatur. Enimuero res est apertissima, neque ad excusandam dicendi negligentiam confugiendum, quasi dictum illud, tribunis pl. *cum Praetore* communicatum, ad hunc magis quam ad illos pertineat. Immo uero id unum rogabo, ut illius rei, qua de agitur, ordinem exitumque, totam denique uim et naturam non solum ex iuris subtilitate, uerum etiam ex usu hominum uitaeque consuetudine considerare uelis. Quid ergo, si tribuni pl. (contra quam fecisse dicuntur) Fabium appellantem se audiissent, defensionem INIURIA, uti postularet, formulae addendam sibi uideri, atque se, nisi adderetur, Fabio, quominus ad iudicium accipiendum cogeretur, auxilio fore, pronunciassent: quid Praetor acturus fuisset? Fac pro iure suo eum in sententia perseuerasse, cogere Fabium ad accipiendum iudicium coepisse; quid postea? Nempe tribuni pl. intercessissent, neque Tullius ulla ratione Fabium inuitum ad iudicem adigere potuisset. Ergo Tullius, qui decreto tribunorum promulgato statim, haec ita fore, intelligeret, maluerit, opinor, paullo difficiliorem nouaque aliqua defensione seu

Tribuni ab Alfeno appellati.

Ecce igitur alterum exemplum, ubi, perinde atque in Quinctii caussa statuimus, quod in iure dicendo Praetor decreuit, tribunorum plebis appellandorum caussam iisque cognoscendi materiam praebuit, ipsum uero, quod petebatur, auxilium nonnisi futuram uim imperii, iuris et decreti exsequendi coercendaeque contumaciae caussa adhibendam, spectare potuit.

Contentio inter Alfenum et Ciceronem.

Iam quum perspicuum sit, quo ordine et effectu, qua denique uniuersa ratione tribunicium illud auxilium, quod Alfenus implorasse dicitur, ex iuris publici priuatique forma fuerit; sequitur ut uideamus, quae de ista tribunorum appellatione in caussa Quinctii inter Ciceronem et Hortensium, Naeuii patronum, in utramque partem disputata sint.

Primum est, quod Hortensius fertur negasse, tribunicio auxilio, *etiamsi latum esset Alfeno*, effici potuisse, quominus bona Quinctii ex Edicto possessa esse uiderentur: nimirum qui commiserit, ut bona sua ex Edicto a Praetore possideri iuberentur, ita solum eius iuris effectu molestiaque solui ac liberari posse, si aut ipse se aut procurator *iudicio*, uti oporteret, defendis-

exceptione impeditam actionem quam puram plenissimamque, sed quae tribunorum intercessione irrita redderetur, impetrare. — Quid ad haec Praetor? Haud obstinatior ille quam ipse actor, puto, tribunorum decreto et auctoritati cesserit, exceptionem illam (INICVAIA) ex eorum sententia addiderit, quo magis lis expediri posset. — Quo facto idem sane exitus apparebit, ac si *tribunorum iussu* uel *ab ipsis tribunis exceptio addita esset*. Quid igitur mirum, ubi rei uis magis et effectus quam iuris apices spectentur, tribunos pl. dici in formulam aliquid aut addidisse aut non addidisse?

set; neque esse istud *iudicium pati*, cum auxilium aliquis a tribunis petat [10]). Tribuni ab Alfeno appellati

Quem Hortensii locum quum adeo contemnere se nihilique ducere Tullius noster simulet, ut etiam distrahi se profiteatur, tum tale quid, qna prudentia sit Hortensius, dicturum esse non arbitrari, tum quid aliud dicere possit, non reperire [11]); equidem censeo, Hortensii illud argumentum, ut infirmius fuerit, tamen neque absurdum neque ineptum ridiculumue fuisse.

Nec difficile erit, ueram eius uim genuinamque sententiam perspicere, dummodo reputaueris quae paullo antea de tribunicii auxilii natura disputata atque inde ad propositam speciem deriuata sunt, quomagis intelligeretur, tribunorum auxilium, quaecunque petendi Alfeno caussa fuerit, ui quidem effectuque, qui sperabatur, aliam rem nullam nisi possessionem bonorum, Naeuio a Praetore permissam et conseruatam, spectare potuisse.

Quod qui probe tenuerit, hoc quaeso amplius considerare uelit:

Ius ita constitutum fuit, ut is demum, qui *absentem iudicio defenderet*, bona eius, ne possiderentur, liberare atque euincere posset [12]). Iam uideamus, quid sit *iudicio defendere*.

Nimirum ad eam rem non sufficit *in ius uenire*,

10) c. 20. v. *Hic te, inquit, teneo* rel., quae uide supra p. 128. — Ibidem inferius: *cuius procurator a Praetore tribunos appellare ausus sit, eum non defendi*, rel. — Et c. 28. *neque eum* (scil. ego contendi) *si tribunos appellarit, idcirco minus iudicium pati paratum fuisse.*

11) Vide c. 20.

12) Conf. supra §. 3. p. 72. et §. 2. p. 50.

Tribuni ab Alfeno appellati

altercationem ibi cum aduersario inire, *uerbis* denique *et uociferatione absentem defendere;* sed necessario requiritur, ut iudicium defensor, uti oportet (h. e. etiam *satisdato*) accipiat [13]), ordinato deinde iudicio cum aduersario ad iudicem eat, ibique ex formula litem usque ad sententiam prosequatur [14]). Hoc est *iudicio defendere.*

Quamobrem si quis dixerit, multum interesse, haec aliquis praestaret, an neque accepto iudicio neque satisdatione oblata contra bonorum possessionem a Praetore permissam a tribunis plebis auxilium peteret; enimuero ius ita constitutum esse, ut, qui *iudicio defendisset*, non qui, *ne defenderet*, *tribunos appellasset*, possessionem bonorum, a Praetore ex Edicto permissam, recte ac more dispelleret ad irritumque redigeret: num is plane delirare ac nugas agere uidebitur?

At enim maiorum sapientia talis est reipublicae

13) Haec est caussa cur Cicero etiam atque etiam repetit et inculcat, Alfenum procuratorem ad quoduis iudicium Quinctii nomine accipiendum paratissimum semper fuisse. Vide c. 6. in fi. c. 19. 20. (ter) 21. 28. — Id uero, deficiente satisdatione, uerbo quam re uerius esse, neminem latebit.

14) Hoc loco utile erit animaduertisse, ipsam *iudicatum solui* cautionem, quae uocari solet, non id solum spectare, ut *iudicatum ex iudicis sententia fiat*, uerum etiam, ut *in iudicio recte res defendatur.* Videsis L. 6. Iudicatum solui. *(Ulpianus)* «*Iudicatum solui stipulatio tres clausulas in unum collatas habet: de re iudicata, de re defendenda, de dolo malo.*» — L. 20. De acceptilatione. (Idem) «Si accepto fuerit lata *ob rem iudicatam* clausula, Marcellus ait, *caeteras partes stipulationis euanuisse: propter hoc enim tantum interponuntur, ut res iudicari possit.*» Conf. L. 5. §. 2. L. 13. pr. L. fi. Iudicatum solui, et passim h. t. — Haec qui probe retinuerit, faciliori negotio totum Alfeni in defendendo Quinctio consilium perspecturus est. Conf. L. fi. pr. De procuratoribus.

status, ut ne in iure dicendo quidem Praetoribus infinitum ac quasi regium imperium tribuatur; immo tribuni plebis, auxilii caussa constituti, sicuti caeteris magistratibus, ita etiam Praetori, si quid iniquius decreuerit, caussa cognita intercedere imperiique uim a ciue, qui aduersus iniuriam se appellauerit, lege ac more depellere possint. Tribuni ab Alfeno appellati.

Quid igitur est? Praetor Alfenum iudicium satisdato accipere iusserat; nisi ita acciperetur, bonis Quinctii possidendis, proscribendis, uendendis potestatem suam accommodaturum se ostenderat. Alfeno decretum illud iniquum uidebatur, confidebat, tribunis plebis se probaturum, sine satisdatione iudicium Quinctii nomine accipere sibi licere. Ergo tribunos plebis, magistratum auxilii caussa constitutum, appellauit [15].

Quod si collegium tribunorum caussa cognita pronunciasset, aequum postulare Alfenum, ne sibi quidem uideri satisdare debere procuratorem eius, qui, si ipse adesset, satisdare non deberet, Alfeno se aduersus Praetoris potestatem auxilio futuros: quae tandem caussa dici potuisset, quin iure et more per magistratum legibus constitutum Alfenus a satisdandi molestia decretoque Praetoris sese cum Quinctio liberasset?

Hoc amplius: Si *Fabius* ille, *M. Tullii* aduersarius [16], tribunis plebis, quos appellauerat, probare potuisset,

15) Haec est rei imago, quam audientium animis offundi Cicero studet. Vide c. 7. (supra p. 126. not. 28.) c. 20. «Fatetur . . . «Alfenum . . . iudicium quin ac«ciperet in ea ipsa uerba, quae «Naenius edebat, non recusasse; «*ita tamen, more et instituto,* «*per eum magistratum, qui au*«*xilii caussa constitutus est.*» Adde c. 22. (p. 127. not. 34.) c. 28. — Confer etiam supra p. 143. not. 6.

16) Vide supra p. 144. seqq.

Tribuni ab Alfeno appellati. uocem INIURIA formulae q. d. a. Inseri ius esse, num quis adeo amens fuisset, ut Fabium, qui tribunorum auctoritate munitus iudicium, nisi defensio illa adderetur, accipere recusauisset, recte iudicio defensum esse negaret, eumque duci a M. Tullio aut bona eius possideri uendique oportere statueret?

Unde perspicuum est, in Quinctii quoque caussa, dummodo tribuni plebis decreto suo negassent, satisdari oportere, auxiliumque suum promisissent, uel inde secundum iuris formam iudiciorumque ordinem appariturum fuisse, inique Praetorem decreuisse, recte uero Alfenum defendisse.

Sint ista uera, quatenus *in iure communi* uersantur. Ne Quinctii quidem caussa repugnabo, si recte se habeant, *quae Cicerone duce ex facto adhuc supponebantur* [17]. Atque hoc est quod antea concessi, infirmius fortasse contrarium illud Hortensii argumentum fuisse, modo ne plane absurdum iudicare uolueris [18].

Quid autem? si etiam uerissimum fuerit? siue admodum tamen probabile? multo saltem probabilius quam adhuc apparuit?

Nihil temere affirmabo de re, quae in coniectura uersatur, neque alia ratione consistere potest, nisi ut in animum inducamus, Ciceronem cum in narratione tum in confirmatione sua uno certe loco propter caussae angustias uersute magis quam ex ueritate egisse, falsam rei gestae speciem effinxisse audientiumque animis obiecisse.

17) Vide supra p. 143. not. 6. 18) p. 147. et p. 149. not. 15.

Qua de re priusquam suspicionem meam planius aperiam, necessarium uidetur de tribunicii auxilii ratione et usu, quoue modo aduersus Praetoris iurisdictionem interponi et debuerit et potuerit solitumque sit, pauca denuo praemoneri. Tribuni ab Alfeno appellati.

Atque perspicuum est, Praetoris, qui iuri dicundo praeest, officio id contineri, ut ius ciuile, quale legibus, moribus, magistratuum Edictis, auctoritate Prudentum, aequitate et q. g. a. constat, tueatur, sustineat atque ad effectum perducat, litigatoribus denique in omnibus caussarum figuris *secundum illius iuris praecepta* suum cuique tribuat, potestatemque suam imperiique uim petentibus accommodet. Auxilii uaria ratio.

Ubi a recta ea officii ratione Praetor siue imperitia et errore siue cupiditate deflexerit, atque inique decernendo ipsum illud ius ciuile, custodiae tutelaeque suae mandatum, infregerit, corruperit, contempserit; tunc uero decreti iniuriam passo patebat tribunorum auxilium, quo praetoriae potestatis uim et coactionem sibi depelleret, ipsumque decretum ad irritum reuocaret.

Eatenus igitur intercessio tribunorum plebis *corrigendae* quidem *iurisdictionis praetoriae*, simul tamen *retinendi confirmandique iuris ciuilis* caussa comparata erat; quamobrem si quis ad hodiernum morem potestatum publicarum genera distinxerit, tribuniciam hanc intercessionem haud absurde iudiciario generi adnumerabit, quippe quae, tametsi proximo suo effectu *rescissoria* sit non *reformatoria*, tamen perinde ac quotidiana Praetoris iurisdictio *iure ciuili* tamquam

Tribuni ab Alfeno appellati.

fonte et capite utatur, ad eamque communem normam tota dirigatur [19]).

Quae quidem ut sint uerissima, praecipuamque contineant et quasi ordinariam tribunicii auxilii aduersus Praetoris iurisdictionem dirigendi rationem, ultro tamen concedam, aliquanto latius patere in iurisdictione moderanda tribunorum intercessionem, nec totam ipsis iuris ciuilis finibus, quibus Praetor in iure dicendo utitur, circumscribi.

Quid ergo est? Puto tribunos plebis aliquando, nec libidine solum, sed ex uera potestatis suae indole et natura, etiam aduersus *iusta* Praetoris decreta appellantibus ita auxilium tulisse, ut iure ciuili ac praetorio *aequitatem* potiorem haberent, neque intra *illius aequitatis* terminos se continerent, quae *in communem rationem conuersa* in iure quoque dicendo spectari, quinetiam partibus, ex quibus ius constat, adnumerari solet [20]), uerum quasi altius elata mente publicam quandam priuatamue utilitatem, aut singulorum eorum, qui litigarent, necessitates moresue, denique eiusmodi uarias res amplecterentur, quarum rationem habere effectumque

19) Inde fit, ut *res iudicatae*, quum inter partes illas, ex quibus ius constat, enumerantur, non *Praetoribus* solum cum *iudicibus*, sed etiam *tribunis plebis* tribuantur: *ad Herennium* II, 13. «Constat (ius) ex his «partibus: natura, lege, consue«tudine, *iudicato*, aequo et bono, «pacto. Natura ius est . . . . *Iu«dicatum* est id, de quo sen«tentia lata est aut decretum «interpositum. Ea saepe diuersa «sunt, ut aliud alii iudici, aut «praetori, aut consuli, aut *tri«buno plebis* placitum sit: et fit, «ut de eadem re saepe alius aliud «decreuerit aut iudicarit, quod «genus» rei. Conf. *de Inuentio«ne* II, 22. 54. Top. c. 5.

20) Conf. *Topic.* c. 5. *ad Herenn.* II, 13. *de Inuent.* II, 22. 54. — L. 1. pr. §. 1. De I. et I.

definire nostris moribus non iudiciariae cuiusquam potestatis, sed summae tantum maiestatis esse putatur. Tribuni ab Alfeno appellati.

Qua peculiari ratione quoties tribuni plebis, siue singuli siue pro collegio, aduersus iurisdictionem Praetoris alicui litigatori debitoriue auxilium tulerunt, eiusmodi intercessionc non tam *iurisdictionem* quam *ipsum ius ciuile* aut infirmari aut corrigi euidentissimum est.

Rcapse uero eiusmodi tribunorum auxilium aliquando usu uenisse, cum propter generalem tribunicii auxilii naturam, qua neque iurisdictionem solam spectat, neque aduersus unum aliquem magistratum dirigitur, scd commune ordinariarum in urbe potestatum omnium temperamentum legibus constituitur, credibile est, tum notissimis illarum intercessionum exemplis confirmatur, quas partim Consulibus et qui eorum locum tenebant, in delectu militum [21]) comitiisque habendis [22]) et q. g. a. [23]), partim Praetoribus, in iure praesertim aduersus *debitores* dicendo [24]), denique ipsis

21) *Liu.* II, 43. 44. IV, 1. seqq. 12. 53. VI, 27. 31. *Dionys. Hal.* VIII, 87. IX, 1. etc. — In hac quoque re, quamuis a ciuili iurisdictione diuersissima, distingui tamen possunt quae *extra ordinem* fiebant, *alteriusque huius generis sunt*, ueiuti exempla modo allata, ab eiusmodi tribunorum auxilio, quod *in iure ipso*, non *ciuili* quidem at *militari*, uersatur, nec nisi iusta caussae eius, qua de agitur, cognitione constat. Cuius ecce exemplum apud *Liuium* XLII, 32. seqq., et alias.

22) *Liu.* VI, 35. — Contra iuris (publici) tuendi caussa: *Id.* VII, 17. XXVII, 6. XXV, 2.

23) De *tributo conferendo* uide *Liu.* IV, 60. V, 12. VI, 31.

24) *Liu.* VI, 27. 31. 34. — *Id.* XXXVIII, 58—60. *Val. Max.* IV, 1, 8. — Apud eundem auctorem (VII, 7, 6.) traditur *Consulis* aduersus ius a Praetore de testamento aliquo dictum mira quaedam huius generis intercessio, quae tamen, dummodo ad sequentem narrationem transeas (*ib.* §. 7.), proxime tibi uidebitur ab *illo arbitrio* distare, quod

Tribuni ab Alfeno appellati.

etiam tribunis plebis aliisque magistratibus in publicorum iudiciorum accusationibus instituendis quaestionibusque exercendis [25]), persaepe oppositas fuisse a Romanarum rerum scriptoribus docemur.

Neque idcirco alteram hanc tribunicii auxilii rationem demonstrandam putaui, quia certa aliqua Quinctianae caussae utilitas siue necessitas flagitasset, sed eo maxime consilio, quo faciliorem transitum pararem ad tertium quoddam intercessionis genus, quod *facto* tantum non *iure* constat, atque ex *uitiosa* potius *hominum natura* quam ex *ciuili ratione ulla* originem duxit.

Nimirum amplissima quaeque potentia in libidinem facillime uergit, neque magnopere mirandum, tribunos plebis, quibus ex magna atque iusta caussa propterque summam utilitatem aduersus *ipsum ius ciuile* auxilium ferre, quodque *iure ciuili praestaret*, decernere liceret, aliquando etiam *in peius* inde deuiasse, iniuriaeque concessisse quod summae tantum aequitati deberetur.

Qua parte etiam maius atque frequentius genuinae solidaeque iustitiae periculum creatum esse existimo, quum tribuniciae potestatis naturam, ipsorumque tribunorum plebis studia, mores, acta, hac potissimum Ciceronis aetate, considero. Nec dubito, quin, si priuatae res ac controuersiae ab historiarum scriptoribus tam diligenter memoriae traderentur, quam bella et caetera quae ad populos remque publicam pertinent,

etiam in ipsa iurisdictione Praetores solutissimum nonnunquam adhibuerunt.

25) *Liu.* XXXVIII, 52. *Gell.* VII, 19. — *Liu.* III, 24. — *Ascon. in Milon.* c.14. (apud *Orellium* p.47.)

uel hodie nos, perinde atque de seditiosis ac turbulentis in republica gerenda tribunis plurima legimus, pariter etiam abundaturi essemus exemplis eorum, quae inter dissensiones praesertim ciuiles in auxilio aduersus Praetorum iurisdictionem siue ferendo siue denegando a tribunis plebis odio et gratiae partiumque studio concessa, atque citra ullam aequitatis excusationem ambitiose cupideque gesta essent. Tribuni ab Alfeno appellati.

Hortensius Naeuium defendens negauit, fuisse Naeuio parem cum Alfeno certationem illo tempore, illis dominantibus. Haud improbabile quidem id ipsum, quicquid Cicero contra dicat. At magnum certe hac aetate eorum litigatorum numerum fuisse, qui uerissime ita quererentur, ecquis in dubium uocabit?

Atqui perspicuum est, quo maior spes esset iniquae tribunorum intercessionis aduersus iusta Praetorum decreta impetrandae, eo propensiores ad tribunos plebis appellandos fuisse litigatores, qui nullo neque iure neque aequitatis titulo muniti, immo gratia potius, potentia, partium studio, ui et iniuria freti Praetoris iustam, quae sibi impenderet, seueritatem oppugnare, euertere, frustrare atque a se depellere conarentur.

Neque prorsus desunt ex antiquitate exempla eiusmodi appellationum, quas iuri explorato, aequitati, pudori contrarias neque appellantibus neque tribunis pl. honestas fuisse habitasque esse, quinetiam aliquando

26) Vide c. 21.

Tribuni ab Alfeno appellati.

Censoriae animaduersioni obnoxias fuisse, traditum accepimus 27).

27) *Asconius* in orationem in toga candida, ad uerba *Ciceronis*: «Quem enim aut amicum habe-«re potest is, qui tot ciues tru-«cidauit? aut clientem, qui in «sua ciuitate cum peregrino ne-«gauit se iudicio aequo certare «posse?» (apud *Orellium* p. 84.) «... Clientem autem negauit (Ci-«cero) habere posse C. Antonium: «nam is multos in Achaia spo-«liauerat, nactus de exercitu Sul-«lano equitum turmas. Deinde «Graeci, qui spoliati erant, edu-«xerunt Antonium in ius ad M. «Lucullum Praetorem, qui ius «inter peregrinos dicebat. Egit «pro Graecis (C. Iulius Caesar) «etiam tum adolescentulus, de «quo paullo ante mentionem fe-«cimus; et quum Lucullus id, «quod Graeci postulabant, de-«creuisset, *appellauit tribunos* «*Antonius* iurauitque, se id eiu-«raro, quod aequo iure uti non «posset. *Hunc Antonium Gellius* «*et Lentulus Censores* sexennio, «quo haec dicerentur, *Senatu* «*mouerunt*, caussasque subscri-«pserunt, quod socios diripuerit, «*quod iudicium recusarit*, quod «propter aeris alieni magnitudi-«nem praedia manciparit, bona-«que sua in potestate non habe-«ret.» — Conf. *Plutarch.* in uita Caesaris c. 4. —

in Vatinium c. 14. «Quaero «etiam illud ex te, quod priua-«tus admisisti ..., postulatusne «sis lege Licinia et Iunia? edi-«xeritne C. Memmius Praetor ex «illa lege, ut adesses die trice-«simo? quum is dies uenisset, «fecerisne, quod in hac republica «non modo factum antea num-«quam est, sed in omni memo-«ria sit omnino inauditum? *ap-«pellarisne tribunos plebis ne caus-«sam diceres?* ... appellarisne «nominatim pestem illius anni ... «Clodium? Qui tamen quum iure, «quum more, quum potestate «iudicium impedire non posset, «rediit ad illam uim et furorem «suum ducemque se militibus tuis «praebuit.» — Et inferius: «Quae-«ro ex te, Vatini, num quis in «hac ciuitate post urbem condi-«tam tribunos pl. appellauit, *ne* «*caussam diceret?*» (Quo loco conf. *Liu.* XXXVIII, 52. IX, 26.) «Quaero ..., qui consentaneum «fuerit, quum legationis perfu-«gio uti noluisses, *appellatione* «*improbissima te ad auxilium ne-«farium confugisse.*»

Videatur etiam *Caesar* de B. C. III, 20. «Iisdem temporibus (a. u. 706.) «Romae M. Coelius «Rufus *Praetor*, caussa debito-«rum suscepta, initio magistra-«tus tribunal suum iuxta C. Tre-«bonii, Praetoris urbani, sellam «collocauit; et, *si quis appellas-«set* de aestimatione et de solu-«tionibus, quae per arbitrum

Quibus perspectis breuis erit coniecturae meae expositio, qua ratione Alfenus tribunos plebis appellauerit, quo autem iure quaue saltem ueri specie Hortensius negauerit, Alfenum iudicio Quinctium, uti oportet, defendisse, quum auxilium a tribunis petiuerit. Tribuni ab Alfeno appellati.

Orator noster, sicut iam supra dictum est[28]), partim insinuat, partim etiam affirmat, tribunorum appellandorum Alfeno *caussam* quidem fuisse Burrieni Praetoris decretum, quo iudicatum solui Naeuio satisdare iussus esset; *defensionem* autem, iniquum esse procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset; *spem* denique in eo positam fuisse, ut apud collegium tribunorum iniuriae Praetorem conuinceret, suamque illam rationem iuris probaret. Alfeni ratio et consilium.

Mihi uero satis persuasum est, istas res omnes,

«fierent, ut Caesar praesens constituerat (conf. *ib.* c. 1.), *fore* «*auxilio pollicebatur*. Sed fiebat «aequitate decreti et humanitate «Trebonii, qui his temporibus «clementer et moderate ius di«cendum existimabat, ut repe«riri non possent (al. *posse*:, *pos*«*sit)* a quibus initium appellandi «nasceretur. . . . Et ab hoc pro«fectus initio (Coelius) *ne frustra* «*ingressus turpem caussam ui*«*deretur*, legem promulgauit» rel. Conf. cum h. l. *Dio Cass.* XLII, 22.

Postremo loco admonendi sumus, haud fortuito nec sine caussa in consuetudinem uenisse, ut iniustae quaedam intercessiones legibusque contrariae ipsis legibus interdicerentur. Conf. *Lex Galliae Cisalpinae* in c. 20. extr. «Neue quis Magistratus Proue«magistratu, neue quis, pro quo «imperio potestateue erit, inter«cedito, neue quid aliud facito, «quo minus de ea re ita indi«cium detur indiceturque.» — Item *Lex Seruilia repet.* c. 21. (apud *Klenzium* p. 82.) — Contra permittitur intercessio, quae fit *legis tuendae* caussa, ueluti in *Lege Thoria* c. 17. (apud *Rudorffium* in Zeitschrift f. g. R. W. T. X. p. 162. 163. et ibidem p. 76., ubi malim abesset nota 51. Sed de ea alias.)

28) Vide p. 143. et p. 149. seq.

Tribuni ab Alfeno appellati.

caussam, defensionem, spem — non modo iuris ratione infirmas et uanas, sed etiam ueritate falsas atque a Tullio nunc demum temporis caussa effictas esse.

Etenim probe sciebat Alfenus, neminem alienae rei sine satisdatione iustum defensorem esse, atque tam certo illud et ciuili et praetorio iure constare, ut nullus neque magistratus neque tribunus plebis, ne improbus quidem, inueniri posset, qui auderet contra statuere [29].

Quid igitur appellabat Alfenus? Sic existimo: Nolebat Quinctium cum satisdatione, h. e. recte atque uti oportet, iudicio defendere [30]. Caeteroquin omni ope atque opera enitebatur, ut possessionem uenditionemque bonorum absenti ei depelleret. Quod quum iure et ratione nisi iusta defensione oblata assequi nullo modo posset, primo uim tentabat, vociferationem, clamores populi turbasque. Deinde ubi nihil se proficere animaduertit, quoniam, uti uirum fortem et ma-

29) Haud absurde arcessiuerit aliquis quae de firma iuris explorati auctoritate uerissime Cicero disputat et exemplis illustrat in oratione pro Caecina c. 25. «Illud . . . potest dici iudici ab «aliquo non tam uerecundo ho«mine quam gratioso: *Iudica «hoc factum esse* aut *numquam «esse factum . . . : crede huic testi: «has comproba tabulas.* Hoc non «potest: *cui filius agnatus sit, eius «testamentum non esse ruptum, «iudica: quod mulier sine tutore «auctore promiserit, deberi.* Non «est aditus ad huiuscemodi res «neque potentiae cuiusquam ne«que gratiae. . . . Iste uester te«stis, qui ausus est dicere, FECISSE VIDERI eum, de quo, DE «cuius rei argueretur quidem, «scire potuisset, *ipse numquam «auderet iudicare, deberi uiro «dotem, quam mulier nullo au«ctore dixisset.*» — Conf. *in Vatinium* c. 14. (Verba uide supra p. 156. not. 27.

30) Respice quae supra adnotaui p. 148. not. 14.

gistratum decet, ita Burrienus Praetor audaciae obsistebat, neque de statu deturbari se sinebat, perditis omnibus rebus ad auxilium tribunorum tandem confugit: non quo nouum sibi de satisdatione ius statueretur, Praetorisue de ea re decretum, omnium opinione iustissimum, corrigeretur, sed eo potius consilio, ut ipsam bonorum possessionem uenditionemque, quum quae una esset recta et honesta eius depellendae ratio, iusta scilicet ac plena defensio, sibi displiceret, minore molestia aut per gratiosam tribunorum intercessionem frustraret atque euaderet, aut, si parum prospere res apud tribunos pl. cessura esset, adeo tamen moraretur et impediret, donec collegium conuenisset, cognouisset ac decreuisset [31]), quin eo fortasse etiam aliquanto diutius.

Tribuni ab Alfeno appellati.

31) Quae de antiquissimo tribunorum iure apud *Gellium* (XIII, 12.), e *Varrone* potissimum, exhibito quoque *libri XXI. Rerum Romanarum* fragmento, gratissima nobis traduntur (pauca quaedam excerpsi supra p. 140. not. 1.), ea magnam partem non modo *Gellii* sed etiam *Varronis* aetate dudum obsoleta fuisse, ab iisdem his testibus amplissime confirmatur. Quo numero haud dubie illud quoque habendum est, quod demonstratur, nonnisi iis fere rebus tribunos pl. intercedere potuisse, *quibus praesentes fuissent.* Nam crescente tribunorum potentia, nec paullo ante septimum urbis saeculum, eo profecto peruentum erat, ut uix umquam tribuni ui magistratus iam adhiberi coepta ad auxilium fereudum ueluti manibus appellantium arriperentur, immo qui Praetoris decreto parere grauarentur, statim apud ipsum Praetorem profiterentur, tribunos plebis se appellaturos, paullo deinde postea tribunos adirent, potestate facta caussam apud eos orarent, cognitis peractisque, quae illi ad rem pertinere censerent, decretum collegii singulorumue acciperent. (Obserua quaeso totam formam et faciem illius decreti in Scipionis Asiatici caussa redditi, apud *Gellium* VII, 19. Conf. supra p. 143. not. 7.)

Quid interea *Praetor?* Non dubito, quin tribuniciae potesta-

Tribuni ab Alfeno appellati.

Quae omnis ratio gestaeque rei, quam repraesentaui, imago nisi tota me failit, haudquaquam, opinor, tam audax negotium fuit, quam Tuiiius noster uideri sibi simulat, quod Hortensius *negauit istud esse iudicium pati iudicioue defendere, quum auxilium a tribunis petatur*, adeoque significauit, quae possessio bonorum ex Edicto Praetoris impetrata atque adprehensa esset, eam per procuratorem iusta defensione obiata iudicioque uti oportet accepto iure repeili atque ad irritum uocari; eandem uero improba tribunorum appeiiatione, iniqua coiiegii singulorumue intercessione impediri et frustrari *facto* quidem posse, infirmari *iure* inualidamque reddi non posse.

Exitus.

Neque uero ea defensio stricte rectaue uia ad Naeuii caussam dirigitur: nam constat, intercessionem nuilam insecutam esse, neque quemquam tribunorum *certum*, quod Cicero uocat, auxilium Alfeno postulanti tuiisse [32]).

Quid ergo, iniiciat aliquis, attinuit, tam copiose de tribunorum auxilio ac de Alfeni appeiiatione disserere? Nonne ad quaestionem supra positam [33]), *numquid post Burrieni Praetoris decretum noui acciderit, quo iniusta Alfeni defensio iusta efficeretur*, satius fuisset uerbo uno monere, Aifenum tribunos piebis appeliasse

tis uerecundia imperium, donec cognitum pronunciatumque esset, soliius sit inhibere. Unde fit, ut etiam reiecia a iribunis pl. appeilatione, si non *auxilium*, at *mora* lamen praetoriae iurisdictionis, (neque ea ferme perexigua) acquiratur. — Ergo hoc est, quod Hortensius fertur contendisse (c. 20. extr.), morae non auxiiii caussa Alfenum tribunos appellasse? — Est quidem, id uero non solum. Quid praeterea fuerit, inferius apparebit. —

32) Vide supra p. 126. not. 28.

33) Respicias p. 139.

quidem, at neminem intercessisse, ergo decretum Praetoris cum possessione bonorum firmum ualidumque hac parte mansisse? Tribuni ab Alfeno appellati. Exitus.

Sed nihil est cur quasi perditae operae poeniteat.

Quippe magnopere errabit qui putauerit, quoniam iustam tribunorum intercessionem Alfenus non impetrauit, frustra eum nec ullo prorsus fructu tribunos plebis appellauisse.

Age sis uideamus, quid noui superuenerit.

« *A quibus* (scil. *tribunis plebis:* — ipsis utar Tullii « uerbis [34]) *quum esset certum auxilium petitum*, « *ita tum disceditur, ut Idibus Septembribus P.* « *Quinctium sisti Sex. Alfenus promitteret.*»

Ergo, si uerum quaerimus, *uadimonium in personam Quinctii collatum*, Alfenus procurator Naeuio roganti promisit [35]).

Nunc si Naeuius (lubet parumper a re gesta recedere et fictionibus operam dare) in iure antea, quum Alfenus ad iudicium Quinctii nomine accipiendum, duntaxat sine satisdatione, paratum se ostenderet, benigne consensisset, actionem edidisset acceptaque formula in iudicium deduxisset; certus sum neminem dubitaturum, quin recte Quinctius atque uti oportet per procuratorem defensus, possessio uero bonorum aut Praetoris decreto sublata fuisset, aut etiamsi *facto* quidem durauisset,

34) c. 7. extr.

35) De eo genere conf. L. 10. pr. L. 11. L. 12. L. 14. Si quis cautionibus. L. 81. L. 38. §. 24. De V. O. — Qua in re quomagis caueamus, ne diuersa inter se confundantur, adhibenda erit L. 2. §. 5. Qui satisd. cog. et q. g. a.

Tribuni ab Alfeno appellati. Exitus.

iure tamen atque *ad sponsionis iudicationem* ad irritum recidisset.

Quid autem? Si Naeuius etiam faciliorem humanioremque se praebuisset, adeoque monitus ab Alfeno, *aequum esse famae se fortunisque P. Quinctii consulere et aduentum eius exspectare* [36], protinus sese collegisset, misericordiam cepisset, comiterque morem gerens respondisset, se uero exspectaturum esse, dummodo certo die Quinctius sisteretur; denique ab Alfeno, Idibus Septembribus Quinctium sisti stipulatus esset, Quinctius autem id uadimonium ex fide obiisset: nonne uel in ea specie inter omnes conueniret, recte Quinctium absentem esse defensum, neque ullum ius durauisse, quo bona eius ex Edicto aut possiderentur diutius aut abhinc possessa esse iudicarentur?

Unde iam parata uidetur ad ipsam rem inter Naeuium et Alfenum actam transitio.

Quippe in hac quoque cognouimus, Alfenum Naeuio uadimonium promisisse. Id uero, si cum superiore illo uadimonio, quod temporis caussa fictum proposuimus, nulla re nisi *loco* discreparet, altero scilicet coram Praetore altero apud tribunos plebis contracto; satis mihi persuasum est, eodem iure utrumque omnes aestimaturos et esse et fuisse, neque hoc ad defendendum Quinctium absentem minore numero quam illud habituros. Nam explorati iuris duae saltem res esse uidentur, *prima*, qui a procuratore absentis defensionem minus plenam uolens acceperit, eaque contentum se ostenderit, ei de absente recte non defenso queri non

36) Vide c. 6. s. fi.

licere[37]): ***altera***, si quis cum absentis defensore uadimonium contraxerit *in dominum absentem collatum*, hoc est, ut is certo die sisteretur, eam interim iustam defensionem esse, dominoque inde absenti sui defendendi caussa quodammodo *diem acquisitam uideri*, nec diutius habere actorem, quod ante uadimonii diem siue a procuratore siue a domino defensionis nomine requirat aut praetermissum esse merito conqueratur[38]). Tribuni ab Alfeno appellati. Exitus.

Quae quum ita sint, quid hoc tandem loco Hortensius habuit, quod iniustam inualidamque dicere Alfeni defensionem perseueraret?

De iure, quod modo demonstrauimus, repugnauit? Non credo. De uadimonio promisso negauit? Ne id quidem. Quid ergo est? Hanc existimo Hortensii orationem defensionemque fuisse, ut uehementer negaret, liberum Naeuio fuisse, utrum ius suum persequi an uadimonium ab Alfeno accipere mallet. Illum uero

37) L. 5. §. 3. Indicatum soiui. *(Ulpianus)* «Nunc uideamus, «qualis defensio exigatur, ne «committatur stipulatio, et qua- «rum personarum. Et si qui- «dem ex personis eoomeratis in «defensionem quis succedat, pa- «lam est recte rem defendi nec «committi stipulationem: si uero «extriosecus persona defensoris «interueniat, aeque stipulatio «non committetur; si modo ille «paratus sit rem boni uiri arbi- «tratu defendere, hoc est, sa- «tisdare. Sic enim uidetur de- «fendere si satis det. Caeterum «si simpliciter paratus sit inter- «uenire, *nec admittatur*, com- «mittetur ista stipulatio ob rem «non defensam. *Quod si quis* «*eum uel cum satisdatione uel* «*sine satisdatione admiserit*, con- «sequens erit dicere, stipula- «tionis istius nullam partem com- «mitti; *quia sibi imputare* (al. «imputari) *debet qui* (al. quia) «*talem defensorem admisit.*» — Conf. L. 3. De fideiussoribus. L. 10. §. 1. Qui satisdare cogantur. L. 45. pr. L. 61. De procuratoribus.

38) Vereor ne putidum sit, in re perspicua etiam testimonium extorquere Legi 3. De iudiciis.

Tribuni ab Alfeno appellati. Exitus.

procuratoris ui et gratia, M. Bruti aliorumue tribunorum importunitate, iniuria, minis, iniquae intercessionis metu perterritum coactumque uadimonium contraxisse[39]), de iure prosequendo peragendaque bonorum uenditione tantisper remisisse, quomagis sopita tribunorum intercessione possessionem saltem, iure impetratam, sibi conseruaret: denique satius duxisse, retardata uenditione possessionem saluam aut in suspenso tamen retinere, quam quae laboriosa contentione ac Praetoris iustitia adhuc comparata essent, uno ictu omnia amittere[40]).

Quae porro tribuni pl. unius pluriumue intercessio, etiamsi reapse insecuta fuisset, adeo iniusta atque improba uideretur, ut per eam nec Praetoris de satisdando decretum infirmaretur, nec defensio inidonea expleretur, nec possessio bonorum iure depelleretur[41]), eam uero, uti nunc esset, ne tantum quidem ualere, ut, quod ob istius intercessionis iustum metum inuitus atque ingratiis Naeuius cum Alfeno uadimonium contraxisset, id pro iusta Quinctii absentis defensione aestimaretur.

Quo loco existimo Hortensium longe diuque commoratum esse in omnibus illis, quae Alfenus cum in iure tum apud tribunos plebis contra iuris ordinem turbulenter ac seditiose egisset, quantoque caussae detrimento Naeuio contra illius uim et gratiam certandum fuisset[42]). Qua de re quum breuissimas tantum

39) Vide supra p. 126. seq. cum ll. ibi cc. et p. 158. seq.
40) Conf. supra p. 142.
41) Vide supra p. 160.
42) Conf. anteriorem notam 39.

abruptasque quasdam sententias Tullius, communi magis hominum notitia ac necessitate coactus quam e caussae commodo, hic illic adspersit[43]), quid contra putabimus Hortensii defensione uberius fuisse? quam narrationis copiam? quam amplificationem? quam indignationem?

Tribuni ab Alfeno appellati. Exitus.

Neque hic substitit, opinor, Hortensii defensio. Negabat, ni fallor, tribunos pl., quamquam Alfeni Quinctiique quam iuris studiosiores, omnino pensi moderatiue nihil habuisse; immo componendi magis animo quam iusti auxilii ferendi Alfeno operam praebuisse, id solum egisse, ut uenditio bonorum, quae proxime instaret, aliquamdiu sustineretur, Quinctio absenti ad reuertendum seque defendendum tempus et spatium daretur; at adeo gratiae non concessisse, ut ius ipsum possessionis, quale ex Edicto esset siue iam quaesitum siue temporis lapsu etiamdum quaerendum supplendumque[44]), aut infirmare totum atque euertere aut omnino ultra uenditionis illam dilationem imminuere uellent: denique, si in breue haec contuleris, demonstrabat Hortensius, *moram* Quinctio tribunos pl. indulsisse, *iustum auxilium* non tulisse, neque ulterius Alfenum, quum eos appellaret, nisi per summam amentiam, sperare quicquam potuisse[45]).

43) Vide loca supra allegata §. 7. nott. 28—34. p. 126. seq.

44) Conferantur quae tam de communi iure quam de forma ac specie huius caussae docuimus supra §. 3. p. 72. §. 4. p. 82. seqq. §. 7. p. 123. seqq.

45) Praeterquam quod supra p. 159. not. 31. demonstraui, hic vel maxime Hortensii locus esse videtur, cuius redarguendi caussa Cicero in c. 20. extr. uerbis illis utitur: «Quid si M. «Brutus intercessurum se dixit

Tribuni ab Alfeno appellati Exitus.

Quid enim? (sic mihi uideor audire Hortensium non argumentis solum uerum etiam quodammodo praeiudiciis pugnantem) si pro iusta absentis defensione, uti tu praedicas, uadimonium istud, quo Quinctii nomine Alfenus Naeuio se obligauerat, aestimabatur, bona Quinctii cur diutius possidebantur? cur medio omni tempore? denique cur hodie possidentur[46])? Quid ita Praetorum, qui abhinc tres fuerunt, quum saepe id Quinctius postularet, de bonis decedere Naeuium nemo iussit? Quid ita ne tribunorum plebis quidem aduersus possessionem bonorum toto eo tempore auxilio quisquam fuit? Quae quum ita sint, nonne fatendum erit, ne uadimonio quidem illo Naeuium inter atque Alfenum contracto effectum esse, ut Quinctius absens recte iudicio defensus aut esset aut uideretur?

Enimuero haec argumentatio omnis ut satis speciosa neque utique leuis aut inualida fuerit, haudquaquam tamen arbitror defuisse quae apud Aquillium iudicem a Quinctii caussa contra ualerent.

Considerabat, opinor, Naeuium, quamuis intercessionis metu ac grauate, *scientem* tamen *prudentemque* uadimonium cum Alfeno contraxisse, id defensionis genus, quo non ad iudicem cum procuratore ire-

«palam, nisi quid inter ipsum «Alfenum et Naeuium conueni«ret, *uideturne intercessisse ap«pellatio tribunorum non morae «sed auxilii caussa?*» — Merito *Klotzius* ad h. l. uariantem lectionem *more* cum recentioribus omnibus repudiauit, probatam olim *Hotomano* et *Ferratio*, iampridem uero reiectam a *Manutio*, *Brissonio*, *Lambino*, *Grutero* aliisque; hodie uix dignam, quae commemoretur. Nec quisquam, opinor, desideraturus est *Garatonii* coniecturam *non* MORE NEC *auxilii caussa*.

46) Qua de re uide supra §. 1. p. 24. ibique notam 29.

Tribuni ab Alfeno appellati. Exitus

tur, sed ab eo absens sisteretur, accepisse; porro cum quoque, qui inuitus coactusque uellet, *uelle* tamen, neque eiusmodi uim[47]) passum esse Naeuium, qua quod iustae defensionis inesse alias putatur uadimonio in absentis personam collato, iure tolleretur penitus ac perimeretur: denique haud satis esse ad uincendum Naeuio, bona Quinctii possedisse aut hodie possidere, nisi etiam *ex Edicto* atque *iure* possedisset, hoc est ab eo qui recte defensus non esset; nec referre, quid de illa possessione aut continuanda aut tollenda Praetores tribuniue plebis sensissent, sed *quo iure* possessum esset; hoc uero totum sponsione contineri iudicique traditum et permissum, sibique non ex praeiudiciis sed ex ipsa rei ueritate quaerendum et diiudicandum esse.

Ne plura: ea mihi uidetur hoc loco inter singulas Hortensii Tulliique defensiones ratio intercessisse, ut hic communi magis atque uulgari strictoque iure consisteret, ille aequitate quadam uteretur, qua, si solam eam caussae partem spectares, durius posset uideri, propter uadimonium contractum consueto more Alfeni defensionem iustam iudicari.

Ea uero aequitatis ratio an digna fuerit, quam in expediendo grauissimo hoc caussae nodo iudex sequeretur, an aliis fortasse caussae partibus contraria quaedam aequitas, qua Quinctii caussa firmaretur, fortior

47) Conf. L. 21. §. 5. Quod mel. ca. L. 21. L. 22. De R. N. — L. 3. §. 1. L. 7. pr. §. 1. Quod mel. ca. L. 3. Ex quib. cau. mai. L. 13. C. De transactionibus, et cell. — v Savigny Syst. d. heut. R. R. Tom. III. p. 99. seqq.

Exitus

extiterit[48]); id uero in hac temporum distantia alteriusque tantum patroni defensione instructus non audeo neque affirmare neque negare.

Iudicis sententia.

Iam pertractatis unde sponsionis iudiciique caput et summa constabat (sunt alia quidem praeterea defensionis adminicula, at ea leuiora ac breuiter solum inferius perstringenda), si tandem e me quaesiueris, uter superior discesserit, Quinctius an Naeuius, fatebor me nescire[49]): si scire uolueris, uter dignior fue-

48) Qui narrationem huius orationis (c. 3—9., praecipue c. 6.) attente perlustrauerit, haudquaquam incredibile iudicabit, unam alteramne rem in ea caussa Naeuium *malitiose*, fortasse etiam *perfidiose* egisse. Nam, ut exemplo utar, quod Cicero summis uiribus contendit (uidesis c. 6. 14. 18. 27. 28.), *uadimonium Quinctio prorsus nullum cum Naeuio fuisse*, mihi quidem persuasum est, Naeuium, qui exactissima diligentia prouideret, ut tabulis ac testibus, *Quinctium non stitisse et se stitisse*, planum facere posset (d. c. 6.), simul certum fuisse, de *promisso* quoque uadimonio se probaturum, neque eum latuisse, uadimonium nisi promissum *deseri* non posse. Quid autem si quod coram testibus Naeuio Quinctius promisisset, inter parietes illic, nemine audiente, remiserit, idque credibile quidem, at non ex indiciorum more planum factum fuerit? Quid si aliud quidpiam Naeuium aut dixisse aut fecisse apparuerit, quo probabili quodam modo in spem adductus esset Quinctius, fore, ut de uadimonio contracto absenti sibi a Naeuio indulgeretur nec periculi quidquam strueretur? — Quod si quis existimauerit Ciceronis magis commento quam rei ueritate consistere (id uero prudenter in incerto relinquit *Bethmannus*, Handb. d. Civ. Proc. §. 26. p. 283.), facilius tamen conueniet, potuisse Naeuium et Romae et in Gallia inuidiosius atque, ultra quam uirum bonum aduersus propinquum ac necessarium decet, summo iure egisse uideri, adeoque indignum iudicari, cui in eiusdem caussae parte ulla contra strictum ius ex aequo et bono succurreretur.

49) Alii scire se professi sunt, ueluti *Nic. Desjardins* (in Editione Orationum, Parisiis 1738. 4.), qui ad calcem Argumenti huius orationis haec apposuit: «*Euentus fuit felix. Liberato Quinctio*

rit secundum quem iudicaretur, docebo quum primum de caussa omnia comperero, quae Aquillius nouit, at- Iudicis sententia.

«*tulit Cicero eloquentiae suae* «*fructum, ut scribit Gellius.*» — *N. E. Lemaire* (Ed. Paris. 1827. 8.) iisdem uerbis Argumentum concludit, atque *locum* quoque *Gellii* definit XV, 28. — Quos etiam *Baehrius* secutus est (Gesch. d. Röm. Litt. Carlsruhe 1832. 8.), in recensendis M. Tullii orationibus sic a Quinctiana exorsus: «1. Pro Quinctio, ein «Rechtsstreit über ergriffenen «Besitz (?), Cicero's erste öffent- «liche Rede (?), *in der er über* «*seinen Gegner Hortensius den* «*Sieg errang* (?) 673. u. c.; «obschon sein Client bereits ein «Urtheil gegen sich hatte (?).» — Olim *Freigius* (in d. Editione Orationum, Francof. 1624., T. I. p. 3.); «Videtur Aquillius «secundum Quinctium litem de- «disse. Nam laudat hanc ora- «tionem Gellius, quod liberato «Quinctio fructum suae elo- «quentiae tulerit Cicero.»

Contra ignorantiae meae atque inopiae solatium affert *Facciolatus*, cuius in *Exercitationibus* (supra p. 32. a me citatis) inuenio haec (p. 60.): «Scribit «Gellius (inquit Merouniilius), «liberato Quinctio, suae eloquen- «tiae fructum tulisse Ciceronem. «*Sed caue, homini credas: ego* «*enim nihil tale usquam apud* «*Gellium inuenire potui.*» Diffidenter etiam *Burnouf* (in Ed. *Le Clerc* T. VI. p. 8.) ait: «On conclut des termes, dans lesquels en parle (scil. de cette cause) «Aulu-Gelle, que Cicé- «ron la gagna.» Eademque uerba conseruantur in Ed. *Nisard*, Parisiis 1840. —

Caeterum si quis uicisse Quinctium ita existimauerit, ut non compertum se habere, sed coniectura duci ad suspicandum profiteatur, haud nimium repugnabo: quamquam praeter illa, quae modo in caussa apparuerunt, satis hercle ambigua, nullo utor neque uestigio neque iudicio nisi fortasse uno, in oratorum more et consuetudine condito, ne ipso quidem, ut uerum fatear, certissimo. Nimirum haud absurde dicetur, in iudiciis privatis patronos, quo magis ambiguam dubiamque caussam defenderint, eo fere tardiores esse ad publicandam defensionem, nisi uictores discesserint. Nec immerito. Est enim laudis studium artisque exhibendae cupido, quibus maxime impelluntur, ut in publicum edant quod dixerint. Illa uero, ut est uulgus hominum, ex euentu magis quam ex alia re ulla dignosci ac diiudicari solent. Qui si fuit aduersus, exigua spes est, lectoribus probaturum qui iudici probare non potuit; nisi adeo firmissimo euidentissimoque iure caussa con-

Iudicis sententia.

que etiam tanto plura, quanto peritiorem eius iuris, quod tunc obtinuit, quam ego sum, Aquillium fuisse concedo. Iiiud credo, Quinctium, si modo sponsione uicerit, hac potissimum parte, in qua proxime uersati sumus, uicisse, nec facile alia ulla uincere potuisse.

sistat, ut perspicua rei ueritate auctoritas iudicis superari possit. Tunc etiam indignatio stimulos addere solet, quae uel ipsa uisi in iustissimis caussis oratorem uictum commouere non solet. Hanc autem Quinctii caussam ad anceps potius dubiumque caussarum genus quam ad certum exploratumque pertinere palam est.

---

§. 9.

Defensio in partes locosque digesta.

Quae adhuc de iure caussae Quinctianae disputauimus, aliter expediri non potuerunt, nisi ut in ipso iure communi illustrando saepius ac diutius commoraremur. Quare si fortasse nonnumquam ius ciuile magis docere quam caussam P. Quinctii interpretari uisi sumus, spero necessitatis saltem excusationem nobis profuturam esse.

Reliqua, quibus ad fulciendam Quinctii caussam Cicero usus est, argumenta, neque ea grauitate sunt, ut uberiorem singula disputationem requirant, neque adeo negligenda, ut prorsus silentio praetereantur. Quae ipsa quoque si in eo essemus, ut aut omnem fructum, quem iuris et antiquitatis studio haec oratio offert, perciperemus, aut perfectam absolutamque totius orationis interpretationem praestaremus; magnam partem digna forent, quae summa cum cura et executerentur et illustrarentur.

Nunc quo sumus proposito, iuuat haec summatim atque inter caetera perlustrare, quid ad caussam quodque ualeat et quo referatur, per indicem exponere, denique a singularum selectarumque rerum copiosiore tractatu, in quo antea uersati sumus, ad uniuersae defensionis formam atque imaginem animum conuertere.

Quod ut commodius procedat, uideamus, quibus partibus orator defensionem suam disposuerit, deinde quibus locis seu argumentis unamquamque partem instruxerit. Nam de ipsa quoque partitione singularumque partium finibus plerosque interpretes, hac praesertim aetate, perniciose errare, mox apparebit.

Partitio

Negamus te bona P. Quinctii, Sex. Naeui, possedisse ex Edicto Praetoris [1]).

In eo sponsio facta est iudiciumque constitutum, ea totius defensionis intentio[2]).

Huius positionis tripartitam orator pollicetur confirmationem.

Ostendam, inquit, *primum, caussam non fuisse, cur a Praetore postulares, ut bona P. Quinctii possideres: —*

deinde ex Edicto te possidere non potuisse: —

postremo non possedisse [3]).

Quae si recte intelligo, priora duo *ius possidendi* spectant, tertium *ipsam possessionem quatenus facto constat.*

Illa uero, dummodo recte se habeant, quae supra disseruimus[4]), sic discernenda sunt, ut primo loco quasi *ex Naeuii persona*, altero autem *ex persona*

1) Sunt uerba Ciceronis in c. 10.

2) Quae antea Cicero de iudicio ordinando ac Praetoris, quam dicit, iniquitate disputat, ea non ad iudicium, de quo agitur, neque ad iudicis officium pertinent, sed ad iurisdictionem Praetoris. De ea uero supra in §pho 1. sic tractauimus, ut hoc loco nihil attineat repetere.

3) d. c. 10.

4) §. 2. p. 57. seqq.

Quinctii negetur, bona Quinctii a Naeuio possideri ius fuisse. Partitio

Atque tres illae partes ea ratione inter se coniunguntur, eoque iure singulae constant, ut quacunque uel sola Quinctius uicerit, tota sponsione ac caussa uincat necesse sit. Quippe non potest Naeuius bona Quinctii ex Edicto possedisse uideri, nisi tria haec concurrant: primum ut creditor creditorisue loco fuerit[5]), alterum ut quatuor illarum Edicti clausularum, de quibus supra disputauimus[6]), unam aliquam Quinctius commiserit; tertium, ut possessionem bonorum Naeuius adprehenderit atque per statutum tempus continuauerit[7]).

Nunc ad singulas partes transeamus.

Prima confirmationis pars incipit a uerbis «*Non* Pars prima «*fuit caussa cur postulares*», atque capitibus octo (c. 11—18.) absoluitur.

Rursus eius duo sunt membra.

I. Neque ex societatis ratione neque priuatim quidquam debuit Quinctius. c. 11—14.

II. Vadimonium Naeuio non deseruit. c. 15—18.

Quo loco admonendi sumus, Quinctium nisi utrumque iudici probaret, hac parte ipsam caussam probare non potuisse[8]).

Audiamus igitur, quibus argumentis orator utramque propositionem confirmauerit.

5) Vide supra §. 2. p. 59. seq.

6) §. 2. p. 45. et passim h. §pho.

7) Vide supra §. 1. p. 4. §. 3. p. 71. seqq. §. 4. p. 83. §. 6. p. 107. 109. seq.

8) Vide supra §. 2. p. 58. seqq.

Pars prima. Sunt singula utriusque.

Ad priorem hoc pertinet:

Locus I. Non potest P. Quinctius S. Naeuio quidquam debere. Nam si quid deberetur, *ex Caii fratris persona*, cui heres est, deberi necesse esset. Atqui neque a Caio, dum uiuebat, neque a Publio herede post mortem Caii Naeuius petiuit, ne dixit quidem sibi deberi, quamuis annum et eo diutius cum eo in Galiia, ubi communis res et omnes litterae essent, uixerit, atque admonendi, appellandi, iure iudicioque experiundi potestatem semper habuerit. Ergo, siue communes hominum mores, siue quae Naeuii sit natura spectaueris, non potuit ei quidquam a Quinctio deberi[9]. Quo cumulus accedat, monet orator, ne nunc quidem, quod sibi debeatur, Naeuium petere, sed praeiudicio malie cum summo Quinctii periculo nullaque sua ad pecuniam recuperandam utilitate experiri[10].

Quae omnis argumentatio quam inualida sit atque caduca, neminem, opinor, rei iudiciariae mediocriter quidem peritum latebit.

Locus II. Alter locus est de uadimonio deserto. Ea uero Ciceronis excusatio:

Vadimonium Quinctius non deseruit, quippe cui nullum tum cum Naeuio uadimonium fuerit, misso antea facto quod fuisset. Argumento esse, quod, quo die uadimonium illud contractum esse Naeuius a Quinctio interrogatus aliquando responderit, eo die ne

9) c. 11. 12. 10) c. 13.

Romae quidem Quinctius fuerit, id quod honestissimorum uirorum testimoniis planum sit futurum[11]). Pars prima. Locus II

Enimuero hanc quoque argumentationem ipsa *complexione* sua siue *conclusione* misere claudicare res ipsa declarat. Nam ut falsum aliquando Naeuius uadimonii promissi diem inter parietes interrogatus demonstrauerit, quouis erroris genere lapsus, qui potest inde confici, ne alio quidem die ullo uadimonium contractum fuisse, immo uadimonii tam contracti quam deserti mentionem omnem falsam funditus uanamque esse?

Nec firmius uidentur *quae facti sunt* consistere. Nimirum ut taceam, oratorem, qui tantopere testes suos iactet in re nec dubia, puto, nec controuersa, profectionis scilicet die, non modo testes sed ne aliam quidem rem ullam afferre, unde planum fiat, reuera Naeuium falsum illum uadimonii contracti diem pronunciasse; illud certe supra docuisse mihi uideor[12]), satis instructum uadimonii *contracti* documentis Naeuium fuisse, contra nihil proponi, quo *remisisse* illud uadimonium idem conuincerctur.

In summa censeo, ne alterum quidem primae partis locum sua ui ac potestate ad probandam Quinctii caussam ualuisse. Quae fortasse suspicio de ea re nasci apud iudicem potuerit, qui fauor inde Quinctio conciliari, quae denique aequitatis ratio ad alias caussae partes deriuari et quodammodo transferri; id uero ut

11) c. 18.

12) Videsis §. 8. p. 168. not. 48., §. 2. p. 61., §. 4. p. 85. seq.

Pars prima. Locus II. rem dubiam atque in coniectura totam positam, qua par est, uerecundia, paullo antea demonstrauimus[13]). Unum hoc addo, longe pluribus uerbis oratorem elaborare ut doceat, uadimonio deserto quemadmodum aequitate uti, humanitatem colere, de iure summo remittere Naeuius debuerit, quam ut uadimonium desertum esse redarguat, aut iuris omnino nihil ex uadimonio deserto Naeuium habuisse ostendat[14]).

Pars altera. Sequitur altera pars, in qua per capita 19—27. oratio uersatur.

Constat locis quinque:

I. Quatuor illarum clausularum, quibus enumerantur quorum bona a creditoribus possideri liceat, nulla est, in quam Quinctius inciderit. c. 19—22.

II. Si ex Edicto bona Naeuius possedisset, suis temporibus caeteri creditores Quinctii conuenissent, bona autem uenilssent. Atqui haec nunquam facta sunt. Non potest igitur Naeuius bona Quinctii ex Edicto possedisse. c. 23. 24.

III. Sex. Alfeni bona, quum inter Sullanas proscriptiones publice uenirent, Naeuius emit. Ad eam emptionem socium edidit P. Quinctium. Suo igitur iudicio ipse tum confirmabat, non esse bona Quinctii ex Edicto possessa, nam eum, qui bonis suis ex Edicto possessis famae detrimentum et quasi capitis deminutionem passus fuerit, nemo solet socium sibi eligere. c. 24.

13) §. 8. p. 168. in d. nota 48.

14) De hoc, quum maledicta detraxeris, paucos inuenies capitis 18. uersiculos, in illo per longa tria capita (15—17.) oratio commoratur.

IV. Non uidetur ex Edicto possidere, qui etiam priusquam a Praetore postularet, ut possidere sibi liceret, in possessionem *miserit.* Id uero Naeuium commisisse, inde manifestum est, quod, quum ante diem v. Kalendas intercalares Praetorem adiisset, pridie iam Kalendas eas in Gallia Quinctius ab iis, quos ille miserat, de fundo delectus est. Etenim nemo potest triduo Roma trans Alpes in Galliam peruenire. c. 24—26. Pars altera

V. Creditor, ut iustissima ei *bonorum possidendorum caussa* ex Edicto suppeditauerit, non potest tamen iudicari *ex Edicto possedisse*, nisi caetera quoque, quae de adprehendenda exercendaque possessione Edicto cauentur, religiose obseruauerit. Naeuius autem, quum disertis Edicti uerbis *dominum detrudere* uetaretur, tamen Quinctium de praedio, quod in Gallia esset, ui deiiciendum curauit. Quo facto quum Edicti praecepta uiolauerit, non uidebitur ex Edicto possedisse, etiamsi maxime Quinctius uadimonium deseruisset nec absens defensus esset. c. 27.

Hic est index locorum omnium, qui ad secundam confirmationis partem pertinent. Admonendi autem sumus, ea ratione singulos ab oratore constitui, ut quum ea parte pollicitus sit se probaturum, ex Edicto Naeuium bona Quinctii possidere non potuisse, prae se ferat, unumquemque sua ui ac potestate idoneum esse, quo muneri suscepto affatim satisfecisse iudicetur.

Atque ut ad singula illa capita accedamus, de primo nihil est, quod aut suppleamus aut repetamus. Etenim de quatuor illis Edicti formulis bonorumque Locus primus

Pars altera. Locus primus.

possidendorum caussis satis, opinor, antea disputatum est, ac pro concesso probatoque assumere licebit, *prioribus tribus* ne ab aduersario quidem premi Quinctium[15]), *quarta* autem totum fere iudicium contineri, uidelicet ut quaeratur, recte Quinctius absens defensus fuerit necne[16]). Qua de re quid tulerit ius commune, quid patroni egerint, quid iudex sequi siue debuerit siue potuerit, antea quam curiosissime tractauimus[17]).

Quo si animum retuleris, expeditius erit, etiam secundi loci, ad quem iam transeundum est, uim atque effectum dignoscere.

Locus secundus.

« *Etenim si ex Edicto possedisti; quaero cur bona* « *non uenierint, cur caeteri sponsores et credi-* « *tores non conuenerint.* »

Haec interroganti Tullio[18]) haud dubitabis Naeuii nominè in hunc modum respondere.

Constat, possessionem uenditionemque bonorum certis quibusdam gradibus finitisque temporum spatiis ex Edicti forma celebrari. Primum est, ut possideantur bona ac proscribantur, deinde interpositis triginta diebus solent creditores conuocari, nec nisi pari abhinc dierum numero elapso uenditio procedit[19]).

Iam ex facto conuenit, primo statim gradu, hoc est, quum primum bona possiderentur ac proscriberentur, intraque dies triginta, rem in contentionem ue-

15) Vide supra §. 2. p. 46. seqq.

16) ib. p. 48. seqq.

17) ib. p. 49. seqq. et §§. 7. 8. p. 114. seqq.

18) c. 23.

19) De eo iure uide supra §. 3. p. 69. seqq.

nisse[20]), atque hortante tribuno plebis metuque intercessionis sic transactam esse, ut uadimonium Naeuio Alfenus Quinctii nomine promitteret, caetera uero, quae ad uenditionem bonorum pertinerent, interea sisterentur[21]). Quid igitur mirum, neque conuocatos esse creditores neque bona uenilsse? Pars altera. Locus secundus.

Quae facta sint necne quum ad ipsam sponsionem nihil attineat quaerere[22]), possessio autem bonorum etiam post uadimonium illud contractum et facto et Praetore auctore durauerit[23]), non potest iste locus aliter urgeri, nisi ut in primariam hanc quaestionem incidas, uidelicet uadimonium illud iustaene defensionis uim habuerit, ac possessionis, quamuis facto continuatae, omne ius dissoluerit, an contra ad uenditionem tantum bonorum differendam ualuerit, possessionem uero in suo statu tam iure quam facto incolumem reliquerit. Qua de re uide quae supra tractauimus[24]). Ex proposito autem oratoris loco non habeo quod addam, neque arbitror, ad soluendam illam quaestionem grauius quidquam inde hauriri potuisse.

Plane quod praeterea Cicero iniecit, caeterorum creditorum ad rationem illam bonorum Quinctii possidendorum neminem accessisse[25]), neminem accusare Quinctium, quasi latitauerit aut procuratorem absens nullum reliquerit, aut alias male egerit: id uero neque

20) Conf. §. 7. p. 123. seqq.
21) Conf. §. 8. p. 163. seqq.
22) De qua uide supra §. 1. p. 4. 27.
23) Conf. §. 1. p. 24. §. 8. p. 166.
24) §. 8. p. 163. seqq.
25) c. 23. 24. 29. — De eo creditorum iure uide supra §. 3. p. 71.

Pars altera. Locus secundus.

facti fide certum est[26]), neque, si maxime esset, ad efficiendum illud de quo agitur, uidelicet *ne Naeuium quidem ex Edicto possidere potuisse*, aut iure aut ratione idoneum uideretur.

Quippe ut de caeteris taceam, ecquis mirabitur, neminem accedere uoluisse ad eiusmodi possessionem bonorum, quae acerrimis contentionibus a primo inde ingressu implicata, non iuris solum disceptatione apud omnes magistratus, uerum etiam manibus quodammodo et aduersus seditionem defendenda ac prope dicam expugnanda esset[27]).

Locus tertius.

Porro de tertio loco, quo in bonis Alfeni emendis Naeuius socium edidisse Quinctium fertur, breuis erit disputatio nostra. Nam in ipsa oratione adeo breuissime ea res tractatur et quasi obiter tantum iniicitur[28]),

26) c. 23. «In huiusmodi «sponsionem testes dare opor-«tebat ex eo numero, qui haec «dicerent: uadimonium mihi de-«seruit: me fraudauit: a me no-«minis eius, quod infitiatus esset, «diem petiit: ego experiri non «potui: latitauit: procuratorem «nullum reliquit. Horum nihil «dicitur. *Parantur testes qui haec «dicant.* Verum, opinor, uide-«rimus, quum dixerint»; rel.

27) Vide supra §. 7. p. 123. §. 1. p. 24. §. 8. p. 155. p. 158. seq.

28) Qua obseruatione uideo Rauium l. l. p. 86. adeo permotum esse, ut etiam in coniecturam abduci se passus sit neque necessariam, meo quidem iudicio, neque omnino probabilem. Nam ad uerba «*Et eum «iudicio . . . arbitrabare*» (c. 24.) sic notat: «Equidem hic «quaedam intercidisse suspicor: «*nam non credibile est, tam cito «illud argumentum reliquisse Ci-«ceronem*, quod plurimum fa-«ciebat, ut ipse Naeuius suam «possessionem nihili fuisse iudi-«casse uideretur.» — Plane autem nullo numero habendum quod confirmandi caussa addidit: «Neque sequentem grauis-«simam disputationem tam ab-«rupte, ut mihi certe uidetur, «exorsus est Cicero, quam nunc «in c. 24. (inde a uerbis *Diffidebam mehercule*) legitur.»

Pars altera. Locus tertius.

ut uel inde quiuis Tulliani moris mediocriter quidem gnarus facile intelligat, nihil eum ad caussam iudicii umque ualere. Utique in cauillatione uerborum permutandisque rebus inter se diuersissimis is locus mihi uidetur totus uersari. Nam quod in uenditionis illius publicae forma, solennitate rituque celebrando interuenisse uidetur eum socii tum Quinctii nomen, id in uoluntariam inter Naeuium et Quinctium emendorum illorum bonorum societatem furtiua quadam insinuatione orator conuertere studet.

Est quidem incredibile hominumque moribus alienum, Naeuium, quum bona Quinctii ex Edicto possideret, nouam ullius rei societatem cum eo contraxisse. Nihil repugno [29]. At ne ipse quidem Cicero, nisi delapsa ad rem augendam oratione, affirmat, *in commune contractaque societate* Naeuium cum Quinctio Alfeni bona emisse. Immo tam in breuissima facti narratione [30] quam in finali rerum repetitione [31] tantummodo dicit, Naeuium in illis bonis emendis socium *edidisse* Quinctium.

Enimuero qui fieri potuit, ut quicum ipsius rei

29) Obiter animaduertamus, quod *Gaius* habet in *Comm.* III. §. 154. «*Item si cuius ex sociis* «*bona publice aut priuatim ue-* «*nierint, soluitur societas.*»

30) Integra haec est: «Emi«sti bona Sex. Alfeni L. Sulla «Dictatore uendente. Socium «tibi in huius (al. *his* uel *iis*) «bonis edidisti Quinctium. Plura «non dico.» — Sequitur amplificatio: «Cum eo tu uoluntariam societatem coibas, qui te «in hereditaria societate frauda«rat, et eum iudicio tuo com«probabas, quem spoliatum fa«ma fortunisque omnibus arbi«trabare», c. 24.

31) c. 29. «Postea sum usus «aduersarii testimonio, qui sibi «eum nuper edidit socium, quem, «quo modo nunc intendit, ne «in uiuorum quidem numero «tum demonstrat fuisse.»

Pars altera. Locus tertius.

nulla esset societas, is *socius* tamen ab emptore *ederetur?*

Dicat fortasse aliquis, in publicis, quae fieri solerent, uenditionibus atque locationibus socii editionem nonnumquam id unum spectasse, ut de pretio res cautior esset reipublicae; socium igitur pro *praede* aliquando aut *sponsore* cessisse. Hoc uero, quaecunque sit ueritate, ad speciem propositam lucis nihil afferre potest. Quis enim sibi persuadebit, Naeuium, gratiosum ac diuitem, nobilium opulentorumque amicorum copia affluentem, aditurum fuisse Quinctium, afflictum sibique infestum, rogaturum, ut quauis negotii gerendi forma figurae quasi praedis uicem pro se susciperet, permitteretque, ut, quo cautius uenditori de pretio esset, socius ipse in bonis emendis ederetur?

Quid ergo est? Videndum, ne aut in praediis, quae ex pristina societate communia fuerunt, subsignandis[32]) Quinctii tamquam socii nomen professus sit Naeuius, aut alias dicis caussa *Quinctii sociique* nomen ad tabulas publicas detulerit. Quid multa? Eiusmodi aliquid aut publico illarum uenditionum iure aut inter Sullanas certe proscriptiones eorumque temporum licentiam ac perturbationem usu uenire potuisse, neque ullam in ea re Quinctii nouam societatem contractam

32) De communi eius rei ratione, ad quam in alio *Semestrium* nostrorum libro propius adgrediendum erit, adeas *Rudorffium de lege Thoria* (Zeitschrift f. gesch. R. W. Tom. X. p. 123.) et *Huschkium* (in *Richteri* Annalibus Tom. V. p. 605. p. 612. seqq.) Caue tamen hoc loco ne parum consideres Sullanarum proscriptionum uenditionumque trepidationem, denique omnium rerum, quae tunc fuit, perturbationem.

neque obligationem susceptam neque omnino consensum siue rogatum siue accommodatum interuenisse, satis mihi persuasum est[33]). Pars altera Locus tertius

Quae uero eius negotii gerendi exacta ratio et figura fuerit, quis porro in publicis uenditionibus uarius sociorum usus[34]), eius quidem disputationis, intricatae sane neque ad perspiciendum Quinctii ius necessariae, diem peto, dum et futuris meis studiis aliorumque doctrina instructior ad illustrandam integram Tullii orationem accessero[35]).

Quarto loco orator grauissime Naeuii iniuriam insectatur, qui priusquam Praetorem de bonis Quinctii possidendis adiisset, in Galliam miserit qui possessionem pro se adprehenderent, adeoque effecerit, ut uix triduo postea quam Praetor possidere iussisset, Quinctius de fundo in Gallia deiiceretur. Locus quartus.

33) Diuersam prorsus rationem *Burnoufius* hoc loco secutus est. Quippe neram supposuit bonorum Alfeni emendorum societatem inter Naeuium et Quinctium contractam fuisse, eam uero astuto Ciceronis consilio turpisque negotii pudore ita extenuari, ut casu magis in istam societatem incidisse Quinctium quam sua sponte socii partes egisse, simuletur. Sic enim ad h. c. 24. V. D. (in Ed. Le Clerc, Parisiis 1826. Tom. VI. p. 109.) adnotat: «Que Névius achète les «dépouilles d'un ami proscrit, «cela n'étonne point: il est peint «comme un scélérat, sans re«mords et sans pudeur. Mais «qu'était-ce donc que Publius «Quintius, pour partager avec «un ennemi cette proie sacri«lège? On est faché de ne pou«voir pas estimer le client de «Cicéron. Au reste, l'orateur le «représente adroitement comme «jouant dans cette affaire un «rôle tout-a-fait passif.»

34) Qua de re conf. *in Verrem I*, 55. *ad Att.* 5, 8., *Liu. XLIII*. 16. *Polyb. VI*, 17. L. 33. Pro socio, et q. g. a. — Nescio quam longe absit L. 13. §. 23. De A. E. V. — Vulgares publicanorum societates consulto praetereo.

35) Neminem fugere debet, quam turpiter ille orationis locus ab interpretibus neglectus sit.

Pars altera. Locus quartus.

Ecce tibi ad tragoediam exhibendam, praesertim cuius etiam *comoedo* primae partes tribuerentur[36]), ingens argumentum, ad ius autem ciuile et ad caussam iudici probandam ualde meo quidem iudicio infirmum. Quippe suo periculo Naeuius id egisse uidetur. Quem sicuti nemo culpa liberaturus esset, si quandocunque bona Quinctii in Gallia iussu suo at iniussu Praetoris occupata fuissent, quia fortasse Praetor, quem exspectasset iussurum esse, postulantem reiecisset; sic contra aequitatis ratio suggerit, ut in proposita specie pariter *plus in re quam in existimatione fuisse* statuatur. Neque ullo modo conueniens est, in possessione bonorum, quam *adprehendere* nisi Praetore auctore non *prouidere* uetantur, *iussi* magis quam *facti* tempus spectare.

Nec me mouet, quod laudibus C. Flaccum imperatorem Cicero extollit, qui tum in prouincia illam rem uehementer uindicandam putauerit[37]). Etenim quid mirum, eum magistratum non uim solum ac deiectionem (quae non huius sed quinti loci est) uerum, antequam Praetorem urbanum iussisse sciretur, etiam possessionem improbasse?

Saluam igitur hoc quoque loco Naeuii caussam fuisse arbitror.

Quod si quis dixerit, cupide tamen, malitiose, improbe Naeuium egisse, de ea re nullum esse nostrum iudicium defendam. Qui enim sciri hodie potest, uerane sit Ciceronis narratio an uerius fortasse Horten-

36) Vide lepidum de Q. Roscio prooemium in c. 24. seq.

37) Conf. c. 7.

sius retulerit, pro decoctore Quinctium et sua et Naeuii omniumque opinione Roma profectum esse, Naeuium autem boni, uigilantis, strenuique patrisfamilias officio functum, qui mature curauerit, ut prius res Gallicana suo nomine possideretur, quam omnia Quinctius, tempore spatioque dato, turbaret, distraheret, fraudandique caussa auferret, denique quod possideretur praeterquam solum nihil relinqueret[38]). Pars altera. Locus quartus.

Sed haec incertissima sunt. De quarto autem loco satis.

Restat quintus, qui hanc orationis partem claudit. Locus quintus.
« *Numquid est caussae*, sic ait Cicero, *C. Aquilli*,
« *quin, si longe aliter possedit quam Praetor edixit*,
« *iste ex Edicto non possederit?* »

Id uero uerborum sono satis speciosum, ueritate atque iure nihilo mea sententia ualidius[39]) quam quae antea repulimus.

Deiecerit sane Quinctium in Gallia Naeuius contra quam Edicto Praetoris uetatur: poenam daturus est aut alia iuris publici priuatiue incommoda passurus, nec tamen propterea desiit bona Quinctii ex Edicto possidere. Siquidem ut ad formulam Edicti, quae de satisdatione est, atque ad sponsionis tenorem redeamus[40]), sic existimo, et Praetoris sententia et peritorum interpretatione et usitato sermonis genere *ea*

38) Nimirum de Quinctii uita et moribus longe aliter Hortensium dixisse quam de Q. Roscii Saturium, ex c. 26. intelligitur: « *De* « *cuiusquam uita tu dicere audes*, « qui hoc concedas necesse est, « ita te caecum cupiditate... fuisse» rel. Conf. pro Q. Roscio c. 6.

39) Consentit mecum *Klotzius* ad c. 26. p. 587.

40) Vide c. 8. 27. et supra §. 1. p. 4. 27.

Pars altera, Locus quintus

bona dici *ex Edicto possessa esse*, quae a creditore uno pluribusue Praetore auctore atque commissa illarum Edicti caussarum aliqua possessa sunt. De triginta dierum spatio nihil dico, quippe quod in sermone solenni et accurato (qualis in utraque illa formula habetur) non uerbis illis *ex Edicto bona possidere* concludi sed distinctis uerbis exprimi separatimque adiici solent[41]).

Quid autem? haec illa Edicti clausula, quam oratorem hoc ipso loco urgere uidemus, quo pertinet?

Enimuero non id agit, ut demonstretur, quae significatio sit uerborum *ex Edicto bona possidere* seu qualem esse oporteat qui possit dici *bona alicuius ex Edicto possidere*, immo *modum quemdam legemque imponit* siue (ut *Ciceronis* utar uerbis) *praecepta dat iis, qui ex Edicto bona possederint: — ex Edicto*, hoc est ex aliis Edicti capitibus illis, quibus caueri, quorum bona possideri liceat, supra cognouimus.

Hanc autem ueram esse eius Edicti interpretationem, partim res ipsa declarat atque iuris diuersorumque Edicti capitum ratio[42]), partim ipsa Edicti uerba,

41) Conferantur quae modo attuli. Quo autem pertineat hoc monuisse, inuenies supra §. 6. p. 109. seq.

42) Ne longus sim in re apertissima, unum hoc tenendum, quod supra (§. 1. p. 5.) docui, illam sponsionem, quae de bonis ex Edicto possessis esset atque ad satisdandi necessitatem pertineret, *in rem* conceptam fuisse neque ad certi alicuius creditoris personam adplicatam. Quid ergo? Si quando Edicti iure commisso *plures* creditores in possessionem uenerint, deinde unus aliquis Edicti quodcunque praeceptum uiolauerit, num idcirco *contra omnes* iudicabitur, *bona ex Edicto possessa non esse?* Num etiam *ignominia* cessabit, quam eodem tamen iure

quae ad hunc defensionis locum Cicero exhibet [43]), quinetiam quae de suo addit [44]), egregie confirmant. Pars altera. Locus quintus

Qui uxorem habet, eum cum aliena muliere concumbere non placet. Concubuit autem. Ergo — uxorem non habet.

Probane haec rationis conclusio? Certe isto Tullii argumento haud uitiosior!

Sed hactenus de secunda parte. Nunc ad tertiam ueniamus. Quam utinam legere liceret! Ea uero temporum iniuria interiit tota, ne syllaba quidem relicta. Quod si propitia quadam fortuna nobis restitueretur, Pars tertia

atque *satisdandi necessitatem* censeri supra apparuit? Quod si, aduersante quidem et *sponsionis* et *Edicti* formula, eum qui peccasset segregare a caeteris nolueris, etiam ad absurdiora perduceris. — Quae in contéxtu *diuersa Edicti capita* commemoraui, eorum alterum in c. 19. huius orationis proponitur, alterum in c. 27. Verba uide supra p. 45. et hic infra in nota quae sequitur.

43) c. 27. «Cognoscamus Edictum. QUI EX EDICTO MEO IN «POSSESSIONEM UENERINT. *De te «loquitur, Naeui, quemadmo«dum tu putas: ais enim ex «Edicto uenisse. Tibi, quid fa«cias, definit; te instituit, tibi «praecepta dat.* EOS ITA UIDE«TUR IN POSSESSIONE ESSE OPOR«TERE. Quomodo? QUOD IBI «OEM RECTE CUSTODIRE POTE«RUNT, IO IAIOEM CUSTOOIANT. «QUOO NON POTERUNT, ID AU«FERRE ET ABOUCERE LICEBIT. «Quid tum? DOMINUM, inquit, «INUITUM OETRUDERE NON PLA«CET.»

44) ibid. «*Eum ipsum, qui «fraudandi caussa latitet, eum «ipsum, quem iudicio nemo de«fendat, eum ipsum, qui cum «omnibus creditoribus suis male «agat, inuitum de praedio de«trudi uetat. Proficiscenti tibi «in possessionem Praetor ipse, «Sex. Naeui, palam dicit* (tacite quidem, non, ut quidam putant, *uiua uoce*): «*ita «possideto, ut tecum simul pos«sideat Quinctius: ita possi«deto, ut Quinctio uis ne af«feratur. Quid? tu id quemad«modum obseruas?*» rei.

Pars tertia. misera illa lacuna, quae inter capita 27. et 28. intercedit, propemodum expleretur[45]).

Nunc uti res est, in lucro reputabimus, quae in peroratione inuenimus per indicem repetita: nam paucis hisce uersiculis circumscribitur omnis cognitio nostra. Nec longum est integros exhibere.

c. 29. . . . *Omnino autem bona possessa non esse constitui: quod bonorum possessio spectetur non in aliqua parte sed in uniuersis, quae teneri ac possideri possint. Dixi, Romae domum fuisse, quo iste ne adspirarit quidem; seruos complures, ex quibus iste possederit neminem, ne attigerit quidem: unum fuisse, quem attingere conatus sit: prohibitum fuisse, quieuisse. In ipsa Gallia cognostis in praedia priuata Quinctii Sex. Naeuium non uenisse. Denique ex hoc ipso saltu, quem per uim expulso socio possedit, seruos priuatos Quinctii non omnes eiectos esse.*

Haec sunt, quibus probare iudici Cicero studet, Naeuium, quocunque iure, ut bona Quinctii possideret,

45) Recte *Schützius* adnotat: «Desiderantur hic omnia, quae «ad caput partitionis tertium «pertinebant, in quo orator de«monstrabat Naeuium bona Quin«ctii non possedisse, una cum «principio epilogi», atque (commode addiderit) finalibus capitis secundi uerbis. — De partium diuisione postea uidebimus. Lacunam uero esse, eamque satis magnam, inter omnes, opinor, conuenit. Nam quod *Klotzianae Editionis* eam speciem esse animaduerto, quasi ne unum quidem hoc loco uerbum desideretur, malo equidem typothetam accusare quam credidero, Virum doctum, quod solis luce clarius esset, non uidisse aut contra omnium consensum temere ac tacite reiecisse.

et postulauerit a Praetore et impetrauerit, tamen ex facto non ita possedisse bona, ut de sponsione contra Quinctium iudicari ius esset. Pars tertia

Enimuero sit narratio Tullii uera (quis enim quemadmodum res gesta sit diuinaturus est?): de iuris ratione, quo fundamento oratio utitur, magnopere dubito. Non eo dico quo ab inepto plane principio oriatur, sed ita equidem sentio, id quod natura sua uerum est, exiguo uerborum momento in prauum detorqueri, deinde ratiocinando ad extrema perduci, caussae necessitati quam rei ueritati aptiora.

Etenim quod principii loco fere ponitur, bonorum possessionem non in aliqua parte sed in uniuersis bonis spectari, nonne uerissimum est? Mihi quidem uidetur: at longe aliter atque orator noster interpretor.

Quippe aliam arbitror *uniuersorum bonorum* aliam *singularum rerum* possessionem esse, neque recte per omnia aequari *qui bona possederit* et *qui singulas omnes res, quae eorum bonorum essent, possederit.* Cui consentaneum esse puto, in bonorum possessione non singulas res, possideantur necne, sed *quasi per uniuersitatem* bona possessionemque spectari oportere, ac propterea satis ad sponsionis caussam uideri Naeuium possedisse, si modo ita Quinctii bona possederit, ut uniuersorum bonorum modicam quandam custodiam exercere posset [46]).

Eam uero rem in iure iudiciisque Romanorum latissime patuisse arbitror, et longe afuisse, ut qui non

46) Vide supra §. 3. p. 71.

Pars tertia. omnes omnino res quasi manu adprehendisset, protinus negaretur ad Edicti caussam recte possedisse. Contra quum uestigia, quae supersunt, respicio [47]), multo magis mihi uidentur illi nimiam creditorum possessorumque asperitatem timuisse quam adstrictiori quadam possessionis exercendae ratione eo rem perduxisse, ut indulgentia et humanitas in perniciem creditoribus uerteret. Vel minime autem puto faueri iis, qui ipsi quorumue procuratores uim adhibuerint, quominus creditor a Praetore iussus bona possideret, deinde hanc suam culpam in fraudem aduersarii, quod minus recte possedisset, contorquere uoluerint. Talem uero Quinctii caussam fuisse, quum Praetor Naeuium possidere ius-

47) L. 13. De reb. auctor. ind. po. *(Gaius)* «Quamuis possessa non sint bona, quia forte «nihil fuerit quod possideatur «aut sine controuersia [non] «possideatur: creditor, qui in «possessionem missus est, perinde habetur ac si etiam possessa bona fuissent.» — Conf. L. 12. §. 2. eod. *(Paullus.)* «Si propter naturam rei, ueluti «si praedium inundatum sit, «aut propter latronum potentiam, «non potest possideri: recte «dicitur non esse quod possideatur.» — Porro respiciendum Edicti caput illud, quod paullo antea (p. 187. not. 43.) ex orationis capite 27. attulimus, ubi quiuis animaduersurus est, Praetorem de possidendo *permittere* magis, deinde modum imponere, nimia uetare, quam ut ad strictissimam singularum omnium rerum possessionem quasi incitauerit. — Caeterum in d. L. 13. NON illud, quod uncis inclusi, eiiciendum esse censeo, cum propter sententiam, tum Codicis mei (qui olim Herm. Colladonii fuit, omnesque quinquaginta Digestorum libros continet) atque Basilicorum (T. I. p. 538.) auctoritate. — Nec tandem me fugit, quae de *controuersia* in d. L. 13. scripta sunt, *extraneos* potius, qui controuersiam moueant, quam *ipsum debitorem* spectare. Alioquin *testimonii* loco fragmentum illud aestimarem, non *uestigiis* adnumerarem.

sisset in eoque iussu etiam perseuerasset, supra retulimus[48]). Pars tertia

Illam uero iuris rationem modo expositam qui cum re gesta composuerit[49]), haudquaquam, opinor, sibi persuadebit, parum possedisse Naeuium, qui ita possederit, ut Quinctius *illum in suis paternis bonis dominari uideret, ipse filiae nubili dotem conficere non posset:* — quae sunt ipsius Tullii uerba, in deploranda Quinctii miseria perorantis[50]).

Ex quo intelligitur, tertia hac parte Quinctii caussam iudici probari uix potuisse.

Ac satis quidem de unaquaque defensionis parte et de singulis argumentis, quo pretio fuerint, disputatum est.

Relinquitur ex his, quae supra pollicitus sum, De partitione controuersia.

48) §. 1. p. 23. seq. §. 7. p. 123. seqq. §. 8. p. 158. seq.

49) Quod inter caetera Tullius iniecit, *ex hoc ipso saltu, quem per uim expulso socio possedit, seruos priuatos Quinctii non omnes eiectos esse*, uidendum, ne, quae utriuque disputari potuerint, eorum quodammodo materia inueniatur in L. 1. §§. 45. 46. De ui. *(Ulpianus.)* «Non alii autem quam ei, «qui non possidet (Sic meus quoque Codex; qua de lectione adeas Sauinium, d. R. d. Bes. §. 11. p. 189.) «interdictum «*Unde ui* competere, argumen«tum praebet quod apud Viuia«num relatum est, si quis me «ui deiecerit, meos non deiecerit, «non posse me hoc interdicto ex«periri, quia per eos retineo pos«sessionem, qui deiecti non sunt. §.46. «Idem Viuianus refert: Ser«vos quosdam ui depulit, alios re«tinuit et uinxit, *aut etiam eis im«perauit:* ut te deiectum intelligi; «desisse enim possidere, quum «serui ab alio possideantur. Et «quod in parte seruorum dictum «est, idem in omnibus dici ait; «si forte nemo depulsus esset, «sed possideri ab eo coepisseut, «qui ingressus in possessionem «essel.»

50) c. 31.

De partitione controuersia.

unum hoc, ut, quatenus controuersia est, fines inter singulas defensionis partes regantur.

Inter primam quidem et secundam nihil ambigitur. Tertiam uero partem, quam nos amissam esse totam diximus, quidam ita constituerunt, ut a secunda plus minus auellerent, eaque ratione priorem tertiae dimidiam saluam esse, extrema tantum capita interiise existimarent.

Qui auctores quum satis multi sint nec unius saeculi, atque ipsi etiam inter se uarie dissentientes, ratissimum erit, unius cuiusdam rationem curiosius examinare, qua cognita facilius caeterae expedientur.

Rauium deligo, ut qui ex professo ac diligenter de omni hac partitione tractauerit [51]).

Ille uero inter secundam tertiamque partem sic terminum posuit, ut ne ultra caput orationis XXII. *secunda* porrigeretur, quinque autem illi loci, quibus nos eam constituimus, nullo praeterquam primo relicto, *tertiae* omnes adiudicarentur.

Quid ergo est? Caussa eius dissensionis uniuersam partitionis rationem amplectitur. Quam quum nos quidem talem fuisse demonstrauimus, ut ad *ius possidendi* pars secunda pertineret, tertia *factum possessionis*, quod uocare solemus, spectaret; contra *Rauius* caeterique, qui in hanc sententiam discesserunt [52]), uerba illa oratoris

51) l. l. p. 29—35. et p. 87.

52) Quorum numero sunt: *Freigius* (in Ed. supra cit. p. 36. 40. 43.), *Facciolatus* (l. l. p. 44. 36.), *Osiander* (l. l. in Argumento); — *Nic. Desjardins* (d. Ed. 1738. in Synopsi), *Beckius* (in Argumento), *Klotzius* (ib.). —

«*deinde* (ostendam) *ex Edicto te possidere non* «*potuisse*, De partitione controuersia.

«*postremo non possedisse*»

sic uidentur interpretari, ut «*possidere non potuisse*» «et *non possedisse*» inter se opponantur, eaque distinctione utriusque partis proprietas tota contineatur;

Nec tamen inter omnes plane conuenit. Nam quos extremo loco enumeraui, tres VV. DD. in medio c. 24. terminum posuerunt, ut ex quatuor illis defensionis locis, quos caeteri a seconda parte auciiunt, duo in integro relinquantur. Attamen eorum opinio iisdem fere ac caeterorum uidetur et nitiis laborare et argumentis concidere. — Contra mecum sentiunt *Hotomanus*, *Manutius*, *Menardus*, *Schützius*, *Burnoufius* (in d. Ed. Le Clerc, unde quae huius orationis argumentum continent, paucissimis exceptis, in Editionem *Nisardi*, antea commemoratam, ad uerbum translata sunt), *Lemairius* (in Synopsi). His etiam *Lambinus* adiungi solet, qui ad finem capitis 27. sic adnotauerit: «Hic desiderantur ea omnia, «quae ad tertium diuisionis mem«brum, nempe *Naeuium non* «*possedisse*, pertinebant: et prae«terea pauca quaedam ex prin«cipio epilogi.» — Sed quem nonnm illo errorem sibi comparauerit, intelligitur ex iis, quae proxime praecedunt (in Ed. 1566. p. 677.) ad superiora eiusdem c. 27. uerba *Praetor te quemadmodum possidere iussit* et rel. directa. Sic enim scripsit: «Ante «haec uerba inssi spatium inane «relinqui, ut lector minus at«tentus intelligat aliquid deesse. «Deest autem, nisi fallor, *prin*«*cipium tertii membri* concin«sionis, cum breui commoni«tione iudicis, hoc modo: *Do*«*cui*, *C. Aquili*, *quod secundo* «*loco pollicitus sum*, *ex Edicto* «*Praetoris bona P. Quinctii Nae*«*uium possidere nullo modo po*«*tuisse*, *quod neque fraudatio*«*nis causa latitarit*, *neque ex*«*sulii causa solum uerterit*, *ne*«*que absens iudicio defensus non* «*fuerit*, *neque bona eius uenierint*: «*ex quibus etiam id*, *quod erat* «*tertium*, *intelligere licet*, *Nae*«*uium bona Quinctii non pos*«*sedisse*; *quod tamen mihi per*«*facile est ex ipsius edicti uerbis* «*ostendere*: *Praetor te quemad*«*modum etc.*» — Caeterum conferantur etiam quae *Facciolatus* (l. l. p. 44.) tradit, *Martinum de Cygne* ac *Merouuillium* de illa partium diuisione sensisse; quorum mihi nondum copia fuit. — Veterem sententiae nostrae auctorem uido *Martianum Capellam* (*ap. Capper.* p. 434.).

De partitione controuersia.

quod autem adiecit Tullius «*ex Edicto*», non modo diuersi nihil indicet, uerum etiam pro communi habendum adeoque ad tertiae partis argumentum (*non possedisse*), quamuis deficiente uerbo, cogitatione tamen iterandum supplendumque sit. Quid multa? his auctoribus Cicero, dummodo planius aptiusque, quod sentiret, eloqui uoluisset, sic utramque partem distincturus fuisset:

»*deinde* (ostendam) *ex Edicto te possidere non* «*potuisse*,

«*postremo*, *ex Edicto non possedisse.*»

Cui rationi consentaneum est, quod *Ranius* statuit, *tertiam partem* uel ipsam esse *bipartitam*, ut primo doceatur, *ex Edicto* Naeuium non possedisse, deinde *omnino*, id est *facto* non possedisse[53]).

Mihi uero, ut uerum fatear, omnis haec interpretatio subabsurda uidetur. Nam, ut a re potius quam a uerbis incipiam, quid illo iudicii tempore interfuit, *non potuisset possidere* an *non possedisset* ex Edicto Naeuius? quae tanta inde ad caussam cognoscendam, quae ad percipiendam tenendamque defensionem utilitas (at ea tamen in partitionibus instituendis maxime spectatur[54])), ut ad illam distinctionem uniuersa fere confirmatio digereretur? Adeone diuersis momentis cernetur, ex Edicto utrum *potuerit possideri* an *pos-*

53) Illis fere uerbis V. D. utitur in confirmatione oratoris adumbranda, p. 32. Partes uero ipsas sic nuncupat, p. 29. seq.: «II. *Iure neminem omnino po*«*tuisse ex Edicto bona Quinctii* «*possidere.* III. *Naeuium ne fa*«*cto quidem possedisse uel possi*«*dere conatum esse bona, quo*«*rum possessio ipso iure erat* «*nulla.*»

54) Quintiliani I. O. IV, 5, 25. seqq.

De partitione controuersia.

sessum sit, ut in eo ipso discrimine orationis membra constituantur[55])? Quasi uero nihil antiquius Tullio fuerit, quam ut iudex intelligeret, *ne potuisse quidem* bona Quinctii ex Edicto possideri, qui neque latitasset, neque aliam Edicti caussam commisisset; at ex Edicto *potuisse* quidem *possidere*, tantum *non possedisse* Naeuium, qui bona non uendiderit, qui socium ediderit Quinctium, qui iniussu Praetoris in possessionem miserit, qui possidendi modo praecepta Edicti laeserit. Immo haec omnia *uno ordine* ab oratore eaque mente proferri, ut tam ex Naeuii quam ex Quinctii factis appareat, eo iure non fuisse Naeuium, ut bona Quinctii *ex Edicto possideret*, siue — quod unum atque idem est nec nisi ad augendam negationem ualet[56]) — *possidere posset*, nonne res ipsa declarat?

Nec diuersam interpretandi uiam orationis tenor uerborumque uestigia demonstrant.

Primum animaduertere conuenit, in primae ac secundae partis initio breui quadam praefatione aut transitione uti oratorem[57]); eiusmodi uero nihil appa-

55) In mentem uenit ueteris illius: «Nam ut nihil interest, «utrum *nemo ualeat* an *nemo* «*possit ualere*» et rel. de N. D. III, 32.

56) Haec quidem dicendi figura per se ipsa neque noui neque suspecti quidquam habet, neque exemplorum confirmatione indigere uidetur. Ecce tamen quod forte mihi oblatum est: *pro Cluentio* c. 22. extr. «uideatis necesse est, *nullam* ac«cusatori *caussam esse potuisse*, «cur iudicium uellet corrum«pere.» Conf. *ibid.* c. 23. extr. «docui *rationem nullam* huic «corrumpendi *fuisse*.» Adde *ibid.* c. 30. med. — De re conf. c. 4. 7. 10. 17. et passim.

57) c. 11. «Non fuit caussa «cur postulares. Qui hoc intel«ligi potest?» — c. 19. «Docui «quod primum pollicitus sum, «. . . . caussam omnino, cur «postularet, non fuisse: quod

De partitione controuersia.

rere in c. 23.[58]) et deinceps, ubi *Rautus* caeterique inter secundam tertiamque partem limitem egerunt.

Deinde quod negaui uocem *potuisse* urgendam esse, quem potius testem citabo quam ipsum Tullium? qui utique in illis ipsis capitibus, ubi tamen omnium opinione in secunda parte oratio uersatur, promiscue dixerit, *Naeuium ex Edicto possidere non potuisse* et *Naeuium ex Edicto non possedisse*[59]), quinetiam in colligenda loci primi disputatione hac altera potissimum loquendi formula usus sit[60]).

Postremo componas quaeso partitionis uerba, quae exhibui[61]), cum illa argumentorum repetitione, quae in peroratione habetur[62]). Ubi quum incideris in uerba haec: *Omnino autem bona possessa non esse constitut*[63]), exinde uero respexeris illa, quibus in partitione

«neque» rel. «Attende nunc ex «Edicto Praetoris bona P. Quinctii possideri nullo modo potuisse.»

58) Vide mox infra in nota 60.

59) c. 20. «C. Aquillius . . . «hoc ius in ciuitate constituat, «. . . cuius procurator a Praetore tribunos appellare ausus «sit, eum non defendi, *eius* «*bona recte possideri posse* . . . «Quod si probari nemini potest, «illud certe probari omnibus necesse est, defensum esse iudicio absentem Quinctium. Quod «quum ita est, *ex Edicto bona* «*possessa non sunt*.

60) c. 22. extr. «Quare aut «doceas oportet, Alfenum negasse se procuratorem esse, «non deiecisse libellos, iudicium accipere noluisse: aut, «quum haec ita facta sint, *ex* «*Edicto te bona P. Quinctii non* «*possedisse* concedas.» — Iam quae continuo (ne uno quidem uocabulo interiecto) in c. 23. sequuntur, «Etenim si ex Edicto «possedisti, quaero cur bona non «uenierint» rel., quae tandem ratio est diuersae prorsus nonaeque parti defensionis attribuere, quum eadem utrobique formula res, de qua agitur, demonstretur?

61) Supra p. 172.

62) c. 28. 29.

63) Caetera uide supra p. 188.

tertia pars designatur, uidelicet *postremo non possedisse*, et paullo inferius *nego possedisse*[64]) nonne ueluti necessitate quadam coactus fateberis, utrobique *tertiae* huius partis et nomen et initium certissime demonstrari? De partitione controuersia.

Quo concesso illud quoque palam erit, ad *tertiam* orationis partem praeter ea, quae *inde ab illis uerbis* enumerantur, nihil posse pertinere, anteriora uero *secundae* omnia esse, sicuti ab initio nostra partitionis interpretatio ferebat[65])?

Sed iam satis multa de re meo quidem iudicio apertissima.

De uno quodam uerbo mihi reliquum est quod uerbo adiiciam.

Qui locus modo ex anacephalaeosi petebatur, in eo uox Omnino mera *Hotomani* coniectura, neque noti Codicis ullius auctoritate constat. Eam autem coniecturam, omnibus semper probatam atque inde a *Lambino* ab omnibus, puto, Editoribus receptam, nuper *Klotzius* reiecit, ea ratione ductus, quod Omnia, quam communem Codicum lectionem dicit[66]), perinde atque Omnino ualeret. Quod ita *posse ualere*, dum planum fecerit, fateor me non credere[67]); quod *ualere potest*,

64) Vide supra p. 172.

65) Conf. supra h. §pho p. 172. et deinceps.

66) Sic utique haberi in *Bernensi* et in *Parisiensibus tredecim* testis sum.

67) Nullo loco numero quae in *Emendationibus Tullianis* (Lipsiae 1832. 8.) p. 9. in hunc modum disputauit: «Quod (scil. *Omnino*, e coniectura) «tametsi ferri posse uideatur, multo «tamen ei scripturae, quam «omnes libri tueutur, posthabendum est, tantum abest, ut «ista uerba corrupta esse uide-

De partitione controuersia.

id arbitror propter sensum *ferri non posse*, quia quod Naeuius dicitur partem tantum bonorum *non omnia bona* possedisse, non quasi *finis* est, qui huic disputationi proponatur, sed *argumentum* modo, quo, extrinsecus demum assumpta iuris quadam sponsionisque ratione, illud conficiatur, OMNINO *bona possessa non esse;* — quam ipsam *rei summam* illis uerbis enunciari, sequentia manifestissime declarant[68]).

De Codicum auctoritate sic existimo, quae ferri possunt, ferenda esse nec coniecturis temere fauendum: caeteroquin, qua illi sunt origine, aetate, natura, tantam aestimari non oportere, ut sensus necessitati, quae discerni iudicio potest, omnimodo anteponatur[69]).

«autur. commiserunt autem hoc «loco critici ut saepe alias er«rorem in dialectica ratione. «Tullius enim hoc uolt demon«strare inde, quod Sex. Nae«uius non uniuersa quae teneri «ac possideri possint possederit, «apparere adeo nihil istorum «bonorum iure esse possessum «itaque dicit: *omnia autem bona* «*possessa non esse constitui*, «*quod — possint.*, hoc si recte, «ut par est, intellexeris, non «est, ut putarant critici: *Nae*«*uium non omnia possedisse* sed «*Naeuium omnia non possedisse,* «*es seien alle Güter nicht in* «*Beschlag genommen worden*, i. «e. *es sei kein Gut in Beschlag* «*genommen worden.* Hoc deni«que nihil est aliud nisi hoc: «*omnino ac plane non possessa* «*esse Quinti bona a Naeuio.*»

68) Vide supra p. 188.

69) Quid enim quod paullo inferius in omnibus, quos nouerim, Codicibus extat, *seruos priuatos Quinctii* (hic omisso NON) *omnes eiectos esse*, — numquis tuebitur? Nolo ipsius capitis fines in praesens excedere. Plura ex uniuersa oratione exhibebo in pagellis, quae proxime sequuntur.

CAPUT II.

De uarietate lectionis in oratione pro P. Quinctio.

Statim a principio praefatus sum, ita me Tullianarum aliquot orationum nouam curam suscepisse, ut et criticam contextus recensionem et rerum ipsarum explanationem pro uiribus meis pari studio ac diligentia amplecterer.

Quocirca quum in superioribus illis commentationibus, praeparandi operis caussa institutis, nonnisi eas lectionis uarietates attigerim, quae ex iuris rerumque potissimum cognitione spectandae ac diiudicandae uiderentur, aequum censeo, etiam subsidiorum criticorum, quae adhuc collegerim, rationem aliquam reddere, deinde nonnulla ad praesentem cognitionem utilia exhibere, simul denique totam orationem critica ratione ita perlustrare, ut de uarietate lectionis singulorum locorum caussa plerumque instruatur magis quam iudicetur.

Et quum Viros doctos illos, quotquot hac aetate singulis quibusdam Tullii orationibus egregiam operam nauauerunt, omnes animaduerterem *Codicum manuscriptorum* scrinia repetiisse, horumque memoriam, Codices mss

Codices mss. etiamsi XVI. iam saeculo noti fuissent, sedulo conspicuoque semper cum fructu reuocasse, mihi quoque primum fuit, ut Codices, in hac oratione, si in alia ulla, nimium diu neglectos[1]), indagarem, et quorumcunque copia fuit, impigre excuterem. Qua in re ne recentiores quidem, XIV. atque XV. saeculi uidelicet, dum meliores inuenissem, fastidiebam, probe memor, celeberrimos illos saeculi XVI. Editores et Criticos, et qui proxime hos exceperunt, quum contextum illum, quem traditum accepimus, constituerent, iisdem fere Codicibus similibusue usos esse, ita tamen usos, ut quam ibi uerborum imaginem hausissent, eam eruditione sua rerumque cognitione emendarent, reficerent atque excolerent. Quid igitur? Nonne id ipsum opus haec aetas nostra, uix maioribus quidem animi uiribus, at nouis quibusdam subsidiis instructa, retexendum sibi proposuit? Quod ut prospere procedere possit, imprimis mihi sciendum esse uidetur, quid ipsis Codicibus, quid contra illorum uirorum coniecturis iudicioque acceptum sit ferendum. Id uero nisi Codicibus ipsis denuo inspectis satis sciri non posse, usus me docuit. Sed quid opus est plura? Iam enim res ipsa sententiam nostram declarabit.

Parisienses. Bibliotheca regia Parisiensis Codices manuscriptos, quibus oratio *pro P. Quinctio* inest, habet *tredecim*, quorum ecce tibi indicem.

a. Codex chartaceus, saeculo XV. exaratus, primum

1) Videsis quae *Niebuhrius* de hac oratione statuit in *Museo Rhenano* (Bonnae 1827.) *Tom. I. p.* 223.

Iacobi Augusti Thuani, postea *Colbertinus*, in quo, praeter philosophica quaedam Ciceronis et aliquot epistolas, orationes inueniuntur uiginti et una, nono autem loco haec *Quinctiana*, in Catalogo (Parisiis 1744. fol.) Ps. III. Tom IV. p. 396. N. 7788.[2]). Codices mss Parisienses

2) Idem est hic Codex, quem *Ed. Wunderus* ad orationem pro Plaucio in Proiegom. p. IV. attulit atque nota *Pa.* designauit. Quae etiam caussa fuit, ut primo loco eum afferrem, quomagis et litterarum ordinem et notam illam conseruarem. Quod V. D. ille d. loco adiecit, Qua« nis pagina plurima uerba te« mere omittit », etiam huic parti, qua oratio pro Quinctio continetur, aliquatenus conuenit; rursus autem maiores quasdam lacunas, caeteris paene omnibus communes, non habet. Caeterum praecipuum est ei Codici etiam uetustius hoc orationis argumentum:

« Incipit oratio M. T. C. pro « Quintio, cuius argumentum hoc « est. Sextus Naeuius et Gaius « Quintius cines Romani socie« tatem certarum rerum, quas « in Gallia possidebant, inter se « inierunt. Decessit g. Q. (G. « Quintius) relicto herede Publio « Quintio. Cum rationem socie« tatis, quam olim frater eius con« traxerat cum Sextio (Sex. Naeuio), uidere ueliet, quod praeter « spem fuerat a Sex. N. quadam « promissa pecunia destitutus, « circumuentus est magna fraude « atque arte a Sex. Cum enim pro « illa ratione pecuniaria litiga« ret, fuissentque de communi « uoluntate uadimonia dissoluta, « et Q. iter cepisset in Galliam, « Naeuius a praetore postulauit, « ut sibi ex praetoris edicto bona « Quintii possidere liceret, cum « sibi uadimonium deseruisset « Quintius. Praetor intercedente « Alfeno, procuratore Sextii *(sic)*, « iniuste concessit possessionem « bonorum Quintii Naeuio. Quin« tius, cum primum in Galliam « uenit, ut tamquam fratris he« res bonorum communium pos« sessionem ‖ eiectus fuit manu « communium seruorum de fundo « gallicano. Volebat igitur Nae« nius bona Quintii possessa di« cere, asserens se per 30. *(sic)* « dies edicto praetoris bona Quin« tii possedisse. Causam Nae« uii agebant Q. Hortensius et « L. Philippus, clarissimi et *(spa« tium uacuum 15. circiter litte« rarum)* oratores, quibus iam « ueteranis et potentibus Cicero « adhuc iuuenis annorum 22., « ut refert ***planterus*** (sic) Quin-

Codices mss. Parisienses.

b. Codex membranaceus, sacculo XV. scriptus, olim *Colbertinus*. Praeter alia continet Ciceronis orationes octo (*pro Quinctio* est septima) et Philippicas. In Catalogo l. l. p. 395. N. 7784.[3]).

c. Codex membranaceus, saeculo XV. scriptus, olim *I. A. Thuani*, postea *Colbertinus*. Continet Ciceronis orationes XII., quarum nona est *pro Quinctio*. In Catalogo l. l. p. 394. N. 7780.[4]).

d. Codex membranaceus, saeculi XIV., ut uidetur, quem in d. Catalogo impresso frustra quaesiueris. Notatus est atque in Supplemento Catalogi, quod manu scriptum extat, descriptus: *Sorbonne N.* 484.

Inuenitur recenter scriptum in auersa parte praefixi alicuius folii:

« Ce Ms. du 14. siècle contient 1°. Les discours « de Cicéron. 2°. l'éloge de Cicéron par Salluste.«

Ibidem antiquior scriptura:

« tium defendit hac oratione. « Et habet sex *(sic)* partes, ex-« ordium, narrationem, diuisio-« nem, confirmationem et con-« clusionem. In genere iudiciali.»

3) Apud *Wunderum* l. l. *Parisinus secundus (Pb.)*. Hoc Codice etiam *Steinmetzius* in edendis Orationibus selectis (Moguntiaci 1832. 8.) usus est. Vide eius Praefationem p. IX., ubi *Paris.* 5. appellatur.

4) Apud *Wunderum* l. l. *Parisinus tertius (Pc.)* apud *Steinmetzium* l. l. p. IX. (*Par.* 3.) — Quod *Wunderus*, Plancianam respiciens, retulit, «*Pb. et Pc. in « ineptissumis corruptelis mire « consentiunt ita ut ex uno eo-« demque libro descripti intelle-« gantur*», ad litteram etiam huic *pro Quinctio* orationi conuenit. Illius igitur V. D. testimonio exemploque fretus supersedebo eius rei specimina ac documenta afferre, quorum magnam copiam collegeram.

« In isto uolumine continentur ea quae sequuntur « opera Tullii. » Codices mss Parisienses.

De magni Pompeii laudibus[5]) (f. 1.), Miloniana (f. 11.), pro Plancio (f. 26.), pro P. Sulla (f. 43.), pro A. Licinio Archia (f. 56.), pro M. Marcello (f. 60.), pro Q. Ligario (f. 64.), pro R. Deiotaro (f. 68.), pro A. Cluentio (f. 73.), *pro P. Quintio* (f. 99), pro L. Flacco (f. 111.), ad populum Romanum cum gratias egit, (f. 125.), ad Senatum pro se ipso (cum gratias egit, f. 131.) In C. Verrem Actionis I. liber I. (*Diuinatio*, f. 137.) Eiusdem actionis liber II. (*Actio I.*, f. 145.) In Verrem Actionis secundae liber I. (f. 151.) Eiusdem Actionis liber II. (f. 168. *Reuera est liber quartus*, *nam media*, *inde a c.* 43. *libri I.*, *deficiunt omnia*) Eiusdem Actionis liber III. (*Est liber V.* — f. 194.) in Catilinam lib. (f. 221.), lib. II. (f. 227.), lib. III. (f. 232.), lib. IV. (f. 236.) Inuectiua Crispi Sallustii in M. Tullium Ciceronem (f. 241.) Tullii in Sall. inuectiua (f. 242.), pro Cornelio Balbo (f. 245.), pridie quam mitteretur in exilium (f. 255—258.). — In fine uoluminis: Expliciunt multae orationes Tullii Ciceronis et c̄.

e. **Codex membranaceus, duobus uoluminibus constans, saeculi XV., olim *Colbertinus*, qui orationem *pro Quinctio* inter XXXIII. secundam continet. In Catalogo l. l. p. 392. N. 7774.** [6]).

5) Verbis relictis rem in breuius redigam.

6) *Steinmetz.* l. l. p. VIII. (*Par.* 9.)

Codices mss. Parisienses.

f. Codex membranaceus, saeculi XIV., quo Ciceronis orationes XIV. continentur, *pro Quinctio* decima. In Catalogo l. l. p. 393. N. 7778.[7]).

g. Codex membranaceus saeculi XIV., qui in Catalogo impresso non enumeratur. Inscriptus est atque in supplementum Catalogi nondum typis mandatum relatus: *Sorbonne* 909.

In auersa folii primi parte recens scriptum hoc extat:

Ce Ms. du 14. siècle et du 15. Partie sur vélin Partie sur Papier contient

1°. Les harangues de Tullius Cicéron.

2°. Les trois sommes de Me. Hugolin jurisconsulte.

3°. 4°. etc.

Insunt orationes *pro Plancio*, *pro Sulla*, *pro Marcello*, *pro Ligario*, *pro R. Deiotaro*, *pro Cluentio*, *pro Quinctio*, *pro Flacco.*

h. Codex membranaceus saeculi XIV., qui post quatuor partim *Ciceronis* partim *aliorum* libellos continet *orationes Ciceronis XXIII.*, penultimam *pro Quinctio.* — In Catalogo l. l. p. 234. seq. N. 6369.[8]).

i. Codex membranaceus, olim *Colbertinus* anno 1466. exaratus. Continet orationes XXVI., primo loco

7) Id. ibid. (Par. 2.)

8) *Steinmetz.* l. l. p. VIII. (*Par.* tum 2. tum 1.) Adnotat: «In margine adscriptae sunt uariantes lectiones ab eadem manu, addito: *alii legunt.*» Eiusmodi adnotationes, siue in hoc siue in alio Codice (ueluti in nostro *Pf.*) compareant, integras exhibebo.

Verrinas, altero *Catilinarias*, penultimo *Quinctianam*. In Catalogo l. l. p. 393. N. 7777.[9]). Codices mss Parisienses.

k. Codex membranaceus, anno 1459. exaratus, cum scriptura tum omni habitu splendidus. Insunt XXX. Tullii orationes, quarum uicesima sexta est *pro Quinctio*. In Catalogo l. l. p. 393. seq. N. 7779[10]).

l. Codex membranaceus, saeculi XV., primum *Iac. Augusti Thuani*, cuius nomen in ima parte primae paginae inscriptum est, postea *Colbertinus*. Continet Ciceronis XXII. orationes, quarum tertia decima est pro *P. Quinctio*. In Catalogo l. l. p. 394. N. 7781.[11]).

m. Codex membranaceus, saeculi XV., olim *Mazarinaeus*. Continet *M. Tullii orationes XXVI.* Decima est *pro Quinctio*, in fine manca. Quippe

9) *Steinmetz.* l. l. p. VIII. (*Par.* 4.), ubi dicitur ex satis bono libro accuratissime descriptus esse. Equidem in *Quinctiana* uulgaribus potius hunc Codicem adnumerauero.

10) *Steinmetz.* l. l. p. VIII. (*Par.* 7.) — In fine uoluminis scriptum est:

De pavye
au roy Loys XII.
Deo gratias M.
D. sexto Kal. Martias 1459.

Orationi pro *A. Caecina*, quae in hoc Codice proxime *Quinctianam* praecedit, haec subiuncta inuenies indicis seu argumenti uice, rubro colore: *M. T. Ciceronis oratio pro P. Quintio.* «*Cum inter P. Quintium, C.* «*Quintii fratrem ac heredem:* «*et Sextum Naeuium, cum* «*quo Caius societatem bono-* «*rum habuerat, controuersia* «*esset, orat pro Publio Cice-* «*ro.*» — Quae sit lectionum huius Codicis in hac oratione proprietas potius ac singulare consilium, quam praestantia aut fides, inferius apparebit.

11) *Steinmetz.* l. l. p. IX. (*Par.* 6.). — Illarum XXII. ultima quidem in Catalogo sic affertur: *Declamatio in Catilinam authore anonymo.*

Codices mss Parisienses.

folii 109. extrema uerba sunt *a quo ius impetraret inuenire* (in c. 31.), folium autem 110. Incipit a uerbis *ferimus ea quae sunt ferenda*, quae sunt capitis 1. *pro Flacco.* — In Catalogo l. l. p. 394. N. 7782.[12]).

n. Codex chartaceus Saeculi XV., olim *Claudii Puteani*, cuius nomen habetur in prima pagina. Continet *Ciceronis XV. orationes*, quarum est penultima *pro Quinctio.* Et scripturae genere et lectionibus est infimae notae. In Catalogo l. l. p. 401. N. 7824.

Bernensis

Hactenus *Parisienses.* Praeterea *Baiterus* noster uariantium lectionum delectum e Codice *Bernensi*[13]) benigne mecum communicauit, a *Leon. Usterio*, uiro doctissimo, eiue, aequali, quinetiam sodali meo, eheu quam dudum iam defuncto, excerptum et relictum.

Sunt igitur hi *quatuordecim Codices*, ex quibus nunc mihi propositum est delectum quemdam uariarum lectionum in medium proferre. In hoc autem munere suscipiendo, quum pariter fere timeam, ne nimium multa atque ne panciora uidear tradidisse, tutissimum duco consilii mei rationem breui exponere.

Primum igitur illud tenui, qui ex Codicibus multis iisque uulgaribus ac parum uetustis uoluerit scriptoris alicuius reliquias emendare, ei *ipsorum Codicum* noti-

12) *Steinmetz.* l. l. p. VIII. (*Par.* 8.)

13) Bibliothecae reipublicae Bernensium Codex 214. — Eadem stirpe contextus orationis *pro Quinctio* est in hoc Codice atque in maiore parte Parisiensium. Ad afferendas lectiones nota *B* eum distingnam.

Tria haec, separatim prius edita ac partim contextus recensionibus adiuncta, in hocce libro inueniuntur:

In omnes *M. Tullii Ciceronis* orationes, quot quidem extant, doctissimorum uirorum *Lucubrationes*, . . . in unum uolumen collectae, ac partim etiam antea partim nunc primum in lucem editae rel. Basileae 1539. m. Septembri, fol. p. 141—72. p. 172—224. p. 1453—84.

In eandem pro *A. Cecinna* orationem *Petri Pellitarii Ambasiani* Commentarius.

Quem librum una cum superioribus tribus ac breuioribus quibusdam *Philippi Melanchthonis* Scholiis et *Ioachimi Camerarii* Annotatione continet alius eiusmodi disputationum thesaurus, sic inscriptus:

In omnes *M. Tullii Ciceronis* Orationes, quot quidem extant, doctissimorum uirorum *Enarrationes*, . . . in

unum uelut corpus collectae. Lugduni 1554. fol.[1]) p. 349—475. p. 475—78. p. 476. seq. — Conf. p. 272—349.

M. Ant. Ferratii Epistolarum libri sex. Venetiis 1738. 4[2]).

Henr. Constant. Cras Dissertatio iuridica inauguralis, qua specimen iurisprudentiae Ciceronianae exhibetur, siue Ciceronem iustam pro A. Caecina caussam dixisse ostenditur. Lugduni Batauorum 1769. 4.

C. A. Iordan Specimen quaestionum Tullianarum. Halberstadii 1834. 4.

W. Drumann Geschichte Roms nach Geschlechtern, T. V. p. 335—43.

§. 1.

De hereditatis controuersia.

Triplex in proposita oratione commemoratur iuris contentio, quae inter A. Caecinam atque S. Aebutium intercesserit, prima de Caesenniae hereditate, altera de fundo quodam, Fulciniano nomine, utrum S. Aebutii

1) In hoc uolumine habentur etiam ad orationem pro Quinctio, quam superiore libro nostro illustrauimus, *Antonii Luschi Vicentini* enarratio (p. 1—6.), *Francisci Syluii Ambiani* commentarius (p. 6 — 29.), *Bartholomaei Latomi* scholia (p. 29—36.), *Micaeli Toxitae* commentarius (p. 36—74.), *Caelii Secundi* scholia (p. 74—81.), *Ioachimi Camerarii* adnotatio. Quorum *Syluii* ille commentarius etiam in supradicto Corpore, quod Basileae a. 1539. prodiit, extat. — Denique haec omnia ad libri mei primi caput I. p. 1. adiecta uolui, ubi commemorandus fuit etiam *W. Drumanni* liber, inscriptus Geschichte Roms . . . nach Geschlechtern, T. III. p. 82 — 84. T. v. p. 232—34.

2) Quibus eius operis partibus doctissimus ille et acutissimus Tullii commentator propositam caussam orationemque tractaverit, uidesis in praefixo *Indice locorum.* Supra in exordio libri primi idcirco illarum epistolarum mentionem facere supersedi, quia plura ad Quinctianam quam ad Caecinianam *Garatonius* inde excerpsit.

esset an hereditarius, tertia de eiusdem fundi possessione, an ex interdicto de ui hominibus coactis armatisue Caecinae restituenda ab Aebutio esset.

Quarum de tertia quum constitutum sit totum hoc, quod agitur, iudicium, in ea etiam disputatio nostra maximam partem uersabitur. Neque secunda, quam dixi, controuersia separatam desiderabit longamue commentationem. At contra quam primam demonstraui de hereditate quaestionem, ea in hac caussae defensione talem obtinet locum, ut, nisi uelimus quodammodo insidias a tergo relinquere, statim in primo disputationis ingressu ad contemplandam illam orationis partem necessitate quadam ducamur. Ubi quam inueteratis erroribus interpretatio laboret, et quae inde nata sit tam lectionis corruptio quam rei gestae perturbatio, mox apparebit.

Est locus in narratione[1]), unum huius rei caput atque fons, ubi prius quidem refertur, Caeseniam testamento heredem fecisse ex deunce et semuncia Caecinam, ex duabus sextulis Fulcinium, libertum superioris uiri, Aebutio sextulam adspersisse: deinde ex nouissima *Orellii* Editione[2]) in hunc modum oratio procedit: Narratio controuersiae in c. 6 7.

« Hanc sextulam illa mercedem isti esse uoluit assi-
« duitatis et molestiae, si quam ceperat. Iste autem
« hac sextula se ansam retinere omnium controuer-
« siarum putat. — Iam principio ausus est dicere
« non posse heredem esse Caesenniae Caecinam,

1) cap. 6. extr. 7.

2) *M. Tullii Ciceronis* Orationes selectae xv. Turici 1836. 8.

Narratio controuersiae in c. 6. 7. «quod is deteriore iure esset quam ceteri ciues «propter incommodum Volaterranorum calamitatem- «que ciuilem. Itaque homo timidus imperitusque, «qui neque animi neque consilii satis haberet, non «putauit esse tanti hereditatem, ut de ciuitate in «dubium ueniret: concessit, credo, Aebutio, quan- «tum uellet, de Caesenniae bonis ut haberet? Immo «ut uiro forti ac sapienti dignum fuit, ita calumniam «stultitiamque eius obtriuit ac contudit. §. 19. In «possessione bonorum cum esset et cum ipse sex- «tulam suam nimium exaggeraret, nomine heredis «arbitrum familiae erciscundae postulauit. Atque «illis paucis diebus, posteaquam uidet, nihil se ab «A. Caecina posse litium terrore abradere, homini «Romae in foro denuntiat fundum illum . . . suum «esse seque sibi emisse.»

Lectio d. Sphi 19 Quae lectio extremi huius articuli 19. (nam cum eo praecipue mihi res est) si uera est, expeditum simul erit, omnes illas sententias, quarum uerba sunt *esset*, *exaggeraret*, *postulauit*, eaque uerba ipsa ad Aebutii personam esse referenda. Idque longe plurimis semper placuit atque hodie placet. Verumtamen haud defuerunt, qui illius loci tenorem in dubium uocarent, atque tum repudiato tum conseruato, quem modo demonstraui, sensu, coniecturarum ope (nam in Codicibus parum auxilii est) emendare conarentur. Quos omnes haec fere structurae obseruatio mouisse uidetur:

Obtriuit ac contudit nullo dubio Caecina. Iam quod statim sequitur *cum esset*, nullo interiecto neque nomine neque pronomine, ad diuersam Aebutii perso-

nam transferri, durum sane et incommodum transitionis genus haud absurde existimatur. Lectio d Sphi 19

Contra pronomen *ipse*, uerbo *exaggeraret* adstructum, quum hic iam nulla intercedat personae mutatio, abundare quodammodo ac sano iustoque sensu carere dicitur.

Itaque *Ernestus* censuit, pro *ipse* scribi oportere *iste*, eamque deinde uocem etiam in praecedentem sententiam *in possessione bonorum cum esset* transponi.

Olim uero *Pantagathus* pro *ipse* legit *istam*.

Beckius autem, interpretandi quodam artificio contentus, ita retinuit *ipse*, ut dubitans adiiceret: « Num ponitur pro *adeo* »?

Contra *Schützius*, parua quidem uerborum mutatione, uniuersam periodi sententiam transformauit. Quippe edidit *iste* pro *ipse*, quo facto repente uerba *esset*, et *postulauit* Aebutio subtrahuntur atque ad Caecinam transferuntur.

Is autem editor, quum quid de summa loci ratione sentiret, haud exposuerit, uideamus, ne sic fortasse secum considerauerit.

Quod uulgo obtinet, post uerba *obtriuit ac contudit* abire a Caecina orationem ac deinceps ad Aebutium pertinere, abruptam fere mutilamque efficit illam de Caecina narrationem. Qui enim conuenit dicere, Caecinam aduersarii calumniam stultitiamque obtriuisse ac contudisse, de iuris uero ratione et, ut ita dicam, de armis, quibus ad eam rem usus sit, penitus tacere? Quasi uero de elephanto agatur, quem pedibus pugnasse nemine docente quiuis intellecturus sit!

Lectio d. Sphi 19 Verumtamen probe *Schützius* intellexit, sola illa, quam retuli, coniectura plenam loco medelam nondum se attulisse.

Etenim constat, uerbum, quod sequitur, *uidet* ad *Aebutium* pertinere. Cui uerbo quum nec nomen nec pronomen sit appositum, quid rursus ea constructione durius? quid inelegantius?[3])

Huius igitur impedimenti superandi caussa *Schützius* etiam pro *illis* scripsit *iste*. Nam *illis*, inquit, prorsus hic otiosum est, et *iste* necessarium est, ut ad Aebutium redeat oratio.

Nuper denique *Orellius*, posteaquam in *Operibus M. Tullii* edendis superiorem Schützii coniecturam neglecta altera receperat, in Selectarum Orationum Editione ad uulgarem Codicum lectionem reuersus est, eandemque *Klotzius* quoque non solum retinuit, uerum etiam reiecto omni coniecturarum genere, defendit ac denuo commendauit.

Qua in re, praesertim in tanta Criticorum dissensione[4]), nihil antiquius duco quam ut rationem iuris et caussae, qua de agitur, ab omnibus antea mirum in modum neglectam, attentius consideremus diligenterque excutiamus. Quid ergo est? Tota quaestio eo redit:

Familiae herciscundae uter egerit. Uter nomine heredis arbitrum familiae herciscundae postulauit, Aebutius an Caecina?

3) Parum satisfacit quod e principio capitis 8. simile, quemadmodum dicunt, affertur exemplum.

4) Mitto Guilielmii coniecturam «in *possessiones* bonorum quum *isset*», quamquam in plerisque Codicibus inuenitur *possessiones*, quinetiam in uno (Pe), a secunda tamen manu, *isset*.

Fam. herc. uter egerit.

Quodsi probabili quadam uel adeo necessaria ratione extricare potuerimus, nonne etiam lectionis iudicatio certior faciliorque reddetur?

Aebutius?

Age uero fac, id quod plerique uolunt[5]), *Aebutium* nomine heredis arbitrum familiae herciscundae postulasse, Tullium autem hoc nobis narrare; quaenam inde nascitur tam caussae quam Tullianae narrationis disputationisque figura?

Ostendit scilicet orator, Aebutium, heredis nomine inflatum, uniuersae hereditati cupide se immiscuisse, et tam auidum, tam arrogantem, tam molestum importunumque se praebuisse, quam si ex dimidia similiue parte institutus esset: quinetiam eo insolentiae processisse, ut familiae herciscundae actionem intenderet.

Sententia magis recondita haec fere fuerit:

Qui e sexta unciae parte heres est scriptus, non tam rei quam honoris caussa heredis nomine uenit. Decet igitur hunc primariis uerisque heredibus pudenter permittere bona cum administranda tum diuidenda, modesteque contentum esse, certam quandam pecuniae summam aliamue rem pro portiunculae modo ex aequo et bono sibi attribui. E diuerso ridiculi ac paene improbi hominis est, honorem illum, quem testator ei habuit, in coheredum incommodum uertere eosque uariis calumniarum figuris adeo uexare, ut depellendae

5) In hanc sententiam discesserunt *Omphalius* (in Argumento) *Tislinus*, *Hotomanus*, *Manutius*, *Pantagathus*, *Ernestus*, *Cras* (l. l. p. 8. 33—35.), *Glückius* (ad Dig. X, 2. Tom. XI. p. 3.), *Osiander*, *Iordan* (l. l. p. 6.), *Reinius* (R. Pr. R. p. 395.), *Klotzius* (ad h. l. et in Praefat. p. XIII.) *Drumannus* (l. l. T. V. p. 338.); denique *Editores* tantum non omnes.

Fam. herc. uter egerit, Aebutius? molestiae caussa taedioque magis quam ullo iuris iusto metu moti pauculum quiddam ab se abradi patiantur.

Audio. Nec repugnabo, si quis confirmandi caussa adiecerit, similem rationem apud Romanos effecisse, ut ex opposito etiam legatarius, qui ne *partiarii* quidem ius testamento accepisset, tamen propter solam legati magnitudinem *in partem* ab heredibus *uocaretur* atque ad diuidendam hereditatem quodammodo coheredis loco haberetur. Cuius moris ipsa haec caussa exemplum continet uxoris illius, cui M. Fulcinius adolescens grande pondus argenti legauerit [6].

Verumtamen hoc loco aliquis fortasse obiiciat, cum unus ex heredibus partem suam nimium exaggerauerit, magis exspectandum esse, coheredes, quo iniuriam depellant arrogantiamque reprimant, ad iudicium prouocaturos esse, quam ipsum eum, qui iniuriam fecerit. Quod genus uel in comoedia habetur

Phorm. Una iniuria est
Tecum. *Chr.* lege agito ergo. *Phorm.* altera est
tecum, Chreme.
De. Rape hunc.

Cui difficultati ea ratione *Klotzius* occurrit, ut statuat, Aebutium, quum partem suam in Caecinae detrimentum exaggeraret, simul familiae herciscundae egisse, quomagis quam ipse *faceret* Caecinae iniuriam, eam *pati* potius ab hoc putaretur. Scilicet nota res est, auctor *Phaedrus*:

Ad riuum eundem lupus et agnus uenerant
Siti compulsi, rel.

6) c. 4. extr.

Videamus igitur, quid Aebutius familiae herciscundae agendo spectauerit atque assequi potuerit. Fam. herc. uter egerit, Aebutius?

Nempe ut cum Caecina, coherede suo, hereditatem diuideret: nam eius rei caussa familiae herciscundae arbitrium inter coheredes esse comparatum, explorati iuris est.

At uero negabat Aebutius, coheredem sibi esse Caecinam, quia ciuis non esset propter legem Corneliam, eaque de caussa a ciuibus Romanis hereditates capere non posset. Neque illam, quam Tullius dicit, *stultitiam* Aebutii *calumniamque* adeo Caecina *obtriuerat ac contuderat*, ut uel minimum de ea defensione ille remitteret, quippe quem in hac quoque caussa, quae nunc agitur, Caecinae ius tam ciuitatis quam hereditatis in controuersiam uocasse ac pernegasse palam sit [7]).

Quodsi idem familiae herciscundae egisset, certissima ratione, coheredem sibi esse Caecinam, confessus fuisset.

Utique certissimo iure affirmo constare, eum, qui familiae herciscundae cum aliquo agat, confiteri hunc sibi coheredem esse: quod ius nisi infesto quodam testimonio laederetur ac periclitaretur, paucis Digestorum allatis fragmentis affatim docuisse mihi uiderer; nunc ita defendendum esse arbitror, ut controuersum apud iuris peritos magis aliquando fuisse quam hodie esse praemoneam.

Enimuero si quis sua sponte ab alio postulat, ut hereditatem secum diuidat, nonne res ipsa fert, illum

7) Vide c. 33—35.

Nam here uter egerit, Aebutius?

fateri hereditatem sibi cum hoc esse communem? Tale autem esse, quale modo dixi, neque aliud ulium eius, qui familiae herciscundae agat, consilium ac sententiam, summa testimoniorum et copia et conspiratio declarat; ut ecce statim in principio huius tituli *Gaius* docet, idcirco hanc actionem lege XII. Tabularum introductam esse, quia coheredibus uolentibus a communione discedere necessarium sit uisum aliquam actionem constitui, qua inter eos res hereditariae distribuerentur: pariter autem *Ulpianus*, *Paullus* caeterique siue diserte siue tacite ubique ostendunt, eo iudicio nonnisi cum herede similiue successionis socio recte agi posse [8]. Quid quod in L. 51. §. 1. h. t. *Julianus* totidem uerbis statuit, ita demum actorem hoc iudicium a Praetore impetraturum esse, si confiteatur, aliqua ex parte aduersarium sibi coheredem esse [9]; *Ulpianus* autem in L. 1. §. 2. Si pars hered. pet. duos hereditatis possessores, qui inuicem sibi hereditatis controuersiam faciant, familiae herciscundae inter se agere uetat, hereditatem petere iubet [10]; — *Paullus*

8) Praeter d. L. 1. pr. uidesis L. 2. §. 4. L. 24. §. 1. L. 25. §§. 3—5. L. 43. L. 49. et passim h. t. (conf. L. 1. Comm. divid.) L. 7. Si pars hered. — *Ulpian*, XIX, 16. *Paull.* I, 18, 3. *Gai.* II, 219. seq. IV, 42. — §. 20. I. De actionibus. §. 4. I. De off. iud.

9) «Si ego a te hereditatem «petere uellem, tu mecum fami«liae herciscnndae agere, ex «caussa utrique nostrum mos «gerendus est. Nam si ego to«tam hereditatem possideo, *et «te ex parte dimidia heredem esse «confiteor*, sed a communione «discedere uolo, impetrare debeo «familiae herciscundae iudicium; «quia aliter diuidi inter nos here«ditas non potest» rel.

10) «Quinimo si duo possideant «hereditatem, et duo sint, qui «ad se partes pertinere dicant: «non singuli a singulis petere «contenti esse debent, puta pri-

denique in L. 36. eod. adeo non esse familiae herciscundae iudicium nisi inter coheredes acceptum pronunciat, ut, si cum eo actum sit, quem falso actor heredem putauerit, etiam rem iudicatam ualere neget [11]).

Fam. herc. uter egerit, Aebutius?

Quibus testimoniis argumentisque perceptis iam ac perpensis nihil timeo, ne cui dubitationem moueat quod in L. 37. h. t. uulgo legitur:

«Qui familiae herciscundae iudicio agit, non confitetur, aduersarium sibi esse coheredem."

«mus a primo uel secundus a «secundo; sed ambo a primo et «ambo a secundo: neque enim «alter primi alter secundi partem «possidet, sed ambo utriusque. «*Proinde* (Flor.: *pro herede*) et «si possessor et petitor possi«deant hereditatem, cum unus«quisque eorum partem dimidiam «hereditatis sibi adserat, inui«cem petere debebunt, ut par«tes rerum consequantur: *aut si «controuersiam sibi non faciunt «hereditatis, familiae herciscun«dae experiri eos oportebit.*»

11) «Cum putarem te coheredem «meum esse, idque uerum non «esset, egi tecum familiae her«ciscundae iudicio, et a iudice «inuicem adiudicationes et con«demnationes factae sunt. Quae«ro, rei ueritate cognita, utrum «condictio inuicem competat an «uindicatio; et an aliud in eo, «qui heres est, aliud in eo, qui «heres non sit, dicendum est? «Respondi: Qui ex asse heres «erat, si, cum putaret, se Ti«tium coheredem habere, acce«perit cum eo familiae herciscun«dae iudicium, et condemnatio«nibus factis soluerit pecuniam, «quoniam ex caussa iudicati sol«uit, repetere non potest. *Sed «tu uideris eo moueri, quod non «est iudicium familiae herciscun«dae nisi inter coheredes acce«ptum:* sed quamuis non sit iu«dicium, tamen sufficit ad im«pediendam repetitionem, quod «quis se putat condemnatum. «Quod si neuter eorum heres fuit, «sed quasi heredes essent, acce«perint familiae herciscundae iu«dicium, de repetitione idem in «utrisque dicendum est, quod «diximus in altero. Plane si sine «iudice diuiserint res, etiam con«dictionem earum rerum, quae «ei cesserunt, quem coheredem «esse putauit, qui fuit heres, «competere dici potest: non enim «transactum inter eos intelligitur, «cum ille coheredem esse puta«uerit.» Conf. librum meum de Litis contestatione etc. p. 353. seq.

Nam. herc uter egerit, Aebutius? Quippe corruptum esse hoc testimonium, siue a Compilatoribus [12]), siue a Librariis [13]), siue ab Editoribus [14]), neque ex animi sui sententia ita scribere *Scaeuolam* potuisse, hodie, puto, inter omnes constat.

12) Talis est *Glossae*, *Cuiacii* (Obss. IX, 36.) caetcrorumque sententia eorum, qui scripsisse quidem *Scaeuolam* «*non confitetur*» contenderunt, nec tamen ipsum dubitasse, quin confiteatur unusquisque sibi coheredem esse quicum familiae berciscundae agat; immo illud tantum quaesiuisse, eiusmodi confessio, si ex errore esset profecta, possitne ad instar aliorum negotiorum ad irritum reuocari necne. Itaque *Scaeuolam* eadem fere mente scripsisse «*non confitetur*», atque *Paullus* in d L. 36. extr. «*transactum non intelligi*» uel *Ulpianus* in L. 2. De confessis: «*Non fatetur qui errat nisi ius ignorauit.*» Qui omnes, si sententiam magis quam uerba sequamur, nihil aliud statuunt nisi unum hoc, ad irritum reuocari posse etiam confessionem, erroris caussa probata, ad instar caeterorum negotiorum, quae consensu constant. Conf. L. 57. De O. et A.

13) «NON» ciecerunt *Noodtius* ad h. t. (in Opp. T. II. p. 186.), *Voetius* in Comm. ad h. t. §. 10; (qui tamen ne *Hotomani* quidem interpretationem, Obss. V, 1., repudiauit, uerbum *agit* ad *reum* referentis propter *duplicem iudicii naturam!*) *Pothier* ad h. t. art. 19. not. 6., et alii. — Fatendum tamen est, NON illud non *Florentinae* solum uerum etiam *Vulgatae* lectionis esse. Nec certus Codex Ms. ullus affertur, e quo absit, ne uariare quidem Codices dicuntur, nisi in Ed. glossata *Baudosae* 1593. 4., ubi in margine inuenio: «*in m. s. deest negatiua.*» — Contra habetur in meo Codice et in *Erlangensi*, quem Glückius consuluit. Item in antiquis Edd. hisce: Venetiis 1477. (Iac. Galici Rubeorum familia) 1482. (Io. Herbort de Siligenstat). 1494. (de Tortis) Norimbergae (Koburger) 1482. Lugduni 1510. (Franc. Fradin.). Ed. sine l. et a. (Venetiis per Theodorum de Ragazonibus de Asula). de Tortis 1492. Lugduni 1508. (Nicol. de Benedictis). In quibus tamen omnibus tam Codd. quam Edd. inuenio *fuisse* pro *esse*; in tribus Edd., quas postremas attuli, etiam *suum* pro *sibi*. — Illud nemini placuit, quod *H. Cannegieterus* in Obss. I. R. I, 17. (p. 114.) coniecit, *mox* aut *modo* legendum esse pro *non*.

14) Sic *Arntzenius* statuit, qui NON illud pro *nonne* intellexit, idque adiecta interrogationis nota declarari oportere censuit. Quem *Glückius* (T. XI. p. 15.), *Mühlenbruchius* (Doctr. Pand. II. 2. §. 531. not. 5.) aliique secuti sunt.

Ne olim quidem adeo quemquam hoc fragmentum fefellisse uidetur, ut, quo sensu nos diximus, Aebutium familiae herciscundae agendo de iure Caecinae confessurum fuisse, infitiaretur [15]). Ego uero, ut nihil retineam, cum sensus necessitate tum Basilicorum [16]) auctoritate ductus eorum sententiae accedo, qui Non illud cultro critico resecandum esse censuerunt, adeoque ex illo fragmento testimonium eius iuris, quod docuimus, disertum magis quam necessarium, comparauerunt. Fam. herc. uter egerit. Aebutius,

Quod utcunque se habeat, perspicuum tandem est, qui *Aebutium* familiae herciscundae arbitrum postulasse statuerint, iis et iuris et caussae, qua de agitur, formam ac rationem fortissime repugnare.

Sequitur ut e contrario dispiciamus, quaenam rei facies existat, si *Caecinam* ponamus familiae herciscundae arbitrum postulauisse [17]). an Caecina

Quaenam igitur caussa fuit *Caecinae*, cur familiae herciscundae cum Aebutio ageret?

Nempe quia sextulam suam nimium exaggerabat Aebutius, illud autem arbitrium ordinarium est proprium que auxilium eorum, qui una in demortui alicuius bona uocantur, si quid de diuisione inter eos differat.

Cur *heredis nomine* Caecina dicitur arbitrum postulasse?

Videlicet quia constantis fortisque uiri erat, ad-

15) Praeter auctores adhuc allatos, qui de d. L. 37. scripserint, uide apud *Hommelium*, *Schultingium* (ed. *Smallenburg*) et *Glückium* l. l.

16) Ed. Fabroti T. V. p. 681.

17) In hac parte inuenio *Pellitarium*, *Latomum* (nisi apud hunc obscuritas fallit) *Schützium*, *Wolffium* ac *Burnoufium*.

Fam. herc. uter egerit, An Caecina? uersa fronte confligere, ciuili strictoque iure consistere, ad aequitatem nullam confugere, nullum Praetoris nouum aut singulare auxilium [18] implorare.

Plus arbitror. Aebutius *hereditatis* controuersiam moturum se Caecinae ostenderat. Caecinae igitur fuit, *nomen heredis tueri* eoque strenue confidere. Itaque quanto magis iste negauerat Caecinam heredem esse, tanto fortius hic heredis ius sibi uindicabat, eoque subnixus propriam strictamque heredis actionem, *familiae* scilicet *herciscundae*, edebat. Quam quum intendebat, simul paratum se ostendebat ad ius hereditatis iure iudicioque uindicandum. Etenim ea est iudicii illius natura, ut actor, nisi heredem se esse probauerit, uincere non possit, ac propterea plena ei quicum agitur praebeatur occasio mouendae de hereditate quaestionis: quae si contra actorem iudicetur, aut a tota hereditate repelletur aut grauissimo tamen molestissimoque praeiudicio afficietur.

Fortiter igitur hereditatis iure confidit qui familiae herciscundae arbitrum postulat.

Enimuero cur dicitur *in possessione bonorum fuisse* Caecina, eaque maxime de caussa sic egisse?

Nempe quia partem suam qui possidet, si illud iudicium postulat, ius suum strenue, fortiter prudentique consilio defendit; qui uero non possidet, si idem fecerit, non fortem sed insanum aget. Quid ita? Quia, siue heres sit siue non sit, temporali exceptione, *Quod hereditati praeiudicium fiat*, hic summouebitur.

Quarum rerum omnium, satis, opinor, ad proposi-

18) Qualia uidesis in L. 24. §. 1. L. 2. §. 1. h. t.

Fam. herc uter egerit, an Caecina?

tum commodarum, ecce locupletissimum testem *Gaium*, qui in libro VII. ad Edictum prouinciale[19]) sic scripsit: « Quae quidem actio nihilominus ei quoque ipso iure « competit, qui suam partem non possidet[20]): sed « si is, qui possidet, neget eum sibi coheredem esse, « potest eum excludere per hanc exceptionem, Si « IN EA RE, QUA DE AGITUR, PRAEIUDICIUM HEREDI- « TATI NON FIAT[21]). Quod si possideat eam partem, « licet negetur esse coheres, non nocet talis exceptio: « quo fit, ut eo casu ipse iudex, apud quem hoc « iudicium agitur, cognoscat an coheres sit[22]): nisi « enim coheres sit, neque adiudicari quicquam ei « oportet, neque aduersarius ei condemnandus est." Aureola sane commentatiuncula, ueluti ipsius auctoris consilio hisce Tullii uerbis illustrandis destinata! Cui nihil antea defuit nisi ut legeretur.

Sententia d Sphi 19

Ergo, ut in pauca uniuersam loci, quo de agitur, interpretationem conferamus, *Caecina* possidebat hereditatem: nec mirum, cui testatrix in matrimonio fuisset, ultaque communi etiam possessionis bonorum in

19) L. 1. §. 1. Fam. hercisc. — De principio huius L. 1. uide supra p. 284. Conf. L. 51. §. 1. eod., cuius uerba exhibui supra p. 284. not. 9.

20) Quod in L. 25. §. 1. h. t. *Paullus* scripsit: « Quantum uero « ad accipiendum familiae her- « ciscundae iudicium, nihil inter- « est, possideat quis hereditatem « necne »: — uercor, ne magis ad uulgarem caussae figuram, ubi de hereditatis iure non ambigitur, pertineat. Conf. L. pen. Comm. diuid.

21) L. 5. §. ult. De hered. pet. (*Ulpianus*) « Eorum iudiciorum, « quae de hereditatis petitione « sunt, ea auctoritas est, ut ni- « hil in praeiudicium eius iudicii « fieri debeat.» — Conf. L. 21. L. 13. De exceptionibus. L. 25. §. 17. De hered. pet. L. fi. C. eod. *Gai.* IV, 133.

22) Non repugnat L. 1. §. 2. Si pars hered. pet.; cuius teno-

Sententia d. Sphi 19.

morte sua adprehendendae optimam opportunitatem praebuisset[23]). Iam *Aebutius* hereditatis controuersiam mouere *Caecinae* coepit, omnibusque modis partem suam augere conatus est. Quid igitur ageret *Caecina*? Hereditatem peteret ab *Aebutio*? Non potuit, quippe id genus actionum possidentibus non est comparatum[24]). Exspectaret igitur dum Aebutius a se peteret? At hoc modo et hereditatis ius, quasi timore quodam perculsus, in incerto reliquisset, et diuisionem ac communionis diremptionem, in eiusmodi socio maxime optabilem, distulisset. Quid igitur est? Familiae herciscundae, qua sola potuit actione, egit, eoque consilio, forti simul ac sapienti, utrique rei prouidit.

Huic tandem Caecinae incepto quemadmodum impedimentum moramque Aebutius intulerit denunciatione

rem uide supra p. 284. not. 10. — Nam quae secunda ibi habetur caussae figura, talis est, ut neuter litigator, quam partem hereditatis sibi adserit, eam integram possideat. Quamobrem quum *inuicem agere* dicantur, nihil eum *Gaio* discrepat quod *Ulpianus* ostendit, neutrum sine periculo exceptionis posse hereditatis controuersiam familiae herciscundae iudicio concludere. Utique hoc loco *Ulpianus* in eo totus est, ut intelligatur, multum interesse, utrum qui dimidiam partem *hereditatis* ad se pertinere dicit, *hanc* possideat an dimidiam partem *rerum hereditariarum*.

23) Olim multo curiosius illud interpretes quaesiuerunt, *utrum genus* possessionis demonstraretur, *quod praetorio iure constat*, an *quod facti est ac naturale*; quam haec, *uter possedisset egissetque*, *quid ad agendum possessio ualuisset*, denique, *quod agendi consilium fuisset*. — Vide *Passeratium* ad h. l. et *Cras* l. l. p. 33. — Caeterum sunt etiam, qui *Aebutium* quidem *egisse*, at *possedisse Caecinam* statuerint, ueluti *Omphalius* et *Osiander*.

24) L. 1. §. 6. Uti possidetis: *(Ulpianus)* « . . . actio enim numquam possessori datur; *quippe sufficit ei quod possidet*.» Conf. §. 2. I. De actionibus. *Noodt* ad Tit. Dig. Famil. hercisc., in Opp. T. II. p. 186. b.

illa, quam Tullius demonstrat; non huius loci est inuestigare, sed infra tractabitur. Sententia d. §phi 19.

Nunc sententia explorata ad uerba loci propositi lectionemque redeamus.

Lectio d. §phi 19. Posteaquam cognouimus, *Caecinam* fuisse non *Aebutium*, qui bona possederit et familiae herciscundae arbitrum postulauerit, illud quoque patet, neque uulgarem Codicum lectionem neque earum, quas supra retulimus, coniecturarum, praeterquam *Schützii*, ullam ferri posse, hanc uero ita esse praeferendam, ut ad sensum quidem nihil sit, quod reprehendas, de uerbis autem sic statuatur, quod prius scripsit «*iste*» pro «*ipse*» certum esse ipsissimumque, quod *Tullius* scripsisset [25]: alteram quoque coniecturam «*iste* paucis «diebus», dum melius aliquid afferatur, probandam esse atque adeo in textum recipiendam, at de ipsa Tullii scriptura eo usque dubitari licere, ut, si cui suspicio inciderit, post uocem *postulauit* uel *Atque* uerba complura librariorum culpa olim excidisse, ne is quidem plane deridendus fuerit [26]: quamquam nolo eam con-

25) Quam saepissime haec pronomina a librariis scribendo sint commutata, uidesis apud *Zumptium* ad I. *in Verrem* 7, 20. 41, 105. III, 29, 70. IV, 7, 15. Adde *pro Caecina* 29, 84. v°. «Istum locum fugis» rel., ubi in omnibus paene Codd. uox *istum* corruptelae cessit.

26) Videri potest hoc loco narratio sterilitate, omnis autem oratio tenuitate et ueluti macie quadam laborare. Deinde quam *Schützius* improbauit figuram dicendi «*illis paucis diebus*», ea, si per se consideretur, minime uitiosa optimeque exempli est. Conf. *in Verrem Act. I*, 6, 17. Quid quod etiam *otiosum* pronomen *illis* a V. D. parum uere dicitur, quippe quo adiecto, si rectum eius rei sensum habeo, *pauci dies* computentur inde ab actu *postulandi*, aut, si quod aliud

Lectio d. Sphi 19. lecturam lectori commendare, quae mihimetipsi, ut uerum fatear, modo probabilis modo superflua uidetur.

uerbum proxime praecesserit, ad id referantur; quum contra, si *illis* omittatur, *pauci dies* demonstrent illud temporis spatium, quod inter *uidendum* ac *denunciandum* elapsum sit: quod inelegantius mihi uidetur.

§. 2.

De iure ac formula interdicti de ui uulgaris seu quotidiani.

Constat, in caussa proposita Caecinam de certo quodam fundo sibi restituendo egisse ex *interdicto*, quod vocatur *de ui hominibus coactis armatisue.* Hoc autem interdictum, quum tam origine quam ratione sua nihil aliud sit nisi uetus illud et uulgare interdictum *de ui*, in peculiarem formam, nouatis quibusdam rebus, aliis additis, aliis detractis, redactum ac singulari cuidam rei gestae figurae accommodatum destinatumque: ratissimum duco, prius uulgarem illam pristinamque interdicti formam cognoscere, deinde, quid alterum diuersi habeat praecipuique, inuestigare.

Illius autem interdicti ius ac rationem facilius perspiciemus, quum antea, quomodo conceptum compositumque fuisset, intellexerimus. Quam interdicti formulam, partim testimoniis, partim argumentis partim coniectura ducor, ut talem fere illis temporibus fuisse existimem:

Unde tu Numeri Negidi aut familia aut procurator tuus Aulum Agerium aut familiam aut procuratorem illius in hoc anno vi deiecisti, qua de re agitur, cum ille possideret, quod nec vi nec clam nec precario a te possideret, eo restituas. Formula.

Primaria testimonia haec sunt:

Cicero pro Tullio c. 44. 45.

Vulgaris formulae testimonia

«Fuit illud interdictum apud maiores nostros de ui, «quod hodie quoque est, UNDE TU AUT FAMILIA AUT «PROCURATOR TUUS ILLUM AUT FAMILIAM AUT PROCURA-«TOREM ILLIUS IN HOC ANNO VI DEIECISTI. Deinde ad-«ditur illius iam hoc caussa quicum agitur: CUM ILLE «POSSIDERET; et hoc amplius: QUOD NEC VI NEC CLAM «NEC PRECARIO POSSIDERET. — Multa dantur ei, qui ui «alterum detrusisse dicitur; quorum si unum quodlibet «probari iudici potuerit, etiamsi confessus est, se ui «deiecisse, uincat necesse est: uel non possedisse «eum, qui deiectus sit, uel ui ab se possedisse uel «clam uel precario. Ei, qui de ui confessus esset, tot «defensiones tamen ad caussam obtinendam maiores «reliquerunt.»

Lex Thoria capite 7. (Ed. *Rudorffii*). [1])

«*Sei quis eorum, quibus ita uti s. s. est ager in* «*terra Italia datus adsignatus redditus* est, ex pos-«sessione ui eiectus est, quod eius is quei eiectus est, «possederit, quod neque ui neque clam neque precario «possederit ab eo, quei eum ea possessione ui eiec*erit*, «*tum Pr. Consolue, quem ex h. l. de eo agro ius dei-*«*cere oportebit*, *ante Eidus Mart*ias, quae post h. l. «rog. primae erunt, facito, utei is, quei ita ui eiectus «*erit*, *eam possessionem unde ui eiectus fuerit*, *quae-*«*que tunc ibei habuit*, *recuperet*.»

Cicero pro Caecina c. 19.

«. . . hoc ipsum interdictum, de quo agitur, conside-«remus . . . UNDE TU AUT FAMILIA AUT PROCURATOR «TUUS . . .

1) Zeitschrift f. gesch. R. W. Tom. X. p. 151. seq.

ibid. c. 30. Vulgaris formulae testimonia.

« Hoc enim intelligitur: UNDE TU DEIECISTI; siue *ex* « *quo loco* siue *a quo loco:* EO RESTITUAS; hoc iam sim- « plex est: *tu eum locum restituas* » rel.

ibid. c. 31.

« Cur ergo aut in illud quotidianum interdictum, UNDE « ILLE ME VI DEIECIT, additur, QUUM EGO POSSIDEREM, si « deiici nemo potest qui non possidet: aut in hoc in- « terdictum de hominibus armatis non additur, si opor- « tet quaeri, possederit necne? »

ibid. c. 32.

« In illa ui quotidiana non satis est, posse docere se « deiectum, nisi ostendere possit, quum possideret, tum « deiectum. Ne id quidem satis est, nisi docet ita se « possedisse, ut nec ui nec clam nec precario posse- « derit. Itaque is, qui se restituisse dixit, magna « uoce saepe confiteri solet, *se ui deiecisse*, uerum il- « lud addit: *Non possidebat:* uel etiam, quum hoc ip- « sum concessit, uincit tamen sponsione, si planum fa- « cit, ab se illum aut ui aut clam aut precario posse- « disse. Videtisne, quot defensionibus eum, qui sine « armis ac multitudine uim fecerit, uti posse maiores « uoluerint? hunc uero, qui ab iure, officio, bonis mo- « ribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit, nu- « dum in caussa destitutum uidetis, ut qui armatus de « possessione contendisset inermis plane de sponsione « certaret . . . Ecquid interest, utrum hoc additum, « *quum A. Caecina possederit*, necne? rel.

Gaius IV, 154.

« Recuperandae possessionis caussa solet interdictum

Vulgaris formulae testimonia

« dari, si quis ui deiectus sit: nam ei proponitur inter-« dictum cuius principium est UNDE TU ILLUM VI DEIE-« CISTI, per quod is qui deiecit cogitur ei restituere rei « possessionem, si modo is, qui deiectus est, nec ui nec « clam nec precario » rei.

Cicero pro Tullio c. 29.

« Videtis praetores per hos annos intercedere hoc *in-« terdicto uelut inter* me et M. Claudium: UNDE DE « DOLO MALO TUO, M. TULLI, M. CLAUDIUS AUT FAMI-« LIA AUT PROCURATOR EIUS VI DETRUSUS EST; caetera « ex formula.»

L. 1. *pr. De ui et ui armata.* (*Ulpianus lib.* 69. *ad Edictum.*)

« Praetor ait: *Unde tu illum ui deiecisti aut fami-« lia tua deiecit:* de eo quaeque ille tunc ibi habuit, « tantummodo intra annum, post annum de eo, quod « ad eum, qui ui deiecit, peruenerit, iudicium dabo.»

ib. §. 39.

« Annus in hoc interdicto utilis est.»

Confirmatio

Quibus testimoniis recitatis pauca mihi supersunt, quae confirmandae illius, quam antea proposui, formulae caussa admoneam.

Litigatorum nomina.

Atque ut *litigatorum nomina* in formulam interdicti reciperem, cum res ipsa tulit, tum alterius illius formulae, quam e capite 29. *pro Tullio* exhibui, tenor me mouit. Etenim duas illas interdicti formulas prorsus alia ratione inter se discrepasse mox apparebit.

Qua de re agitur.

Deinde illud, quod addidi, *Qua de re agitur*, nullum quidem habet disertum testimonium. At argumento mihi haec fuerunt:

Vulgaris formulae confirmatio. Q. D. R. A.

Vulgo notum est, Romanos tam magistratus quam iurisconsultos in formulis componendis eius uersiculi haudquaquam parcos fuisse[2]); multaque sunt exempla, ubi aut prorsus abundat aut praeterquam qui propter acumen occultissima perspiciunt, omnibus uidetur tamen abundare.[3]) Quare in hoc interdicto quum certa ac manifesta sit utilitate, nulla ratio est credere, hoc ipso loco spretum omissumque fuisse.

Utilitas autem, quam dico, in eo facillime cernitur, quod praedium, de quo deiectum se dicit actor et in quod restitui se postulat, certo suo nomine in ea formula non designatur, sed duplici illa particula UNDE — EO infinite tantum demonstratur. Quae res quam captiosa fuisset, quibusque calumniis ansam praebuisset, nisi additamento illo Praetores cauissent ueraeque interdicti sententiae consuluissent, praeclarum argumentum est ipsa haec oratio, quippe quae, si recte uelis attendere, integra habeat duo capita eiusmodi cauillationibus destinata. Illum dico defensionis locum, quo Cicero docet nihil referre, *de fundo Fulciniano* an *aliunde* deiectus sit Caecina, non distinxisse Praetorem locum, quo Caecinam restitui iuberet: itaque necesse esse sponsione uincere Caecinam, *undecunque* deiectus sit nec restitutus.[4])

2) *pro Murena c.* 13. «neque «tamen quidquam tam anguste «scriptum est, quo ego non pos- «sim QUA DE RE AGITUR addere.» *in Bruto c.* 79. *extr.* «QUA DE «RE AGITUR autem illud, quod «multis locis in iurisconsultorum «includitur formulis» rel. Conf. *Top.* c. 25. et passim in formulis apud *Gaium.*

3) Vide *Huschkii* Comm. de actionum formulis, quae in lege Rubria exstant. Vratislauiae 1832. 4. p. 22.

4) cap. 28. 29.

Vulgaris formulae confirmat o. Q. D. R. A.

Quo loco noli mihi obiicere, Tullium, si uerba illa QUA DE RE AGITUR in formulam addita fuissent atque occasionem cum spe praecidissent, illa defensione usurum non fuisse. Nam quae non ualent ad probandum, prosunt tamen interdum ad dicendum: dici autem omnia possunt. Denique tam diffidenter et ueluti fabulae colore inducto disputationem istam Tullius ingressus est, ut manifesto appareat, oratorem prauam quandam, qua aduersarius usus esset, interpretandi rationem peiore etiam eiusdem generis exemplo, quod ipse usurparet, ad absurdum perducere ac refellere uoluisse. Hoc autem uno alteroue uitio plus minus laboraret, nil referebat, ac multo sane ueri est similius, uerba illa QUA DE RE AGITUR consulto esse a Tullio neglecta, quam ut Praetores, relicta caeterorum interdictorum consuetudine [5]) in hoc duntaxat genere omisisse ea existimemus.

Quae ibi habuit

Satis de illo uersiculo dictum est, quem uereor ne multo facilius mihi concedatur in ea formula inclusum fuisse, quam (quo nunc transeundum est) quod nihil in interdicti formulam addidi *de rebus*, *quas actor*, quum deiiceretur, *in eo fundo aedibusue habuit*, restituendis. Quippe de illis quoque rebus hoc interdicto agere licuisse constat,[6]) neque in animo est *Rudorffio* controuersiam mouere, qui in supplendis legis *Thoriae*

5) L. 1. pr. Uti possid. L. 1. pr. De superfic. L. 1. pr. De it. act. q. pri. L. 1. pr. §. 29. De aqua quotid. L. 1. pr. De fonte. L. 1. pr. De cloacis. L. 1. pr. Quod ui aut clam. L. 2. pr. De precario. L. 1. pr. Utrubi. L. 1. pr. De migrando. — *Gai.* IV, 160. *Festus* s. v. *Possessio.*

6) Vide d. L. 1. pr. §§. 6. 31 — 34. 37. 38. L. 3. §. 15 L. 14. L. pen. De ui.

fragmentis eiusmodi actionem iam illius legis latae tempore obtinuisse statuerit.[7]) Tamen non arbitror, illarum rerum mobilium disertam mentionem ipsa formula contineri, immo talem potius huius fuisse et conceptionem et interpretationem, ut earum rerum restitutio perinde ac fructuum omnisque caussae uno illo uocabulo RESTITUAS concluderetur.[8]) Quid igitur est? Aut arbitrio iudicis totum hoc a Praetore commissum esse, quemadmodum de fructibus et reliqua caussa nullo du-

Vulgaris formulae confirmatio. Quae ibi habuit

7) Vide supra p. 294. ibique notam 1.

8) Hoc quam late patuerit et quam multa fuerint tum Praetoribus tum iudicibus inde exeutienda, frequens huius uerbi, quae obuiam fit, interpretatio et cum maxime haec loca ostendunt: L. fi. §. 1. De V. S. *(Pomponius)* «Restituit non tantum qui «solum corpus sed etiam qui «omnem rem condicionemque «reddita caussa praestet, *et tota «restitutio iuris est interpreta«tio.»* — L. 22. eod. *(Gaius)* «Plus est in restitutione quam in «exhibitione: nam *exhibere* est «praesentiam corporis praebere; «*restituere* est, etiam possesso«rem facere fructusque reddere: «*pleraque praeterea restitutionis «uerbo continentur.»* — L. 81. eod. *(Paullus)* «Cum Praetor «dicat, ut opus factum restitua«tur, etiam damnum datum actor «consequi debet: *nam uerbo re«stitutionis omnis utilitas actoris «continetur.»* L. 5. De interdictis. *(Idem)* «Interdicta noxa«lia ea sunt, quae ob delictum «eorum, quos in potestate habe«mus, dantur, ueluti cum ui «deiecerunt, aut ui aut clam opus «fecerunt. Sed *officio iudicis con«tinetur*, ut dominum sua im«pensa opus restituentem absol«uat; patientiam tollendo operi «praestantem noxae dedere iubeat «et absoluat; si non dedat, quan«tum impensae in tollendo opere «erogatum sit, tanti condemnet: «si neque patientiam praestet «neque ipse tollat, cum possit, «in tantum condemnet, in quan«tum iudex aestimauerit, atque «si ipse fecisset.» — Conf. L. 73. L. 75. De. V. S. L. 173. §. 1. De R. I. L. 17. §. 1. L. 20. De R. V. L. 9. §. 5. Ad exhibendum. L. 38. §§. 4—6. 11. De usuris. L. 2. §. 43. Ne quid in lo. pu. L. fi. §. 2. Quod ui aut clam. Vat. Fragm. §. 93.

Vulgaris formulae confirmatio. Quae ibi habuit.

bio fuit,[9] aut secutorio arbitrarioue iudicio, quod, prout cum periculo aut sine periculo ex hoc interdicto ageretur, constitui solebat, explicitis uerbis cautum comprehensumque fuisse necesse est statuamus.

Quorum *illud* idcirco non est probabile, quia Praetor expressis uerbis eius rei actionem in Edicto pollicetur:[10]) *hoc* autem ut magis placeat quam ipsi interdicto eiusmodi mentionem inculcare, ea maxime mihi caussa est, quod *Ulpianum* uideo hoc ius ex interdicti *ui* ac *sententia* magis quam e *uerbis* repetere, in uerbis autem ubi confirmatio quaeritur, non *interdictum* sed *actionis* potius ex interdicto natae formulam intentionemque demonstrare.[11])

9) Vide loca modo allata et praeterea L. 1. §§. 40. 41. L. 6. h. t. Vat. Fragm. §. 312.

10) d. L. 1. pr. h. t.

11) L. 3. §. 15. h. t. *(Ulpianus)* « Consequenter autem dicemus, ad res mobiles hoc interdictum non pertinere, si quis uti frui prohibitus est re mobili; nisi si rei soli accedebant res mobiles. Si igitur ibi fuerunt, *dicendum est, etiam ad eas referri hoc interdictum debere.*» — L. 1. §. 6. h. t. « Plane si quae res sint in fundo uel in aedibus, unde quis deiectus est, etiam earum nomine interdictum competere *non est ambigendum.*» — §. 32. *ibid.* « Si fundus, a quo ui expulsus sim, mihi restitutus esset, caeterae uero res, quae ui ablatae sunt, non restituantur: *hic dicendum est,* interdictum nihilominus tenere; *quia uerum est ui esse deiectum* » rei. — Quod genus arguendi e formula, quinetiam ipsa dicendi figura, saepius occurrit, ut ecce in L. 13. §. 5. De pignoribus, u[is]. « *uerum quidem est,* pecuniam solutam non esse, sed auferri hypothecam iniquum est »; quo adhibenda sunt ex §. 4. ibid. uerba « quia suas condiciones habet hypothecaria actio, id est *si soluta est pecunia* aut satisfactum est; quibus cessantibus tenet.» — Denique uidendum, ne *arbitraria* saltem ex hoc interdicto formula talis fere fuerit: SI PARET, AULUM AGERIUM A NUMERIO NEGIDIO DE FUNDO CORNELIANO, Q. D. A. VI DEIECTUM ESSE, CUM A. A[s]. POSSIDERET, QUOD NEC VI NEC CLAM NEC PRE-

Vulgaris formulae confirmatio Exceptiones

Venio nunc ad duplicem illam, quam in interdicti formula posui, exceptionem, CUM ILLE POSSIDERET, QUOD NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO A TE POSSIDERET.

Quo loco fateor, adeo me testimoniis recitatis confidere, ut ne uocem quidem confirmandi caussa emitterem, nisi de hac ipsa re acerrimum haberem aduersarium illustrissimum praeceptorem meum, quem nisi honoris caussa numquam nomino, *Sauinium.* Qui mira cum constantia contra priorem illam exceptionem pugnat, atque uerba ILLE POSSIDERET QUOD e formula eiicienda esse perseuerat.[12]) Non quo neget Vir summus, quaeri in hoc interdicto, possederit actor necne; quod contra affirmauit semper, et aduersus omnes, nuper etiam aduersus *Thibautium* fortissime atque uerissime defendit.[13]) Sed quum alterius quoque interdicti, quod est de ui hominibus coactis armatisue, idem de ea re ius fuisse haud minus strenue contendat, probe perspexit, id nemini, mediocriter quidem Romani moris gnaro, se probaturum, si in altero interdicto adiectam in altero omissam illam exceptionem fuisse appareret.

Quamobrem in *uulgari hoc interdicto de ui* ita cum *Sauinio* de *formula* dissentio, ut de *iure* conueniat, in altero interdicto contra est. Posterior autem haec *de iure alterius interdicti* dissensio, caput ac principium illius, quae hoc loco mihi attingenda fuit, dis-

CARIO A N. N^{io}. POSSIDERET, NISI EUM FUNDUM EASQUE RES, QUAS A. A^{s}. TUNC IBI HABUIT, N. N^{s}. A. A^{io}. RESTITUAT, QUANTI EA RES EST, CONDEMNA, S. N. P. A. — Neque arbitror, ubi ex sponsione ageretur, *secutorium* iudicium ualde dissimile fuisse.

12) *Besitz* §. 40. p. 512. seqq. (Ed. 6.)

13) *ibid.* p. 510. et §. 10. p. 172. seqq.

Vulgaris formulae confirmatio. Exceptiones.

sensionis, inferius exponetur. In praesentia satis est, a testimoniorum nostrorum tenore, contextu, quinetiam scriptura manum depellere, eaque integra et ab omni genere corruptelae ac suspicionis uacua et libera conseruare.

Etenim statim in eo captionem uideo, quod in *Sauinii* libro fragmentum illud legis *Thoriae* sic exhibetur, ut uerba « quod eius is quei electus est possede- » rit » et rursus haec « *quod neque ui neque clam ne-* » *que precario possederit ab* eo, *quei eum ea posses-* » *sione ui eiecerit* » typorum genere (sicut modo ipse feci) inter se distinguuntur:[14]) quasi uero *haec* exceptionem, *illa* nescio quid aliud continerent; quum caussa sane nulla dici potest, quin duae exceptiones, ex usitata interdicendi formula petitae, utrisque enuncientur.

Eodem consilio, uidelicet quomagis duae illae exceptiones in unam conflarentur ac contraherentur, uariando scripturae genere Vir doctissimus curauit,[15]) ut in d. *c.* 44. *pro Tullio* QUOD particula, ad exceptiones formulis intexendas aptissima sane atque usitatissima,[16])

14) l. l. p. 513. not. 1.

15) *ibid.* nota 2.

16) Qua de re *Sauinium* admoneri non opus est: e lege Thoria ipse exemplum attulit (l. l. Conf. p. 540. not. 2.) Cui addam haec: L. 1. §. 6. Ne quid in flu. pu. L. 1. §. 5. Uti possidetis. L. 1. §. 7. De cloacis. L. 1. §. 3. L. 7. §§. 3. 4. Quod ui aut clam. — *Festus* s. v. *Possessio*. *Cic. de orat.* I, 37. *ad Fam. VII*, 12. — L. 13. L. 14. L. 16. L. 18. De exceptionibus. L. 11. §. 3. De exc. r. iud. L. 5. §. 2. De dol. exc. L. 25. §. 17. De hered. pet. L. 122. §. 2. De V. O. — Conf. *Brissonius de Formulis* Lib. V. §. 76. p. 383. E uulgari sermone adhibeas *Senecae* N. Q. IV, 6.

a formula auelleretur oratorisque sermoni adiiceretur; quo nihil profecto fieri potest deformius. Neque me fugit, iam antea in principe Editione *Amedei Peyron*, Viri de tota ea oratione diuinitus meriti, sic exstare: quod qua ratione factum sit, quinetiam consilio an fortuito, equidem ignoro, tamen uix dubito, quin typothetarum erroribus, de quibus memini Editorem cum *Orellio* nostro conqueri, sit tribuendum, certe a *Beiero*, *Huschkio*, *Orellio* Editoribus iamdudum correctum est. 17) Vulgaris formulae confirmatio.

Atque haec hactenus. Quodsi quis in ea re, quae ut testimoniis plana fieret curaui, etiam argumenta, Argumenta. quibus confirmaretur, desiderauerit, hoc unum rogabo, ut alterum illud interdictum, quod *Uti possidetis* appellatur, attente uelit mecum considerare.

Quippe id interdictum, quum ab *Ulpiano* sic conceptum traditur,

> Uti eas aedes, quibus de agitur, nec vi nec clam nec precario alter ab altero possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto; 18)

apud *Festum* hanc formulam, antiquiorem profecto, inuenimus:

> Uti nunc possidetis eum fundum, quo de agitur, quod nec vi nec clam nec precario alter ab altero possidetis, † ita possideatis, aduersus ea vim fieri veto. 19)

Iam ut mittamus uocabulorum aedes ac fundum di-

17) Eandem sententiam aduersus *Sauinium* defendit *Jordanus* l. l. p. 8.

18) L. 1. pr. Uti possidetis. Conf. *Gai.* IV, 160. L. un. C. Uti possidetis.

19) s. u. *Possessio*, apud *O. Müllerum* p. 233.

Vulgaris formulae confirmatio Argumenta

uersitatem dubiamque extremorum, quae e *Festo* exhibui, uerborum lectionem; quibus de rebus nihil sane hoc loco attinet quaerere: quid ad hanc similitudinem addi potest? Nonne eodem plane modo hae formulae inter se differunt, atque in interdicto de ui antiquam illam legis *Thoriae* ac *Ciceronis* formulam cum contractiori illa, quam ad *Gaii* quidem et *Ulpiani* tempora uerissime *Sauinius* defendit, discrepare contendimus?

Auctoritates

Denique de omni illa formulae conceptione ne *auctoritatibus* uidear carere, mecum sentiunt *Huschkius*,[20] *Walterus*,[21] *Rudorffius*.[22]

Varietas

Superest, ut de uarietate formularum, quas in hoc interdicto obtinuisse memoriae traditum est, dispiciamus.

Primum autem est, ut quaeratur, quaenam ratio intercesserit inter formulam illam, quam *Ciceronis* aetate solennem usitatamque fuisse antea statuimus et e *cap.* 44. *pro Tullio* probare studuimus, atque alteram, quae in d. *cap.* 29. *pro Tullio* habetur.

Quarum illa quum tali fuit exordio:

Unde tu, Numeri Negidi, aut familia aut procurator tuus Aulum Agerium aut familiam aut procuratorem illius in hoc anno vi deiecisti rel.

hanc contra sic conceptam fuisse apparet:

Unde de dolo malo tuo, Numeri Negidi, Aulus

20) ad *c.* 44. *et* 46. *pro Tullio*, in *Analectis* p. 161. seq. et in *Richteri Annalibus criticis Tom. IX. p.* 591.

21) *Gesch. d. R. R. p.* 780.

22) *Zeitschr. f. gesch. R. W. Tom. X. p.* 63. *seqq.*

Agerius aut familia aut procurator eius in hoc anno ui detrusus est rel. Vulgaris formulae uarietas

Enimuero huius diuersitatis VV. DD. alii aliam caussam rationemque reddiderunt, ut ecce *Huschkius*[23]) censuit, posterius hoc exemplum esse interdicti de ui *ex uetustiori edicto*, ad superiorem autem modum hac aetate,qua *Caecinae* caussa acta est, in Praetorum edictis quidem plerumque uel perpetuo interdicti formulam propositam fuisse; at Praetorum decreta, nondum lege *Cornelia* lata, quae edicta perpetua in decernendo sequi iussit[24]), ita secundum uarias caussarum figuras uariasse, ut ubi cuius *familia* deiecisset, interdicerent Unde a familia tua detrusus est; ubi *procurator*, Unde a procuratore; denique si quis *ipse* deiecisset, *aliis* fortasse *iuuantibus*, ista tempestate (*per illos annos*) tali formula, Unde de dolo malo tuo detrusus est,

23) ad c. 29. *pro Tullio*, *in Analectis p.* 142. *seq.* — Eum secutus est *Reinius, R. Pr. R. p.* 511. — Caeteroquin in d. c. 29. *M. Claudii* nomen *fictitium* esse, *Huschkio* contra *Beierum* et *Walterum* (l. l. p. 779.) adsentior. Qua de re cum maxime conferendum est caput 20. *legis Rubriae.*

24) *Asconius in Cornelianam* p. 58. (Ed. *Baiteri*): «Aliam deinde «legem *Cornelius*, etsi nemo re«pugnare ausus est, multis tamen «inuitis tulit, ut Praetores ex «edictis suis perpetuis ius dice«rent: quae res cunctam gratiam «ambitiosis Praetoribus, qui uarie «ius dicere solebant, sustulit.» — *Dio Cassius* XXXVI, 23. «Prae«tores quilibet solebant iura ea, «secundum quae essent iudica«turi, scripta edicto proponere. «Neque uero omnia iura statue«rant, quae ad contractus dirigen«dos pertinerent; neque id simul «semelque fecerant, ueque scri«pto iuri steterant: sed illud mu«tauerant saepius, multaque in «hac re ad gratiam uel odium cer«torum hominum, ueluti fieri as«solet, gerebantur. Igitur legem «tulit, ut et statim a principio «Praetores ante edicerent, quo «iure essent usuri, et deinde ne«quaquam ab eo deflecterent.» — Periata illa lex est *C. Calpurnio Pisone M'. Acilio Glabrione* Coss. a. u. c. 687.

Vulgaris formulae uarietas.

saepius uterentur. Denique uetustiorem, quam V. D. dicit, hanc formulam longe mitiorem fuisse quam alteram illam (quam e *capite 44. pro Tullio* nos proposuimus), quippe qua propter seruorum quoque ac procuratoris facta dominus alligetur.

Contra *Sauinius*[25]), quo ordine duas illas formulas modo adscripsi, eundem existimat etiam temporis esse, quo quaeque constituta atque in Edicto proposita fuerit: in eo quoque *Huschkio* aduersatur, quod statuit, priorem leniorem, posteriorem seueriorem fuisse. Etenim ubi Praetor interdixisset Unde tu . . . deiecisti, ei, quicum ageretur, eiusmodi latebram relictam fuisse, ut diceret, non *ipsum se* sed *alios* (quamquam se mandante uel iubente) deiecisse: cui calumniae quomagis obsisteretur, alteram illam formulam, Unde dolo malo tuo . . . vi detrusus est[26]), compositam atque, ut actori optio esset, priori seruata in edictum additam fuisse.

Quae Virorum doctissimorum sententiae ambae partim ueri partim falsi aliquid habere uidentur. Mea autem coniectura haec est:

Formula illa, quam e d. c. 44. priorem adscripsi,

25) l. l. p. 517.

26) In d. cap. 29. habetur *Unde* de *dolo malo* rel., eaque particula, ab *Huschkio* l. l. apte defensa, nullo iure hic eiecta esse uidetur. Quamquam ultro concedo, ubi sententia magis interdicti quam formula referretur, breuius illud loquendi genus etiam usitatius fuisse: ueluti statim in c. 30. *pro Tullio: Unde dolo malo meo ui deiectus sit.* Sic enim esse legendum, non uti in Editionibus perperam habetur a *dolo malo meo*, praeter sermonis consuetudinem etiam *Codicis palimpsesti*, quem nuper denuo contuli, auctoritas facit. Qua de re disputandi locus erit in tertio libro nostro ad orationem *pro Tullio.*

Vulgaris formulae uarietas.

uetustissimam duco, cuius quidem notitia ad nos peruenerit, eademque ad haec tempora usque, quibus *Caecinae* caussa acta est, conseruata fuit nec umquam ex Edictis in perpetuum sublata neque aliter commutata quam ut uerbis *detrudere*, *eiicere*, *deiicere* gliscentibus annis, quinetiam fortasse per diuersa eiusdem aetatis interdicta paullulum uariaret.[27]) Atque hoc est quod *Cicero* in d. c. 44. refert, *fuisse* illud interdictum *apud maiores* de ui, *quod hodie quoque sit*.

Quid igitur opus fuit, ut, quum haec formula in edicto proponeretur, Praetores nonnumquam *per hos annos* altero illo interdicto et noua quadam formula *intercederent*, quemadmodum Cicero in d. c. 29. tradidit?

Nimirum quod *Sauinius* ostendit, uulgarem, de qua antea diximus, formulam aliquando propter angustiorem istam uocum *Procurator* et *Familia* interpretationem, quam *Cicero* defendens *Caecinam* inter exempla perstrinxit[28]), nimis apparuisse actori difficilem calum-

27) *pro Caecina* c. 17. «Quid? «*detrusum* dices? nam eo uerbo «antea Praetores in hoc interdicto «uti solebant.» — Conf. *ibidem* c. 16. s. fi. «*deiectus detrususque sum.*» L. 4. §. 27. De usurp. et usuc. *pro Tullio* c. 29. 45. — Adde ex alio Edicti capite: *pro Quinctio* c. 27. 6. extr. — *Sauin.* l. l. p. 519. — Verissime autem *Huschkius* ad d. c. 29. «Illa uero, inquit, «uox *detrusus* idcirco uidetur Praetoribus displicuisse, quoniam eam solam uim, quae manu et ipso tactu corporis fit, significat.» — De uerbo *Eiicere* uide d. c. 7. *legis Thoriae*, uerbis supra p. 294. exhibitis. *Cic. de lege agraria* III, 3, 11. «etiamne «si ui *eiecit?* etiamne si clam, «si precario uenit in possessio«nem? Ergo hac lege ius ciuile, «caussae possessionum, Praeto«rum interdicta tollentur.» L. 18. §. 15. De dam. infe. — De uerbo *Deiicere* conferantur loca ex oratione *pro Caecina* supra p. 295. adscripta.

28) c. 19. 20. «Si me uillicus «tuus solus deiecisset, non familia

Vulgaris formulae uarietas

niaeque obnoxiam, prorsus infitiari non audeo, quamquam satis antiquam duco horum uocabulorum interpretationem, quam ueram aequam bonoque iudice dignam, quinetiam expeditam exploratamque esse Cicero demonstrat: tantummodo non adducor ut credam talem caussam fuisse, cur altera illa formula, quae *dolum* eius quicum agitur tam *personae* eius quam *familiae procuratorique* substituit, a Praetoribus componeretur atque in Edicta reciperetur, aut e peculiari saltem quarumdam caussarum figura actoribus accommodaretur.

Contra hoc magis arbitror Praetores mouisse, quod in quibusdam caussis intelligebant, iniquiorem existere uulgarem interdicti formulam ei quicum agitur iustoque

« deiecisset, ut opinor, sed aliquis « de familia . . . Quid enim fa« cilius est quam probari iis, qui « Latine sciant, in uno seruulo fa« miliae nomen non ualere? Si « uero ne habeas quidem seruum « praeter eum, qui me deiecerit, « clames uidelicet: Si habeo fa« miliam, a familia mea fateor « te esse deiectum. Neque du« bium est, quin, si ad rem iudi« candam uerbo ducimur, non re, « familiam intelligamus, quae con« stat ex seruis pluribus; quin « unus homo familia non sit . . . « At uero ratio iuris interdictique « uis et Praetorum uoluntas et ho« minum prudentium consilium et « auctoritas respuat hanc defen« sionem et pro nihilo putet . . . « Etiam . . si tuus seruus nullus « fuerit sed omnes alieni ac mer« cenarii, tamen et ipsi tuae fa« miliae genere et nomine conti« nebuntur. » — De *familias* nomine *in hoc interdicto* uide L. 1. §§. 16 – 18. 20. h. t. L. 195. §. 3. De V. S. *Paulli* V, 6, 3.; *in aliis rebus:* L. 40. De V. S. *Appuleii Apolog.* p. 52. (Bipont.) « Quindecim liberi homines *populus* est, totidem serui *familia*, « totidem uincti *ergastulum*. » *Phaedri* Fab. III, 19. « Aesopus « domino solus cum esset familia » rel. Conf. *Festum*, *Brissonium*, *Forcellinum*, *Dirksenium* s. v. *Familia*; *Rittershusium* (apud *Schultingium*) ad d. *Paulli* locum; *Fornerium* ad d. L. 40. — Adde: *pro Tullio* c. 10. et L. 2. §. 14. Vi bon. rap. — De *procuratore* uide supra p. 118. seqq., ubi etiam Ciceronis uerba in nota 11. exhibui.

Vulgaris formulae uarietas

periculosiorem. Quod ubi de eo, quod *ipse* deiecisset, agebatur, nunquam, opinor, usu uenit. Quid autem quum aut *familia* aut *procurator* deiecerat? Si id solum spectaueris quod plerumque fieri solet, uidelicet ut ex eiusmodi deiectione dominus possideat, expedita res est, nec quidquam iniqui habet interdictum, quo ex facto familiae procuratorisue ad restituendum dominus tenetur. Sed diuersa res erat, si quando (id quod rarius quidem at nonnumquam tamen accidit, ac facile potuit interdictum componentes effugere) ex illo familiae procuratorisue facinore fructum dominus non ceperat, neque fundum, quem actor interdicto repetebat, possidebat, neque restituendi facultatem habebat. Nam tunc sane, nisi mandante uel iubente, sciente ac prudente domino, denique nisi *dolo malo domini* factum esset, durissimum fuit dominum ad restituendum damnumque sarciendum teneri ac, nisi omni modo satisfaceret, litis aestimatione atque adeo poenis condemnari.[29])

29) Hoc quoque loco *Huschkius* magna ex parte mecum facit; nam ad d. c. 29. sic scripsit: «Quod interdictum (scil. uulgare ex d. c. 44.) «longe seuerius est superiori (in d. c. 29.), «siquidem eo propter seruorum quoque ac procuratoris «facta dominus alligatur; et in «persona quidem *seruorum* iustissime; his enim non cohibitis, «si postea noxae deditis ei carendum erit, ipse sibi imputabit dominus: sed quod etiam *procuratoris*, cui bonorum suorum administrationem permisit, facta «praestare cogitur, id quidem «quamuis Aedilium edictum (L. 1. «§. 1. L. 25. §. 3. De aedil. ed.) «adhuc similiter scriptum sit, «paullo durius est, unde eius mentio in eo edicto de ui, quod *Ulpianus* (L. 1. pr. De ui) nobis «seruauit, merito est detracta.» — Equidem quam V. D. constituit distinctionem inter *familiam* et *procuratorem*, consulto omisi, quia in actionibus, quae familiae nomine darentur, non puto illa aetate tam expeditum fuisse, quod alias docemur, dominum *noxae dedendo* adeo perfungi posse, ut

Vulgaris formulae uarietas

Atque haec, mea quidem sententia, caussa fuit, cur nouam illam interdicti formulam componerent, quam, conseruata caeteroquin uetere illa ac uulgari, huic duntaxat generi accommodabant, eaque ratione et iuri et aequitati consulere solebant.

Quod si ita est, uerissime *Cicero* in d. c. 29., proposita illa formula, quicquid de ui huius exempli ad probandam *M. Tullii* caussam statuas, dicere pergit: «Sicut ita interdictum est et sponsio facta, ego me «ad iudicem si defendam, ui me deiecisse confitear, «dolo malo negem; ecquis me audiat? Non opinor «quidem. Quia si ui deieci M. Claudium, dolo malo «deieci; in ui enim dolus malus inest: et Claudio «utrumuis satis est planum facere, uel se a me ipso «ui deiectum esse, uel me consilium inisse, ut ui «deiiceretur.»

Nec puto huic coniecturae meae officere nouam quandam tertiamque eius interdicti formulam, quam *Gaii*, *Ulpiani* caeterorumque iurisconsultorum, quos *nostros* haud absurde appellamus, temporibus obtinuisse, partim testimoniis docemur, partim uestigiis odorari possumus. [30] Eam puto talem fere fuisse:

recte restituisse aut satisfecisse uideretur. Qua de re proprius disputandi locus erit in libro tertio, ubi de iure caussae *Tullianae* tractabimus.

30) Vide L. 1. pr. h. t. (Verba habes supra p. 296.) §. 11. ib. «Ait Praetor, *Deiecisti aut familia deiecit:* merito *familiae* mentio habita: nam eum *deiecisti* «uerbum refertur ad personam «eius, qui deiecit, nec pertineat ad eum, cuius familia deiecit, (nec enim ego uideor deiecisse si familia mea deiecerit) consequens fuit addere *aut «familia tua deiecit.»* Conf. §. 15. ib. — De *exceptione* uide *Gaium* IV, 154. *Paullum* V, 6, 7. L. 1. §. 30. L. 18. pr. h. t.

UNDE TU NUMERI NEGIDI AULUM AGERIUM IN HOC ANNO VI DEIECISTI AUT FAMILIA TUA DEIECIT, Q. D. R. A., QUUM NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO A TE POSSIDERET, EO RESTITUAS. Vulgaris formulae uarietas.

Etenim quo magis ius ciuile inde ab hac *Ciceronis* aetate litteris excolebatur atque elatiori quadam doctrina in artem expoliebatur, eo magis solidum tam cauendi quam interpretandi genus, ex ipsis iustitiae aequitatisque praeceptis deriuatum, priscis istis uerborum ambagibus infinitisque captationibus successit. Unde cum saepe alias tum in hoc interdicto effectum, ut commodiori quadam breuitate in componendis actionum aliarumque rerum formulis deinceps defungerentur.[31]) Ut ecce quum in ueteribus illis interdictis iuxta *dominum* deiectum etiam *familia* ac *procurator* eius commemoraretur, posthac hisce omissis solum dominum retinuerunt, quoniam, ueluti *corporali* illo uerbi *deiicere* intellectu in iuris effectum utilitatemque conuerso, statuebant, cuius familia aut procurator deiiceretur, eum, si per hos antea possedisset, ipsum uideri deiectum.[32])

Conf. §. 6. I. De interdictis. — De *anno* uide loca supra (p. 296.) allata.

31) E magna exemplorum alia iura spectantium copia unum hoc afferam: L. 1. Quod met. ca. *(Ulpianus)* «Ait Praetor: QUOD «METUS CAUSSA GESTUM ERIT, «RATUM NON HABEBO. Olim ita «edicebatur: QUOD UI METUSUE «CAUSSA. *Vis* enim fiebat men«tio propter necessitatem imposi«tam contrariam uoluntati; *me«tus*, instantis uel futuri periculi «caussa mentis trepidatione. Sed «postea detracta est *uis* mentio «ideo, quia quodcunque ui atroci «fit, id metu quoque fieri uidea«tur.» Conf. L. 3. pr. eod. — Adde *in Verrem* III, 65. «C. Gal«lus . . . postulauit a *L. Metello*, «ut ex edicto suo iudicium daret «in Apronium *Quod per uim aut «metum abstulisset*, quam formu«lam Octauianam et *Romae* Me«tellus habuerat, et habebat in «prouincia» rel.

32) L. 1. §. 22. h. t. «Quod

Vulgaris formulae uarietas.

Simili ratione a parte *deiicientis* procuratorem expunxerunt, quia, ubi dominus mandasset ratumue habuisset, *ipsum* deiecisse iudicabant, alias non *dominum* sed ipsum *procuratorem* conueniri uolebant.[33])

Familiae autem mentionem idcirco conseruauerunt, quia, etiamsi nullo modo uoluntatem suam dominus accommodasset, nihilominus familiae nomine ita tenebatur, ut leuiori tamen restituendi genere, hoc est *noxae dedendo* et *quod ad se peruenisset reddendo* expedire se posset.[34])

« seruus uel procurator uel colo« nus tenent, dominus uidetur « possidere : et ideo his deiectis « ipse deiici de possessione uide« tur, etiamsi ignoret eos deiectos, « per quos possidebat. Et si quis « igitur alius, per quem possi« deham, deiectus fuerit, mihi « competere interdictum, nemini « dubium est. — §. 46. *ibid.*, cuius loci uerba uide supra p. 191. not. 49. — *Sauinius* l. l. §. 33. p. 436.

33) L. 1. §§. 12 — 14. h. t. « Deiecisse autem etiam is uide« tur, qui mandauit uel iussit, ut « aliquis deiiceretur : parui enim « referre uisum est, suis manibus « quis deiiciat an uero per alium. « Quare et si familia mea ex uo« luntate mea deiecerit, ego ui« deor deiecisse . . . . Quoties « uerus procurator deiecerit, cum « utrolibet eorum, id est, siue « domino siue procuratore, agi « posse *Sabinus* ait . . . non enim « excusatus est qui iussu alicuius « deiecit, non magis quam si iussu « alicuius occidit. Cum autem « falsus est procurator, cum ipso « tantum procuratore interdici de« here. *Sabini* sententia uera « est. — Sed et si quod alius de« iecit ratum hahuero, sunt qui « putent secundum *Sabinum* et « *Cassium*, qui ratihabitionem « mandato comparant, *me* uideri « deiecisse interdictoque isto te« neri : et hoc uerum est. Rectius « enim dicitur, in maleficio rati« habitionem mandato compara« ri.» — Conf. L. 3. §§. 10. 11. eod. L. 152. §§. 1. 2. De R. I. — *Sauinius* l. l. p. 516. seq.

34) L. 1. §. 15. h. t. « Quod « igitur additur, *aut familia tua* « *deiecit*, merito scriptum est in « eum casum, in quem familia « mea ui deiecit. Caeterum si « iussit, ipse deiecit : nec gra« uari debet dominus, qui non « iussit, si seruorum suorum fa« ctum praestaret, etsi non iussu « eius deiecerunt ; nam non gra« uabitur hoc nomine, quippe « cum aut peruenit ad eum ali-

Denique exceptionem Cum ille possideret uides omissam esse ac uerbis Unde deiecisti, fortasse etiam altera exceptione, quae reliqua est, tacite comprehensam.[35]) Vulgaris formulae uarietas

Quo interdicendi interpretandique genere quum tam duplicis illius formulae consilio quam iuri, quo tunc utebantur, omnino satisfieret, quid mirum, hisce Iurisconsultorum temporibus ueteres istas interdicti conceptiones in desuetudinem abiisse ac uestigiis nullis relictis euanuisse?

«quid, et restitueret (Hal.: *re«stituet*, Vulg.: *restituerit*); aut «non peruenit, et ipsos seruos «maleficii caussa uoxae dedendo «indemnis erit: quod enim noxae «dedere compellitur, iu damuo «*non* debet reputare, cum ser«nus hoc (alias additur: *modo*) «possit domini deteriorem con«diciouem facere.» — Non, quod typis distinxi, ab *Hotomano* receptum, *Brenkmanno* probatum, habetur in Cod. *Rehd.* et iu *meo*, praeterea iu hisce impressis: *Romae (V. Pucher)* 1476. *Venetiis (N. Ienson)* 1477. *Lugduni (Io. Syber)* 1482. *Norimbergae (Koburger)* 1483. *Venetiis (B. de Tortis)* 1484. *ibid. (G. d'Arriuabenis)* 1493., denique *Haloander*. — §. 19. ibid. «Si quis tamen ueget «se seruum uel familiam defen«dere, cogeudus est pati hoc iu«terdictum, ad hoc scilicet, ut «quod ad eum peruenit resti«tuat.»

35) L. 1. §. 23. h. t. «Inter«dictum autem hoc nulli compe«tit uisi ei, qui tunc, cum deii«ceretur, possidebat: uec alius «deiici uisus est quam is qui «possidet.» — *Vat. Fragm.* §. 91. *Idem* (?) Lib. II. de Interdictis, sub titulo *Si uti frui prohibitus esse dicetur*. «Nou is, ad quem «ea res pertiuet . . . legatum est, «qui utendi frueudi caussa, cum «ususfructus ad eum pertiueret, «missus iu qua re sit, *possidere* «eam uidetur, et ob id, qui uti «frui prohibitus est, *proprie de«iectus dici non potest*. ideo spe«cialiter hoc iuterdictum eo casu «desiderari.» — Couf. loca supra allata p. 310. uot. 30. — Caeterum iuris potius rationem quam formulam interdicti spectat quod *Paulus* habet iu L. 8. h. t. «Ful«cinius dicebat, ui possideri, «quotieus uel nou dominus, *cum «tamen possideret*, ui deiectus «est. — Similiter iu L. 3. §. 12. h. t. ad Edicti teuorem, non ad iuterdicti formulam referendum puto quod *Ulpianus* scripsit: «Hoc «interdictum etiam aduersus eum

Vulgaris formulae uarietas.

Incertum denique illud est, quando primum coeperint certis de caussis uerba IN HOC ANNO, quo perpetuum esset interdictum, missa facere: quippe haud raro hoc usu uenisse necesse est, ex quo tempore etiam post annum interdicebatur, dummodo ad eum, qui ui deiecisset, aliquid peruenisset.[36]) Propter hanc uero aliasue fortasse magnas et iustas caussas *Ciceronis* iam aetate Praetores aliquando tantundem ab Edicto deuiasse, haudquaquam incredibile est.

Qua de re audiamus *Ulpianum*, qui in libro XX. ad Edictum[37]) haec retulit:

«*Iulianus* scribit, si alter possessor prouocet, alter «dicat eum *ui possidere*, non debere hoc iudicium (scil. communi diuidundo) «dari, *nec post annum* «*quidem: quia placuit, etiam post annum in eum,* «*qui ui deiecit, interdictum reddi.* Et si precario «(inquit) dicat eum possidere, adhuc cessabit hoc «iudicium, quia et de precario interdictum datur. Sed «et si clam dicatur possidere qui prouocat, dicendum «esse ait, cessare hoc interdictum: nam de clande-«stina possessione competere interdictum inquit.»

«proponitur, *qui dolo malo fecit*, «quo quis armis deiiceretur» rel.

36) Quo loco, sicuti recte *Sauinius* (l. l. p. 545.) monuit, semper is quicum agitur habebatur, ubi ex ui sua etiam tunc possidebat.— De illo iure uide infra p.321.

37) L. 7. §. 5. Comm. diuid. Conf. L. 15. §. 5. Quod ui aut clam. (*Ulpianus*) «Sed si is sit «locus, in quo opus factum est, «qui facile non adiretur, utputa «in sepulchro ui aut clam factum «est uel in abdito alio loco; sed «et si sub terra fieret opus uel «sub aqua uel cloaca aliquid fa-«ctum sit; etiam *post annum* «caussa cognita competit inter-«dictum de eo quod factum est. «*Nam caussa cognita annuam ex-«ceptionem remittendam, hoc est, «magna et iusta caussa ignoran-«tias interuenients.*» Conf. §§. 3. 4. 6. *ibid.*

Atque de formula quidem satis. Nunc ad ipsum huius interdicti ius rationemque ueniamus. Vulgaris interdicti ius.

Quae res quum in celeberrimo illo, quem supra dixi, *Sauinii* libro sic tractetur, ut, quod corrigam aut noui adiiciam, nihil admodum habeam, placet Ill. Praeceptoris mei doctrinam[38]) per indicem exponere.

Primum igitur est in hoc *uulgari* seu *quotidiano interdicto de ui*, ut actor, quum deiiceretur, possederit[39]); nec credendum est iis, qui eius possessionis deteriorem facilioremue condicionem fuisse quam in interdicto *Uti possidetis* existimauerunt.

Sed non satis est *possedisse* actorem, nisi illud accedat, *eum nec ui nec clam nec precario ab aduersario possedisse*[40]). Quo loco admonendi sumus, non putari eum ui possidere, qui possessionem ui sibi ereptam in ipso congressu per uim recuperauerit. Non enim id solum licet, uim ui depellere possessionemque ui defendere, uerum etiam ui recuperare possessionem ui amissam, dummodo in continenti non ex interuallo id fiat[41]).

38) Videsis l. l. p. 510—45.

39) Vide supra quae de *formula* disputauimus et loca ibi allata, p. 293. seqq. et p. 301—4. Praeterea conf. L. 1. §. 23. h. t. (uerba modo adscripsi in nota 35.) §§. 9. 10. 26. *ibid.* L. 4. §. 28. De usurp. et usuc. — De d. §§. 9. 10. consulendus est *Sauinius* l. l. §. 7. p. 72. seqq.

40) Vide loca supra p. 293. seqq. allata Adde *Paulli* V, 6, 7. «Qui ui aut clam aut precario «possidet ab aduersario, impune «deiicitur.» — L. 1. §. 30. h. t. «Qui a me ui possidebat, si ab «alio deiiciatur, habet interdi«ctum.» L. 18. pr. eod. — De diuerso *Iustiniani* iure conf. §. 6. 1. De interdictis.

41) L. 1. §. 27. h. t. «Vim «ui repellere licere, Cassius scri«bit; idque ius natura compara«tur. Apparet autem (inquit) ex

Vulgaris interdicti ius.

Vis autem, quae huic interdicto locum faciat, *atrox* esse debet, h. e. uis corporalis, quae adeo possessoris siue corpus siue animum commouet, ut possessionem retinere non possit, eamque siue detrusus siue deterritus relinquere cogatur[42]). Quo genere differt hoc in-

« eo, arma armis repellere licere.» §. 28. ibid. « Vi possidere eum « definiendum est, qui expulso ue« tere possessore adquisitam per « uim possessionem obtinet: aut « qui in hoc ipsum aptatus et « praeparatus uenit, ut (*ui?*) con« tra bonos mores, auxilio, ne « prohiberi possit ingrediens in « possessionem [facit (al.: *uim « faciat*)]. Sed qui per uim pos« sessionem suam retinuerit, *La« beo* ait, non ui possidere.» De sententia corruptissimi huius loci uide *Basilic.* Tom. VII. p. 405. — L. 17. eod. *(Iulianus)* « Qui pos« sessionem ui ereptam ui in ipso « congressu reciperat, in pristi« nam caussam reuerti potius quam « ui possidere intelligendus est: « ideoque si te ui deiecero, illico « tu me, deinde ego te; *Unde ui* « interdictum tibi utile erit.» — L. 3. §. 9. eod. « Eum igitur, « qui cum armis uenit, possumus « armis repellere, sed hoc con« festim non ex interuallo: dum« modo sciamus, non solum resi« stere permissum ne deiiciatur, « sed et si deiectus quis fuerit, « eundem deiicere non ex inter« uallo sed ex continenti.» Conf. *Quintiliani Inst. orat.* VII, 4, 6. « Nam et *uis contra uim* et *talio* « nihil habent aduersus eum, qui « prior fecit, iniusti; et non, quo« niam res pares sunt, etiam id « est iustum, quod antecessit.» — Conf. L. 45. §. 4. Ad legem Aquiliam. L. 12. §. 1. Quod met. ca. L. 7. §. 3. L. fi. §. 2. Quod ui aut clam.

42) L. 1. §. 3. h. t. « . . . Ad « solam autem atrocem uim per« tinet hoc interdictum.» §. 29. ibid. « . . . Idem *Labeo* ait, eum, « qui metu turbae perterritus fu« gerit, uideri deiectum. Sed « *Pomponius* ait, uim sine cor« porali ui locum non habere. « *Ergo* etiam eum, qui fugatus est « superuenientibus quibusdam, si « illi ui occupauerunt possessio« nem, uideri ui deiectum.» — De lectione *Ergo* pro *Ego*, quod *Florentinus* habet, uide *Sauinium* l. l. §. 31. p. 405. not. 1. *Ergo* in meo quoque Codice est. — L. 3. §. 5. h. t. « Qui armati ue« nerunt, etsi armis non sunt usi « ad deiiciendum, sed deiecerunt: « armata uis facta esse uidetur: « sufficit enim terror armorum, « ut uideantur armis deiecisse.» — §. 6. *ibid.* «Si quis autem uisis ar« matis, qui alibi tendebant, metu « hoc deterritus profugerit, non « uidetur deiectus: quia non hoc

terdictum ab interdictis *Uti possidetis*, *Quod ui aut clam* aliisque actionibus, in quibus, quod ui fieri factumue esse dicitur, adeo latissime patet, ut, quicquid contra uoluntatem factum fuerit, contineat[43]). Vulgaris interdicti ius

« animo fuerunt qui armati erant, « sed alio tendebant.» §. 7. *ibid.*— *Pauli* V, 6, 4. « Vi deiicitur non « tantum qui oppressu multitudi-« nis aut fustium aut telorum aut « armorum metu terretur, sed et « is, qui uiolentiae opinione com-« perta possessione cessit, si ta-« men aduersarius eam ingressus « sit. » Conf. L. 1. Quod met. ca. (Verba habes supra p. 311. not. 31.) L. 2. eod. (*Paullus*) « Vis « autem est maioris rei impetus, « qui repelli non potest.» L 3. §. 1. eod. (*Ulpianus*). « Sed uim « accipimus atrocem et eam, quae « aduersus bonos mores fiat » rel. L. 9. pr. eod. (*Idem*). « Metum « autem praesentem accipere de-« bemus, non suspicionem infe-« rendi eius: et ita *Pomponius* « lib. 28. scribit: ait enim, me-« tum [illatum] accipiendum, id « est, si illatus est timor ab ali-« quo. Denique tractat, si fun-« dum meum dereliquero, audito « quod quis cum armatis ueniret, « an huic Edicto locus sit? Et re-« fert, *Labeonem* existimare, Edi-« cto locum non esse, et Unde « vi *interdictum* cessare, quoniam « non uideor ui deiectus, qui deiici « non exspectaui sed profugi. Ali-« ter atque si, posteaquam armati « ingressi sunt, tunc discessi: huic « enim Edicto locum facere» rel. — L. 33. §. 2. De usurp. (*Iulianus*) « Si dominus fundi homines « armatos uenientes existimaue-« rit atque ita profugerit, quam-« uis nemo eorum fundum ingres-« sus fuerit; ui deiectus uidetur: « sed nihilominus id praedium . . . « a bonae fidei possessore usuca-« pitur, quia lex *Plautia et Iulia* « ea demum uetuit longa posses-« sione capi, quae *ui possessa* « fuissent, non etiam ex quibus « ui quis deiectus fuisset.» Conf. L. 4. §. 22. eod.

43) L. 1. §. 5. Quod ui aut « clam. (*Ulpianus*). . . . . *Vi fa-* « *ctum* uideri *Quintus Mucius* scri-« psit, si quis contra quam prohi-« beretur fecerit: et mihi uidetur « plena esse *Quinti Mucii* defini-« tio. §. 6. Sed et si quis iactu « uel minimi lapilli prohibitus fa-« cere perseuerauit facere, hunc « quoque ui fecisse uideri, *Pae-* « *dius* et *Pomponius* scribunt; eo-« que iure utimur. §. 7. Sed « et si contra testationem denun-« ciationemque fecerit, idem esse « *Cascellius* et *Trebatius* putant: « quod uerum est.» Conf. §§. 9. 10. ibid. L. 20. pr. §. 1. eod. L. 73. §. 2. De R. I. L. 1. §. 3. Ne uis fiat ei q. in po. (*Ulpianus*). « Haec actio non tan-

Vulgaris interdicti ius.

Tertio loco requiritur, ut actor ui deiectus sit *ab ipso cum quo cuiusue nomine agitur* aut ex eorum tamen uoluntate [44]).

Quartum est, ut actor propter illam uim possidere desierit [45]). Nec refert, prohibitus sit quum intrare uellet, an eiectus detrususque, quum ibi tum esset [46]). At nunquam interdicto locus est, ubi alia caussa amittendae possessionis interuenerit, ueluti si propter uim metumque possessionem aliquis aduersario *tradiderit* [47]).

«tum eum teuet, qui prohibuit «quem uenire in possessionem; «sed etiam eum, qui possessione «pulsus est, cum ueuisset in pos- «sessionem. Nec exigitur, ut ui «fecerit qui prohibuit.»

44) L. 7. h. t. *(Paulus)*. «Cum «a te ui deiectus sim, si Titius «eandem rem possidere coeperit, «non possum cum alio quam te- «cum interdicto experiri.» — Adde loca supra p. 312. not. 33. 34. allata.

45) L. 1. §§. 45. 46. h. t. (Verba uide supra p. 191. not. 49. De lectione uide *Sauinium* ibi cit.) NON habetur etiam in Ed. *Lugduni (Io. Syber)* 1483. et *ibid. (Fradin.)* 1513.

46) L. 1. §. 24. h. t. «Siue «autem corpore siue animo pos- «sidens quis deiectus est, palam «est eum ui deiectum uideri. Id- «circoque si quis de agro suo «uel de domo processisset nemine «suorum relicto, mox reuertens «prohibitus sit ingredi uel ipsum «praedium, uel si quis eum in «medio itinere detinuerit, et ipse «possederit; ui deiectus uidea- «tur: ademisti enim ei posses- «sionem, quam animo retinebat «etsi non corpore.» §. 25. *ibid.* — L. 3. §. 8. *eod.* «Si autem, cum «dominus ueuiret in possessio- «nem, armati eum prohibuerunt, «qui inuaserant possessionem, «uideri eum armis deiectum.» Conf. L. 12. L. 18. pr. *eod.* L. 6. §. 1. L. 7. L. 25. §. 2. De A. v. A. P. L. 18. §. 15. (conf. L. 15. §. ult.) De dam. infe. *Paulli* V, 6, 6.

47) L. 5. h. t. *(Ulpianus)* «Si «rerum (al.: *metu*, *Cras* et *Sauinius*: *per uim*) «tibi possessio- «nem (*Haloander* et *Vulgata*, certe Codex *meus*, hic iuserunt: *ui*) «tradidero, dicit *Pomponius*, UNDE «VI interdictum cessare: quoniam «non est ui deiectus qui compul- «sus est in possessionem indu- «cere.» Conf. L. 9. pr. in fi. Quod met. ca.

Denique hoc interdictum ad *res soli* tantum pertinet, de *rebus mobilibus* propter possessionem ui amissam non interdicitur[48]). Vulgaris interdicti ius

Effectus autem interdicti is est, ut actor, si superior discesserit, in eam prorsus condicionem restituatur, qua ante deicctionem fuisset[49]).

Primum igitur est, ut in amissam possessionem restitui iubeatur, aut *quanti ea res est*, aduersarius ei condemnetur[50]). Accedit *sponsionis summa*, ubi *cum periculo* res ad exitum perducta est[51]).

48) L. 1. §§. 3—8. h. t. «... Et «generaliter ad omnes pertinet «hoc interdictum, qui de re solo «cohaerenti deiiciuntur: qualis-«qualis enim fuerit locus, unde «quis vi deiectus est, interdicto «locus erit. ... Illud utique in «dubium non uenit, interdictum «hoc ad res mobiles non pertinere: «nam *ex caussa* furti uel ui bo-«norum raptorum actio competit: «potest et ad exhibendum agi» rel. — *Paulli* V, 6, 5.

49) L. 1. §. 31. h. t. «Qui «ui deiectus est, quicquid damni «senserit ob hoc quod deiectus «est, reciperare debet: pristina «enim caussa restitui debet, quam «habiturus erat, si non fuisset «deiectus.»

50) L. 6. h. t. *(Paulus)*. «In «interdicto *Unde ui* tanti condem-«natio facienda est, quanti inter-«sit possidere: et hoc iure nos «uti, *Pomponius* scribit; id est, «tanti rem uideri, quanti actoris «intersit: quod alias minus esse «alias plus: nam saepe actoris «pluris interesse, hominem reti-«nere, quam quanti is est; uel-«uti eum quaestionis habendae «aut rei probandae gratia aut he-«reditatis adeundae intersit eius «eum possideri.» *Gai.* IV, 154. (Verba exhibui supra p. 295. seq.) *ibid.* §. 163. «... iudicis arbitrio «si quid restitui ... debeat, id «sine poena restituit, et ita ab-«soluitur: quodsi nec restituat «..., quanti ea res est, con-«demnatur» rel.

51) *Gai.* IV, 162—64. «Igitur «cum restitutorium ... inter-«dictum redditur, ueiut ut resti-«tuatur ei possessio, qui ui de-«iectus est, ... modo sine peri-«culo res ad exitum perducitur «modo cum periculo.» rel. — ib. §. 165. «Itaque si arbitrum (is cum quo agitur) «non petierit sed taci-«tus de iure exierit, cum periculo «res ad exitum perducitur: nam

Vulgaris interdicti ius

Restitutio uero ac *litis aestimatio* praeter *rem* ipsam *fructus* quoque continet et *damnum*, denique *omnem caussam*[52]), imprimis etiam *res mobiles*, quas actor, quum de fundo aedibusue deiiceretur, ibi tunc habuit[53]).

«actor prouocat aduersarium sponsione *Si contra edictum Praetoris non . . . restituerit;* ille «autem aduersus sponsionem aduersarii restipulatur: deinde actor quidem sponsionis formulam edit aduersario, ille huic «inuicem restipulationis: sed actor sponsionis formulae subiicit et aliud iudicium de re «restituenda . . ., ut, si sponsione uicerit, nisi ei res . . . «restituatur . . .» — Conf. *ibid.* §. 141. (cuius uerba uide supra p. 13. not. 12.)

52) Vide supra p. 299. not. 8. — L. 1. §. 41. h. t. «Non solum «autem fructuum ratio in hoc «interdicto habetur, uerum ceterarum quoque utilitatum habenda est. Nam et *Viuianus* «refert, in hoc interdicto omnia, «quaecunque habiturus uel adsecuturus erat is, qui deiectus «est, si ui deiectus non esset, restitui aut eorum litem a iudice «aestimari debere; eumque tantum consecuturum, quanti sua «interesset, se ui deiectum non «esse. §. 34. *ibid.* . . . Denique «scribit *Iulianus*, eum, qui ui «deiecit ex eo praedio, in quo «homines fuerant, propius esse, «ut etiam sine culpa eius mortuis «hominibus aestimationem eorum «per interdictum restituere debeat: sicuti fur hominis etiam «mortuo eo tenetur. §. 35. Huic «consequens esse ait, ut uillae «quoque et aedium incendio consumptarum pretium restituere «cogatur: ubi enim quis (inquit) «deiecit, per eum stetisse uideatur, quo minus restitueret.» Conf. L. 14. §. 11. Quod met. ca. *Paulli* V, 6, 8. L. 10. h. t. *(Gaius)* «Si de fundo proprietarium et fructuarium praedo expulerit, atque ob id fructuarius «constituto tempore non usus «perdiderit ius suum: nemo dubitat, quin dominus, siue experiatur cum fructuario aduersus «praedonem siue non experiatur, «retinere debeat reuersum ad se «usumfructum, et quod fructuarius perdidit, id ad damnum «eius pertineat, cuius facto periit.» Conf. L. 9. §. 1. eod.

53) Vide supra p. 298. seqq. et loca ibi allata in notis 6. 11., ueluti L. 1. §. 33. h. t. «Quod autem «ait Praetor, *Quaeque ibi habuit*, «sic accipimus, ut omnes res «contineantur, non solum quae «propriae ipsius fuerunt, uerum «etiam si quae apud eum depositae uel ei commodatae uel pi-

Fructuum computatio inde a deiectionis tempore fit, nec refert, peruenerint ad eum quicum agitur necne, dummodo ab actore percipi potuissent[54]): sicuti ne ad ipsam quidem rem restituendam quaeritur, an reus possideat[55]). Vulgaris interdicti ius.

« gneratae, quarumque nsum uel « nsumfructum uei custodiam he- « buit, uel si quee ei collocatae « sunt: eum enim Praetor dicat, « *habuit*, omnia baee *habendi* « uerbo continentur. §. 38. ibid. « Sane quod ait Prsetor, *ibi*, « qnomodo accipimus? utrum in « eo ioco, nnde qnis ui deiectus « est, an nero in omni possessio- « ne? Et meilus dicetur, non ad « anguium referendum nel locum, « in quo fuerit, uerumetiam ad « omnem partem possessionis, « qua quis caruit, cum deiici- « tur.» — L. pen. eod. *(Tryphoninus)* « Merito *Iulianus* respon- « dit, si me de fundo ui deie- « ceris, in quo res mouentes « fuerunt, cum mihi interdicto « *Unde ui* restituere debeas non « solum possessionem soli sed et « ea, qnae ibi fuerunt: quam- « quam ego moram fecero, quo « minus interdieto te conuenirem; « subtractis tamen mortalitate ser- « uis aut pecoribus, aiiisue rebns « casu intercidentibus, tuum ta- « men onus nihilominns in eis « restituendis esse: quia ex ipso « tempore deiicti plus quam fru- « strator debitor constitntus est.»

54) L. 1. §. 40. h. t. « Ex die, « quo quis deiectus est, fructuum « ratio habetur: quamuis in cae- « teris interdictis, ex quo edita « sunt, non retro computantur. « idem est et in rebus mobilibns, « quae ibi crant: nam et earum « fruetus computandi sunt ex quo « quis ui deiectus est.» L. 4. C. eod. *(Diocl. et Maxim.)* «... reum « caussam omnem praestare opor- « tet; in qua fruetus etiam, quos « uetus possessor percipere potuit, « non tantum quos praedo per- « cepit, uenire non ambigitur.»

55) L. 1. §. 42. h. t. « Ex in- « terdicto *Unde ui* etiam is, qui « non possidet, restituere coge- « tur.» §. 36. ibid. « Idcirco « constare ait, eum, qui ui de- « iecit, quique ui sine doio malo « desierit possidere, interdicto « teneri.» L. 15. eod. *(Paulus)* « . . . Si ui me deieceris . . ., « quamuis sine dolo et culpa ami- « seris possessionem, tamen dam- « nandus es quanti mea intersit: « quia in eo ipso culpa tua prae- « cessit, quod omnino ui deie- « cisti» rei. — Quo pertinet etiam L. 16., quae sequitur, *eod.*, si uera est lectio, quam *Sauinius*

Vulgaris interdicti ius.

Post annum et *aduersus heredes* id solum contiuet interdictum, quod ad eum, quicum agitur, peruenerit [56]). Item Iurisconsultorum saltem nostrorum aetate, et accedente noxae deditione, quoties *familiae* nomine agebatur [57]).

(l. l. p. 535. not. 2.) a *Florentina* mutila plane diuersam in *Parisiensibus Codicibus* compluribus et in aliquot Editionibus uetustis inuenit: *(Ulpianus)* «Interdicto «*Unde ui* uti potes, si a filio-«familias deiectus es, ut et eius «caussa, quod ad patrem per-«uenit, ipse teneatur.» *Codex meus* ita concinit, ut pro «*ut et*» habeat tamen «*aut*»; quod notitiae caussa additum uolui.

56) L. 1. pr. §. 39. h. t. (Verba habes supra p. 296., ubi uide etiam caetera *anni* testimonia: quibus adde L. 7. §. 5. Comm. diuid.) L. 3. §. 12. h. t. L. 2. C. eod. *(Dioclet. et Maxim.)* «Vi pulsos restituendos esse in-«terdicti exemplo, si needum «utilis annus excessit, certissimi «iuris est: et heredes teneri in «tantum quantum ad eos perue-«nit.» (Conf. *Vatic. Fragm.* §. 312.) L. 1. §. 48. eod. «Ex caus-«sa huius interdicti in heredem «et honorum possessorem caete-«rosque successores in factum «actio competit in id quod ad «eos peruenit»; L. 2. eod. *(Paullus)* «doloue malo eorum factum «est, quominus perueniret.» L. 3. pr. eod. «Quod est et si quis «armis deiectus est: quia ex «facinoribus defunctorum de eo, «quod ad heredem peruenit, «actio datur: sufficit enim, non «in lucro uersari eum heredem, «non etiam damnum subire. §. 1. «Haec actio, quae aduersus he-«redem caeterosque successores «pertinet, perpetuo competit, «quia in ea rei persecutio con-«tinetur.» Conf. §. 18. ibid. — L. 9. pr. eod. *(Paullus)* «Si plu-«res heredes sunt, unusquisque «non in amplius, quam ad eum «peruenerit, tenetur. Qua de «caussa interdum in solidum te-«nebitur is, ad quem totum per-«uenerit, quamuis ex parte heres «sit.» L. 4. De interdictis. L. 35. De O. et A. — Neque tamen spondebo, duplicem hanc actionem *post annum* et *aduersus heredem* iam *Ciceronis* aetate certo iure comparatam fuisse.

57) L. 1. §§. 15. 19. h. t. (Verba uide supra p. 312. not. 34.) Adde L. 16. eod. (hic supra not. 55.) conf. L. 1. §. 20. h. t. L. 195. §. 3. De V. S. L. 5. De interdictis. (supra p. 299. not. 8.) — De *actore municipum* uidesis L. 4. h. t. Conf. L. 15. §. 1. De dolo.

Denique hoc interdictum, quamuis non sit famosum[58]), in parentem patronumque non datur[59]). Vulgaris interdicti ius.

In eo quoque natura actionis ex delicto oriundae interdictum utitur, quod ex pacto[60]) rem admissam praecedente exceptio non comparatur.

58) L. 13. h. t. *(Ulpianus)* « . . . « neque *Unde ui* neque aliud in- « terdictum famosum est. » Conf. L. 2. pr. De obseq. par. L. 10. §. 12. De in ius uocando.

59) L. 1. §. 43. h. t. « Inter- « dictum hoc, quia atrocitatem « facinoris in se habet, quaesi- « tum est, an liberto in patronum « uel liberis aduersus parentes « competit? Et uerius est, nec « liberto in patronum nec in pa- « rentes liberis dandum esse: me- « liusque erit, in factum actionem « bis competere: aliter atque si « ui armata usus sit aduersus li- « bertum patronus uel aduersus « liberos parens; nam hic inter- « dictum competit. » L. 2. §. 1. De obsequiis parent. *(Iulianus)* « Interdictum quoque *Unde ui* non « est aduersus eos reddendum. » L. 7. §. 2. eod. *(Ulpianus)* « Nec « exceptiones doli uel uis metusue « caussa, uel interdictum *Unde ui* « uel *Quod ui* patiuntur. » Conf. L. 5. §. 1. L. 6. L. 7. pr. eod. L. 11. De dolo.

60) L. 27. §. 4. De pactis. *(Paullus)* « Pacta, quae turpem « caussam continent, non sunt « obseruanda; ueluti si paciscar, « ne furti agam uel iniuriarum si « feceris: expedit enim timeri « furti uel iniuriarum poenam. « Sed post admissa haec pacisci « possumus. Item, ne experiar « interdicto *Unde ui*, quatenus « publicam caussam contingit, pa- « cisci non possumus. »

§. 3.

Quemadmodum differat interdictum quod dicunt de ui armata.

Alterum de ui interdictum, proprio suo nomine *de ui hominibus coactis armatisue* appellatum [1]), uti in Edicto per hosce aliquot annos erat propositum, ita huic caussae, quae inter Caecinam et Aebutium agebatur, nulla re addita detractaue accommodatum fuit. Quamobrem una opera et Edicti et huius caussae formulam explorabimus: siquidem placet hoc quoque loco prius de *formula*, postea de *iuris ratione* dispicere.

Alterius interdicti formula.

Itaque postulante *Caecina* uidetur *Dolabella* Praetor in hunc modum interdixisse:

UNDE TU, SEX. AEBUTI, AUT FAMILIA AUT PROCURATOR TUUS A. CAECINAM AUT FAMILIAM AUT PRO-

1) Breuitatis studio atque ex caussae, qua de agitur, natura in hac oratione aliquoties appellatur interdictum *de hominibus armatis* seu *de armatis hominibus*, ueluti in c. 31. extr.; et similiter in c. 8. extr. sic habetur: «Praetor interdixit, ut est con«suetudo, *de ui hominibus ar«matis.*» Contra statim in c. 32.: «Dupliciter homines deiiciuntur, «aut sine *coactis armatisue ho«minibus* aut per eiusmodi ratio«nem atque uim.» Quae uerba etiam confirmant, quod uerissime *Sauinius* (l. l. p. 508.) admonuit, casu magis quam ex certo artis usu *quotidianum* illud nomen, quo tum uulgare de ui interdictum, tum uis, quae ad hoc pertinet, in d. c. 31. et 32. uenit, a *Cicerone* usurpari. Conf. *in Verrem* I, 19. «Nihil eum Verre «de *quotidianis criminibus* actu«rus sum.» *pro Tullio* c. 54. «agi quidem usitato iure et *quo«tidiana* actione potuit», et ad h. l. *Huschkius.*

CURATOREM ILLIUS UI HOMINIBUS COACTIS ARMATISUE DEIECISTI, QUA DE RE AGITUR, EO RESTITUAS. Formula. Hominibus coactis armatisue.

Ex quo perspicuum est, in eo difficilius fuisse hoc interdictum quam *uulgare*, quod non satis esset *ui* actorem *esse deiectum*, nisi etiam *hominibus* aut *coactis* aut *armatis* deiectus esset.

Hac uero parte amplissimum testimonium praebet haec *pro Caecina* oratio, nam in c. 21. ipsa uerba illa HOMINIBUS COACTIS ARMATISUE ex interdicti formula recitantur atque singillatim explicantur [2]).

Caetera, quibus hoc interdictum a uulgari illo differt, eo ualent, ut uariis defensionibus sublatis adiuuetur caussa actoris copiosiorque efficiatur.

Quo primum hoc pertinet, quod uersiculus IN HOC ANNO omittitur. Ecce *Tullii* testimonium in epistola ad *C. Cassium* [3]): In hoc anno.

« Sed haec posterius. Tento enim te quo animo « accipias. Si enim stomachabere et moleste feres, « plura dicemus, postulabimusque, ex qua αἱρέσει UI « HOMINIBUS ARMATIS *deiectus sis, in eam restituare.* « In hoc interdicto non solet addi IN HOC ANNO. Qua-

2) Obseruatione dignum est, primum in actione, quam dicunt *ui bonorum raptorum*, inuerso ordine haberi « hominibus *armatis coactisue* », *pro Tullio* c. 7.; deinde in titulo Digestorum *De ui et ui armata*, ubi diligens inuenitur uocabuli *armatis* interpretatio (L. 3. §. 2. seqq. conf. §. 6. J. De interdictis), uerbum *coactis* nusquam comparere: contra in actione *ui bonorum raptorum* uocem *armatis* neque Edicto, quod in L. 2. pr. Vi bon. rap. traditur, contineri, neque eius interpretationem in illo titulo (nisi furtim quodammodo in §. 2. ib.) legi, dum uerbum *coactis* tam in Edicto habetur (d. princ.) quam interpretatione illustratur in d. L. 2. §§. 2—7. 12.

3) *ad Fam.* XV, 16, 3., de a. u. 709.

Formula. In hoc anno.

«re si iam biennium aut triennium est, quum uir-«tuti nuncium remisisti delenitus illecebris uolupta-«tis; in integro res nobis erit.»

Hoc autem testimonium ut solum esset, quo de illa interdicti proprietate edoceremur, non *Ciceronis*, puto, sed fortunae culpa effectum est. Quae si orationem *pro M. Tullio* integram nobis reliquisset, uix dubito, quin in c. 46. et deinceps [4]) una cum enumeratione caeterarum rerum, quibus interdictum propter coactos armatosque homines asperius redditur actorique facilius, etiam annuae huius exceptionis omissae disertam mentionem haberemus. Neque illud magnopere mirandum est, in oratione *pro Caecina*, ubi de interdicti duplici figura agitur, *annalem* eam alterius naturam non commemorari; nam palam est, oratorem in peculiari *possessionis* quaestione illic, non in uniuersa utriusque interdicti conceptione ac proprietate uersari. Quocirca non temere inferendum inde erit, alterum fortasse de ui interdictum medio demum uiginti circiter annorum spatio inter *Caecinae* defensionem atque illam *Ciceronis* epistolam scriptam *annali* ea condicione liberatum solutumque fuisse: quae coniectura, si rem ipsam eiusque iuris originem ac progressum obseruaueris, prorsus nihil probabile habere uidebitur.

Exceptiones.

Absunt porro huic interdicto *duae* illae *exceptiones*, quas supra cognouimus, CUM ILLE POSSIDERET, QUOD NEC UI NEC CLAM NEC PRECARIO A TE POSSIDERET.

4) Quo de loco uide paullo inferius p. 327.

Quae res quum iisdem maximam partem testimoniis constet, quibus in uulgare interdictum additas fuisse eas exceptiones confirmauimus [5]; satis nunc habebo, si pauca quaedam loca quasi in supplementum adiecero: Formula. Exceptiones.

pro Caecina c. 8.

« P. Dolabella Praetor interdixit, ut est consuetu-
« do, de *ui hominibus armatis*, *sine ulla exce-
« ptione*, tantum, ut unde deiecisset restitueret. »

ibid. c. 22.

« Vim, quae ad caput et ad uitam pertinet, restitui
« *sine ulla exceptione* uoluerunt. Ea fit plerumque
« per homines coactos armatosque rel. »

pro Tullio c. 46.

« Age illud *alterum* interdictum consideremus, quod
« item nunc est constitutum propter eandem ini-
« quitatem temporum nimiamque hominum licen-
« tiam » . . . [6])

5) Vide supra p. 293. seqq. ac praecipue *pro Caecina* c. 31. 32.

6) Haudquaquam me fugit, *Sauinium* (l. l. p. 517. not. 2.) uetare, ne eum locum ad interdictum *de ui armata* referamus, immo de illa uulgaris interdicti formula, quae in c. 29. traditur, quasi in hoc c. 46. iterum tractetur, cogitare. Quod, ut uerum fatear, artificium mihi uidetur contiguum istis, quae supra (p. 302. seq.) reprehendi. Hic ego, quo contra ueniam, nihil habeo firmius quam quae olim *Huschkius* ad d. c. 46. copiose et subtiliter disseruit. Nam, « certissime, inquit, constat, *Ciceronem* in sequentibus interdictum, « quod uulgo *de ui armata* appellatur, proposuisse et cum interdicto *de quotidiana ui* contulisse. De quo ne dubitemus, « facit totius loci ratio et argumentorum consequentia. Nam « supra §. 43. *Cicero* concluserat, « in iudicium *de ui armatis hominibus* non propter *damnum* « sed propter *arma* homines uocari, ideoque illam defensionem, « *iniuria factum non esse*, quae « in lege *Aquilia* ualeat, ab hac « actione alienam esse. Hoc iam « exemplo illustraturus consimile

Formula. Exceptiones.

Gaii Comm. IV. §. 155.

«Interdum tamen etiam ei, quem ui deiecerim, «quamuis a me aut ui aut clam aut precario possi- «deret, cogor restituere possessionem, uelut si ar- «mis eum ui deiecerim: nam Praetor ...

L. 14. h. t. *Pomponius* lib. 29. ad Sabinum.

«Sed si ui armata deiectus es; sicut ipsum fundum «recipis, etiamsi ui aut clam aut precario eum «possideres: ita res quoque mobiles omnimodo «recipies.»

«interdictorum par affert, quorum «altero qui conueniatur, quibus- «dam defensionibus perinde ad- «iuuetur atque is qui damnum «dederit et lege *Aquilia* caussam «dicat. Huic uero interdicto ut «alterum simile sit eique, quod «Cicero probaturus erat, conue- «niens, necesse est, primum ut «ex eadem caussa ueniat, deinde «ut asperius sit in eum, qui de- «iecit, detractis illis additamen- «tis, quae eum, qui ui solum «deiecit, tuentur; postremo ut ita «institutum sit propterea, quod «ipsum factum, ad uim etiam ar- «mis additis, atrocius sit. Quae «omnia in unum de ui armata «interdictum cadunt. Hoc enim «interdicto duas istas defensiones, «*Cum ille possideret* et *Quod nec* «*ui nec clam nec precario posside-* «*ret*, consulto et iudicii exaspe- «randi gratia praetermissas esse, «itidem multis ostendit *Cic. pro* «*Caec.* 31. et 32.» — Hoc unum de meo addam, EANDEM illam *iniquitatem temporum nimiam-que hominum [licentiam], propter* quam *illud alterum interdictum nunc constitutum* esse in d. cap. 46. docemur, aliam tamen nullam esse posse nisi eam *hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam* in cap. 8. ibid., *propter* quam *hoc iudicium* (de damno dato bonisue raptis ui hominibus armatis coactisue) *constitutum est*. Quae quum bis uerbis adumbretur, «*Nam cum multae familiae* «*dicerentur in agris longinquis* «*et pascuis armatae esse caedes-* «*que facere, cumque ea consue-* «*tudo non solum ad res priuato-* «*rum sed ad summam rempubli-* «*cam pertinere uideretur*»; necessario hercle efficitur, similitudinem inter *illud iudicium* (in c. 8.) et *hoc interdictum* (in c. 46.), quam *Cicero* suggerit, in ipsa *hominum armatorum* commemoratione positam fuisse.

Formula. Exceptiones.

Quid multa? Talem fuisse tam in Edicto Praetoris quam in illo *Caecinae* iudicio alterius huius interdicti de ui formulam, qualem a principio descripsimus, quod sciam, non ambigitur.

Itaque si intra angustissimos propositi terminos uelimus disputationem continere, iam liceat interdicti formulam relinquere atque ad ulteriora procedere; uerumtamen non possum mihi temperare, quin nouam quandam rem ac quaestionem, alienam quidem caussa *Caecinae*, at ad uniuersam rationem huius formulae magnopere pertinentem, attingam.

Certum est, hoc interdictum tali forma fuisse tam in *Edicto* propositum quam *Caecinae* postulanti a *Dolabella Praetore* redditum, ut exceptionem nullam haberet. Quod autem uulgo creditur siue suggeri tacite solet, ne capax quidem ullius exceptionis fuisse, uideamus uerum sit necne.

Atque testimonio certe nullo hoc constat [7]), inter-

7) Quale etiamsi haberemus, uidesis in interdicto *Quod ui aut clam*, quam circumspecte foret audiendum. Nam in L. 1. §. 3. *Quod ui aut clam* quum sic scripsit *Ulpianus*, «aduersus uim «uel quod clam factum est, nulla «iusta exceptione se tueri po«test»; ecce statim in L. 7. §. 3. *eod.* idem *Ulpianus*, «Bellissime, «inquit, apud *Iulianum* quaeri«tur, an haec exceptio noceat «in hoc interdicto, *Quod non tu* «*ui aut clam feceris?* utputa utor «aduersus te interdicto *Quod ui* «aut *clam:* an possis obiicere mihi «eandem exceptionem, *Quod non* «*tu ui aut clam fecisti?* Et ait «*Iulianus*, aequissimum esse, «hanc exceptionem dari: nam «si tu, inquit, aedificaueris ni «aut clam, ego item demolitus «fuero ui aut clam; et uteris «aduersus me interdicto: hanc «exceptionem profuturam. Quod «non aliter procedere debet nisi «ex magna et satis necessaria «caussa; alioquin haec omnia «officio iudicis celebrari opor«tet.» — Conf. L. 3. §§. 2—4. L. fi. §. 2. eod.

Formula. Exceptiones. dicti autem ratio et ueluti communis actionum natura repugnare uidetur[8]). Quid enim? si quis posteaquam ui armata alterum deiecisset, cum eo pepigerit eique prorsus satisfecerit, quinetiam emerit fortasse rem, traditamque pretio soluto acceperit[9]): nonne aduersus interdicentem illum de ui hominibus coactis armatisue *exceptio pacti* et necessaria et utilis erit?

Quod si quis mihi reponat, *ex postfacto* hanc exceptionem quaeri, illud autem recte dici posse, ipsi saltem eiusmodi deiectioni iustam excusationem, unde exceptio compararetur, nunquam adesse; etiam hoc loco certum quoddam exemplum mihi praesto est eum maxime ad refellendam eam opinionem idoneum. Quamquam facile concedo, rariorem in hoc interdicto exceptionum usum fuisse.

Exemplum autem, quod dico, inuenitur in notissima illa *Ciceronis* ad *Trebatium* epistola[10]), quae uerba haec continet:

ad Fam. VII, 13. «Sed ... te istic inuitum non esse uehementer gau-«deo: ... tantum metuo, ne artificium tuum tibi «parum prosit. Nam, ut audio, istic

8) Conf. L. 27. §. 4. De pactis, quam supra attuli p. 323. not. 60.

9) Vide L. 6. §. 3. De precario. *(Ulpianus)* «*Iulianus* ait, eum, «qui ui alterum deiecit et ab «eodem precario rogauit, desi-«nere *ui possidere* et incipere «*precario*, neque existimari sibi «ipsum caussam possessionis mu-«tare: cum uoluntate eius, quem «deiecit, coeperit precario pos-«sidere: nam si ab eodem emis-«set, incipere etiam pro emptore «posse dominium capere.» — Quod scripsi *existimari* pro uulgari Codicum Editionumque lectione *existimare*, est coniectura *Schultingii* ad h. l. in Notis ad Digesta, ed. *N. Smallenburg*.

10) *ad Fam.* VII, 13., data IV. Non. Mart. a. u. 701.

«Non ex iure manum consertum, sed mage ferro
«Rem repetunt.
«Et tu soles ad uim faciundam adhiberi, neque
«est, quod illam exceptionem in interdicto perti-
«mescas: *Quod tu prior hominibus armatis non*
«*ueneris.* Scio enim, te non esse procacem in la-
«cessendo [11]) . . . Sed alias iocabimur.»

Formula. Exceptiones. ad Fam. VII, 13.

Primo mihi est huius loci lectio, quam exhibui, aduersus *Beierum* atque *Huschkium* defendenda. Quorum *ille* breuiter statuit, in exceptione illa pro *Quod* legendum esse *Quo*, i. e. *in quam possessionem* [12]): *hic* uero, quum de Codicum habitu dubitaret, coniecturam eam ita probauit, ut aut «*quo* t. p. h. a. *non ueneris*» aut «quod t. p. h. a. *ueneris*» legendum censeret, uidelicet *altero* ipsam exceptionis formulam, *altero* rationem tantum sententiamque exceptionis, obliquo sermone enunciatam, contineri iudicaret. Nunc posteaquam ex *Orellii* nostri curis apparuit, Codicum auctoritatem a uulgata lectione, quam retinui, stare [13]); id solum relinquitur ut admoneamus, ne ab sensu qui-

11) Conf. *ibid.* Ep. 10., ad eundem Trebatium eodem anno scriptam, uerbis «*Sed tu in re «militari multo es cautior quam «in aduocationibus* . . . Sed iam «satis iocati sumus», rel.

12) Vide eius notam 4. ad Argumentum orationis pro Tullio, p. 3.

13) Simili ratione in celebri illo loco, *de Oratore* I, 37. sententia perspecta (de qua uidesis librum meum *de Litiscontestatione et re iudicata* p. 522. seqq.) praeualebit eorum Codicum auctoritas, qui NON seruauerunt, nuper ab *Ellendtio* quoque perperam repudiatum. Verba haec sunt: «petitor, rursus quum «peteret, ne exceptione exclu«deretur, *Quod ea res in iudi«cium antea* NON *uenisset.*» — Conf. *Heffterum* ad *Gaii* librum IV. Cap. 22. p. 108. et *Zimmernium* l. l. Tom. III. p. 290.

Formula. Exceptiones. ad Fam. VII, 13. dem ullam esse emendandi necessitatem. Quam qui animo conceperunt, in eo decepti sunt, quod existimabant, uocabulum *Quod* ferri non posse, ubi uerborum structurae, si *pronominis* loco haberetur, repugnaret, neque animaduertebant copiam illam locorum, quae plane nullam dubitationem recipiunt, quin *coniunctiuae particulae* non *pronominis* munere illud fungatur [14]): unde uerissime mihi uidetur *Sauinius* collegisse, duas illas particulas Quod . . . non in formulis exceptionum sic coniungi solitas esse, ut ad sensum tantundem ac Nisi ualerent [15]).

Videamus nunc de ui ac sententia huius exceptionis. Eam *Huschkius* ad *uulgare* de ui interdictum ita retulit, ut ex generali Edicti formula (ea scilicet parte, qua quod ui aut clam aut precario ab aduersario actor possedisset, excipitur) totam exceptionem effictam et caussae, quae ageretur, quasi accommodatam esse statuerit [16]).

Quo loco, pace Viri doctissimi dixerim, iterum dissentio. Etenim prorsus est incredibile, eum, qui uulgari quotidianoque interdicto de ui conueniretur, quum non simplicem tantum uerum etiam *armatam* uim ab actore prius passum se esse diceret, idcirco nouam quandam adeoque angustiorem et minus sibi ex-

14) E locis supra allatis (p. 302. not. 16.) uide praecipue L. 1. §. 7. De cloacis. L. 13. L. 14. L. 16. L. 18. De exceptionibus. L. 11. §. 3. De exc. r. iud. L. 5. §. 2. De dol. exc. L. 25. §. 17. De hered. pet. *Cic. de orat.* l. l.

15) l. l. p. 540. not. 2.

16) Hic denuo ad Praetorum illam consuetudinem, plebiscito *Cornelio* anteriorem, *Huschkius* recurrit, quam Viri docti coniecturam supra retulimus p. 305.

pedientem difficiliioremque exceptionem aut postulaturum aut accepturum fuisse, repudiata uideiicet atque omissa communi eademque uberiori exceptione, quae in traiatitia Edicti formuia omnibus proposita esset. Quid quod ipsum huius loci uocabuium *prior* haud ambigue demonstrat, non eum solum quicum agitur uerum etiam actorem de ui *hominibus armatis* commissa queri? Formula. Exceptiones. ad Fam. VII, 13.

Ex quo fit, ut satis exploratum mihi uideatur, in hac epistoia eiusmodi exceptionem in medium proferri, quae ad aiterum de ui interdictum, quod est *de hominibus coactis armatisue*, proprie pertineat, eique, ubicunque res ferret, postuiante eo quicum agebatur, inseri soiita sit. Quid enim? quem homines armati aggrediuntur, nonne ius erit possessionem armis ipsum quoque aut *retinere* aut, etiamsi momento temporis forte cesserit, *in ipso congressu statim recuperare?*

At enim qui ita se defendit, ne deiecisse quidem uidetur, itaque exceptione prorsus non indiget. Testis est *Ulpianus*, quinetiam *Iulianus* [17]).

Nae tu caue hoc mihi obiicias; nam *mei* testes hi sunt, tantum adhibeas quaeso, quae de diuersitate temporum ad formuias actionum tam concipiendas quam interpretandas non ratione modo sed etiam exemplis antea docuimus [18]). Quid ergo est? Quemadmodum in uulgari iilo de ui interdicto supra apparuit, *Ciceronis* etiamdum actate uocem *Deiicere* ita insertam formulae intellectamque fuisse, ut praeter *corporalem* quasi deiiciendi detrudendiue actum piane nihil significaret,

17) Vide loca, quae supra exhibui p. 315. not. 41.

18) supra p. 311. seqq.

Formula. Exceptiones. ad Fam. VII, 13. ac propterea, ne idem paterentur qui *possidenti* et qui *non possidenti* uim fecissent, etiam peculiare illud additamentum Cum ille possideret requireretur; postea uero emendata expolitaque cauendi interpretandique arte idem uocabulum ueluti *iuris* quodam *spiritu* perfusum atque possessionis amissae intellectu auctum, adeoque illam exceptionem Cum ille possideret insuper habitam elisamque fuisse; cuius diuersitatis et progressionis alia quoque exempla supra cognouimus [19]): sic in promptu est intelligere, uerbum *Deiicere* ex uetere consuetudine etiam eum inclusisse, qui modo ui deiectus statim deiectorem inuicem deiecisset; eamque caussam fuisse, ut ei, quicum hoc interdicto de ui armatis hominibus ageretur, quum nihil commisisset nisi possessionem armis tum amissam eodem quasi puncto temporis iisdem armis recuperasset, exceptiò et utilis et necessaria esset. Siquidem iniquum uisum est, illum interdicto teneri, qui armis deiectus armis in possessionem ita se restituisset; neque tamen uulgari exceptioni Quod nec ui nec clam nec precario a te possideret aditus fuit, quoniam qui quotidiana ui deiectus uel clam uel ex precario possessione frustratus arma cepisset, atque sic possessionem rursus expugnasset, nullo exceptionis auxilio nullaque iuris defensione dignus esse uidebatur.

Huic autem iuris rationi quum exceptionis ope illius, quam *Cicero* d. loco nobis tradidit, plenissime satisfieret; quid mirum, eam his temporibus, in hac uerbi *Deiicere* interpretatione, denique in pristina illa

19) p. 311. seqq.

Formula. Exceptiones. ad Fam. VII, 13.

summaque contra uim armatam seueritate, huic ipsi interdicto ex caussarum necessitate addi solitam esse; postea uero, ubi qui possessionem ui amissam in ipso congressu ui recuperasset, ne *deiecisse* quidem uideri coepit, tamquam superfluam exoleuisse [20]) atque e memoria prorsus euanuisse?

Caeterum quam adhuc exposui naturam huius exceptionis ac rationem, ea optime, opinor, conuenit generali illius uersiculi sententiae, quae cur tot controuersiis implicaretur, caussa nulla fuit, dummodo contextus ea forma, quam exhibui, ab *Orellio* secundum ueram iustamque Codicum Mss. auctoritatem constituta, integra seruaretur [21]). Sic enim Tullius loca-

20) Quid si ui quotidiana deiectus statim armis possessionem recuperasset, num ex Iurisconsultorum nostrorum sententia interdicto de ui armatis hominibus teneretur? Si dicis, idem interdicti *puri* ius erit atque *Ciceronis* aetate per *exceptionem* istam comparabatur; nec repugnant supradicta *Iuliani* et *Ulpiani* loca; si negas, paullo lenior uidebitur interdicti interpretatio his temporibus effecta; quod ne ipsum quidem habet offensionem. Utique iudicis arbitrium plurimum iam his temporibus in hoc genere potuisse, planissime declarat L. 7. §. 3. Quod ui aut clam (cuius uerba uide supra p. 329. not. 7.) et complura fragmenta ex iis, quae attuli supra p. 299. not. 8.

21) Diuersae Editorum lectiones praecipue sunt hae: *Lambini*: «Et tu *non* soles» rel., *Schützii*: «*At* tu *non* soles» rel. *Benedicti*: «Et tu soles ad uim «*facundiam* adhibere» rel. Quae denique uerba omnia in *Cratandrina* plane sunt omissa. Illam autem *Benedicti* lectionem (ut de caeteris taceam) ueram esse, ne *Bentiuoglius* quidem, diligens alias et laboriosus Epistolarum Tullianarum Editor, mihi fidem facit, a quo non modo recepta (eiecit etiam *non* ante *ueneris*, de quo supra diximus) uerum etiam in hunc modum defensa est: «Sic praeter nostrorum plerosque multi aliorum cum Rec. «et Edd. Med. et Min., hoc sensu: *istic ferro, non iuris dispu*«*tationibus cernitur, at tu ICtus,* «*si quando uim adhibes, eam*

Formula Exceptiones. ad Fam. VII, 13

tur: *Parum tibi prodest apud Caesarem iuris tua prudentia, nam ferro non iure illic res geritur. Ne tu quidem a bellando habes uacationem*[22]*), neque in ista ui facienda tibi periculosa erit illa interdicti, quod est de ui armata, exceptio* QUOD TU PRIOR UI HOMINIBUS ARMATIS NON UENERIS. *Quippe tardior es ad pugnandum*[23]*), neque, opinor, armis quemquam petis nisi propter summam defendendi tui necessitatem.*

Nunc exposita alterius huius de ui interdicti *formula* sequitur, ut de *iure* eius, quibus rebus a uulgari interdicto de ui differat, ex instituto dispiciamus.

Ius et ratio.

Quo loco primum hoc inter omnes constat, ad id interdictum, sicuti formula docet, uim requiri eo insignem, ut *hominibus aut coactis aut armatis* sit

«*non ferro sed facundia et uber-* «*tate disserendi soles exercere.* «Vulgata lectio: *et tu soles ad* «*uim faciendam adhiberi*, iam «diu eruditos fatigauit. *Schütz*, «ut alios omittam, auctore *Lam-* «*bino* correxit: *at tu non soles* «*ad uim faciendam adhiberi*; «quae lectio nimis longe recedit «*a mstis*. Et *adhibere* quidem, non «*adhiberi* est in omnibus fere «*Ambrosianis*.»

22) Conf. *Epist. ad Trebatium* l. l. 8, 1. «. . . sum admiratus, «cur tribunatus commoda, dem- «pto praesertim labore militiae, «contempseris.» *ibid.* 18, 1. «. . . «significabant . . te istam mili- «tiam iam firmo animo ferre et «esse fortem uirum et constan- «tem . . . Quare perge ut coe- «pisti: forti animo istam tolera «militiam» rel. — Conf. notam quae sequitur.

23) Vide l. l. 10, 2. «Sed tu «in re militari multo es cautior «quam in aduocationibus» rel. *ibid.* 17, 1. «mihi interdum pi- «ger, interdum timidus in labo- «re militari . . . uidebare.» *ibid.* 18, 1. «Tu me uelim de ratione «Galliei belli certiorem facias: «ego enim ignauissimo cuique «maximam fidem habeo.»

perpetrata [24]). Ea corporis tactu atque adeo uulneratione an animi solum terrore deiectionem effecerit, nil magis refert, quam in uulgari de ui interdicto inuenimus [25]). Quamquam non solum *Ciceronis* aetate, uerum etiam satis diu post quaesitum uariatumque de ea re inter iuris peritos fuisse, multa testimonia et exempla declarant [26]). Nec satis caussae esse uidetur, quin ea, quae de armis, de cogendo, de hominum numero et qualitate *Tullius* definit [27]), iam tunc magis obtinuisse credamus; tantum ut concedamus, magnas saepe his temporibus inter uerbum et sententiam, inter rigorem quemdam interpretandi atque aequitatem, e uariis caussarum figuris usu uenisse contentiones, priusquam aequa illa ratio, de qua *Caecinae* defensor nostrique Iurisconsulti satis inter se consentiunt [28]), concordi peritorum iudicantiumque sententia confirmaretur atque in exploratam iuris doctrinam conuerteretur. Ius et ratio

Altera porro eaque grauissima utriusque interdicti diuersitas in eo fuit, quod per illam *Ciceronis* aetatem in seueriori hoc interdicto nihil actori nocebat,

24) Vide supra p. 325. not. 2. — Ulteriora quaedam de *disiunctione* et q. g. a. in libro tertio nostro ad orationem *pro Tullio* tractanda erunt.

25) Vide supra p. 316. ibique loca in nota 42. exhibita. Adde *pro Caecina* c. 14—17.

26) Conferenda sunt tam inter se quam *Caecinae* cum defensione uaria *Labeonis*, *Iuliani*, *Pomponii* ac deinceps caeterorum dicta in fragmentis illis, quae modo praecedenti nota 25. demonstraui.

27) *pro Caecina* c. 21. 22.

28) Conferenda d. cap. 21. 22. cum fragmentis supra allatis p. 325. not. 2. Adde L. 41. L. 233. §. 1. De V. S. L. 9. L. 11. §. 1. Ad leg. Iul. de ui pu. §. 5. I. De pu. iud. *Festus* voc. *Arma*. *Isidor.* XVIII, 5. p. 1268. (Ed. Gothofredi 1622.) *Non. Marcell.* IV, 79. (ib. p. 635.)

Ius et ratio. non modo *ui*, *clam*, *precario ab aduersario possedisse*, uerum etiam *omnino non possedisse;* contra nonnihil aliquando intererat, e praedio *eiiceretur* aliquis, quum in eo tum esset, an *prohiberetur* tantum accedere et intrare.

Qua de re tametsi *Sauinius* in diuersa est opinione [29]), certus tamen sum, Virum hunc peritissimum, si modo uera esse, quae de utriusque interdicti formula disputaui [30]), sibi persuaserit, ultro mihi de ea iuris ratione in interdicto de ui armata concessurum esse. Unum hoc restat quod iniecit, caussam *Caecinae*, etiamsi possessionem ei ad uincendum necessariam fuisse negaremus, nihil adiuuari, quoniam paiam sit, eum haud magis *detinuisse* fundum, quo de agitur, quam *possedisse* [31]). Eius uero argumenti uis ac ratio quum ex *caussae Caecinianae* natura, non e *communi iure*, originem ducat, atque ad hoc inde sit tantum consecutione quodammodo translata: placet eam disputationem tantisper differre, donec perspecta integra huius interdicti proprietate ad ipsam *Caecinae caussam* accesserimus [32]).

Qui uero actionum formulas, a Romanis tum consultis tum magistratibus tum iudicibus diligentissime conceptas, subtilissime expolitas, religiosissime obseruatas, adeo pro paruuiorum crepundiis fuisse putant, ut non dubitent affirmare, *uulgare* de ui interdictum

29) l. l. p. 511. seqq. — Conf. hic supra p. 301.

30) Vide supra p. 301. seqq. et p. 313. 315. seqq.

31) l. l. p. 514. Conf. *Walterum*, Gesch. d. R. R. p. 780. not. 28.

32) De illa re et quaestione uide infra §. 6.

distinctam illam exceptionem Cum ille possideret habuisse, *alterum* interdictum non habuisse, nihilominus eorum interdictorum ius tale fuisse, ut in utroque possessio actori ad uincendum aeque necessaria esset: isti hercle non refellendi mihi sunt, sed maximopere hortandi, ut priusquam de huiusmodi rebus sententiam ferant, prima saltem Romani iuris morisque elementa uelint perdiscere. Ius et ratio.

Caeterum quemadmodum supra in quotidiano interdicto ostendi, ita me cum *Sauinio* de formula dissentire, ut ad *Gaii* et *Ulpiani* tempora plane mihi conuenint [33]; sic in altero de ui interdicto ultro concedo, hisce Iurisconsultorum temporibus explorati iuris fuisse, actorem, nisi tum, quum uim pateretur, possedisset, non modo *interdicto uincere* sed ne *deiectum* quidem *dici* posse [34]).

Quod si a Praetore, ut de ui hominibus coactis armatisue interdiceret, is postularet, qui ad ipsum congressum illum prior hominibus coactis armatisue uenisset; ex iis, quae de formula disputauimus [35]), satis, opinor, perspicuum est, eum quicum ageretur exceptione olim ex facto accommodanda, postea ipso iure meraque interdicti interpretatione, tutum saluumque fuisse.

Tertio loco constat, quum *annale* esset uulgare de ui interdictum, alterum hoc *perpetuum* fuisse [36]).

33) Vide supra p. 313. not. 35.

34) Conf. *ibidem* et *Huschkium* ad c. 46. *pro Tullio*, in Anal. p. 165.

35) Vide supra p. 330. seqq.

36) Vide supra p. 322. not. 56. et p. 325. seq.

Ius et ratio. Accedit quod *Ulpianus* tradit, obsequium patronis parentibusque praestandum non obesse, quominus liberi libertiue de ui armata interdicant [37]): id enim propter maiorem iniuriae grauitatem huic interdicto uidetur prae uulgari concessum fuisse [38]).

Superest ut admoneamus, *Ciceronis* aetate, quandocunque ex interdicto de ui hominibus coactis armatisue ageretur, si uera est *Huschkii* coniectura [39]), semper *cum periculo* rem ad exitum perductam esse, neque ei, quicum ita interdiceretur, sponsionis euitandae petendique arbitri optionem, in restitutoriis exhibitoriisque interdictis iam tunc usitatam [40]) postea perpetuam [41]), datam permissamque fuisse.

Quod ut mihi persuadeam, (ipsis prope utar *Huschkii* uerbis) cum maxime me mouet altum in *Caecinae* defensione de arbitraria actione silentium, quam si potuisset *Aebutius* eligere et tantummodo respuisset, caussae suae bonitate et copia fretus, hercle orator

37) Vide supra p. 323. not. 59. et loca ibi allata.

38) L. 10. §. 12. De in ius uocando. *(Ulpianus)* « Praetor ait: « *In ius nisi permissu meo ne* « *quis uocet;* permissurus enim « est, si famosa actio non sit, « *uel pudorem non sugillat*, qua « patronus conuenitur uel paren- « tes. Et totum hoc caussa cogni- « ta debet facere. Nam interdum « etiam ex caussa famosa, ut *Pe-* « *dius* putat, permittere debet « patronum in ius uocari a liber- « to; si eum grauissima iniuria « affecit, flagellis fortasse ceci- « dit. » — Conf. L. 7. §. 2. De iniuriis. *Cic. de Inuent.* II, 20, 60.

39) *De caussa Siliana* p. 15. seq. (*Studien d. R. R.* p. 15.) et ad c. 53. *pro Tullio*, in *Analectis* p. 178. seq.

40) *pro Tullio* c. 53. « Et ego « ipse, tecto illo disturbato, si « hodie postulem, *Quod ui aut* « *clam factum sit*, tu *aut per* « *arbitrum restituas aut sponsio-* « *ne condemneris* necesse est. »

41) Vide *Gaium* supra citatum p. 319. not. 51.

grauiter in eius audaciam et peruicaciam inuehi *Ius et ratio.*
eumque acriter hoc nomine perstringere non supersedisset; neque (id merito adiicietur) quo loco querelam de atrocitate *Caecinae* in eligendo actionis genere refellit [42], de ea re tacuisset [43].

Denique summae illi pristinaeque huius interdicti seueritati odioque armatorum hominum similisque licentiae, quae constituendae eius actionis caussa fuit [44], ualde consentaneum est, ea quoque parte asperiorem a principio ordinem exitumque fuisse; quem totum postea, sedatis rebus domitaque priuatorum hominum, quae extremis liberae reipublicae temporibus fuerat, licentia, paullatim ad mitius deflexisse atque in commune interdictorum ius transiisse, aliis quoque exemplis docuimus.

42) c. 3. *extr.* «Verumtamen «nimiae uestrae benignitati pa-«reremus, si alia ratione ius «nostrum recuperare possemus. «Nunc uero quis est, qui aut uim «armatis hominibus factam relin-«qui putet oportere, aut eius «rei leuiorem actionem nobis ali-«quam demonstrare possit?» rel.

43) Non ex ipso *Tullii* dicto, quod modo exhibui, argumentum peto. Nam haud exploratum mihi est, quod *Sauinius* statuit, etiamsi is, quicum agebatur, arbitrum petere noluerit, *actoris* tamen, *cum periculo* an *sine periculo* experiri mallet, optionem fuisse. — *System d. R. R.* Tom. V. p. 499.

44) *pro Tullio* c. 8—13. 46.

§. 4.

Caecina possederit necne.

Sunt qui dicant, *Caecinam*, quum deiiceretur, possedisse, sunt qui negent. Nae tu crede mihi, nuper extiterunt quoque, qui, si recte attendas, hoc dicerent, *Caecinam neque possedisse neque non possedisse.*

Itaque operae pretium erit de ea re diligenter inuestigare. Ac primum uideamus, quibus argumentis *Cicero* planum facere uelit, *Caecinam* possedisse, deinde caetera uestigia, si quae forte inueniantur, quo nos ducant.

Docendi autem principium orator ex eo petit, ut dicat, *Caesenniam* fundum illum, quo de agitur, possedisse; si non (ut ipse affirmat quidem, sed probaturum se haudquaquam confidit) *ex emptione* ac *pro suo*, at (quod aduersarius concedat) *propter usumfructum* omnium bonorum, a *Fulcinio*, superiore uiro, sibi relictum [1]).

1) c. 4. « Moritur Fulcinius . . ; « testamento facit heredem, quem « habebat e Caesennia filium, « usumfructum omnium bonorum « suorum *Caesenniae* legat, ut « frueretur una cum filio. » — c. 7. « Quid ais? Istius ille fun- « dus est, quem sine ulla contro- « uersia quadriennium, hoc est, « ex quo tempore fundus uenilt, « quoad uixit, possedit *Caesen- « nia?* Usus enim, inquit, eius « et fructus fundi testamento uiri « fuerat *Caesenniae.* — c. 32. « *Caesenniam* possedisse *propter « usumfructum* non negas. Qui « colonus habuit conductum de « *Caesennia* fundum, quum idem « ex eadem conductione fuerit in « fundo, dubium est, quin, si

An Caesennia possederit.

Quid est hoc? *possidetne usufructuarius?* Profecto apud iurisconsultos nostros nihil est expeditius, quam qui utitur fruitur, eum non possidere rem, haud magis quam colonum aut inquilinum, sed iuris sui, i. e. *ususfructus*, *quasi possessionem* habere, eamque caussam esse, cur deiectus perinde atque corporis possessor *de ui* aliisque interdictis uti possit.

Cuius iuris quum Iurisconsulti omnes, quorum fragmenta seruantur, ueluti *Iulianus*, *Venuleius*, *Gaius*, *Ulpianus*, *Paullus*, nemine contradicente, sint auctores [2]), non dubitauit *Sauinius* negare, *Caesenniam*

« *Caesennia* tum possidebat, quum « erat colonus in fundo, post eius « mortem *heres* eodem iure possederit? »

2) L. 5. §. 1. Ad exhibendum. *(Ulpianus)* « *Iulianus* autem ita « scribit, ad exhibendum actione « teneri eum, qui rerum uel legatorum seruandorum caussa in « possessione sit; sed et eum, qui « *ususfructus nomine* rem teneat; « quamuis nec hic utique possideat. Inde *Iulianus* quaerit, « quatenus hos oporteat exhibere? « Et ait, priorem quidem sic, ut « actor possessionem habeat, is « autem, cum quo agatur, rei « seruandae caussa sit in possessione: eum uero, qui usumfructum habeat, sic, ut actor « rem possideat, is, cum quo agatur, utatur fruatur. » — L. 52. pr. De A. v. A. P. *(Venuleius* lib. I. Interdictorum.) «Permisceri «caussas *possessionis* et *usufructus* non oportet; quemadmodum nec *possessio* et *proprietas* « misceri debent: neque (Flor.: *namque)* impediri possessionem, « si alius fruatur; neque alterius « fructum amputari (Flor: *computari)*, si alter possideat. » — Lectionem, quam secundum *Sauinium* (l. l. p. 328. seq.) exhibui, confirmat etiam Codex meus et Ed. *Venetiis (N. Ienson)* 1477. *Lugduni (Io. Syber)* 1482. *Venetiis (G. d'Arriuabenis)* 1483. *ibid.* *(B. de Tortis)* 1507. *Lugduni (F. Fradin)* 1510. — Gai. II, 93. « . . . *usufructuarius* uero usucapere non potest: primum *quia* « *non possidet* sed habet ius utendi et fruendi » rel. §. 94. « De « illo quaeritur, an per eum seruum, in quo usumfructum habemus, possidere aliquam rem « et usucapere possumus, quia « ipsum non possidemus » rel. L. 10. §. ult. De A. R. D. §. 4. I. Per

An Caesennia possederit.

propter usumfructum possedisse fundum. Nam quod ulterius processit atque etiam negauit, *dicere hoc Tullium*, in eo manifesto errasse Vir illustris uidetur [3]). Quippe in c. 6. orator dicit: *Caesennia fundum possedit locauitque.* Quo loco si mihi obiicias, *ex empto* possedisse Caesenniam demonstrari, ecce statim postea in c. 7. iterum dicit *Caesenniam fundum possedisse*, hic quoque *ex empto* quidem, at ita ut simul ostendat, *fateri hoc Aebutium*, tantummodo diuersam possessionis *caussam* (haudquaquam *genus* possessionis diuersum), *usumfructum* uidelicet, subiicere. Simili plane modo inferius [4]) orator affirmat, *Caecinam* fundum possedisse, eamque possessionem talem fuisse, ut *Caesenniae* duntaxat possessio, quam ex usufructu ortam esse, sicut aduersarius contendat, ipse temporis caussa fingit, nulla re neque addita neque detracta, continuaretur: quam *Caesenniae* ac *Caecinae* possessionem adeo ponit nihil inter se nec *genere* nec *caussa* differre, ut *per eundem colonum* prius *Caesenniam*, deinde ea exstincta *Caecinam* possedisse declaret: — quam uere, nihil dico, unum hoc

quas pers. nob. acquir. L. 6. §. 2. De precario *(Ulpianus)* «... et «fructuarius, inquit *(Marcellus?)*, et colonus et inquilinus «sunt in praedio, et tamen non «possident.» L. 12. pr. De A. v. A. P. *(Idem)* «*Naturaliter* uide«tur possidere is, qui usumfru«ctum habet.» L. 3. §§. 13—17. De ui. L. 4. Uti possidetis. *Vatic. Fragm.* §. 91. (Verba uide supra p. 313. not. 35.) Conf. §§. 90. 93. — L. 1. §. 8. De A. v. A. P. *(Paullus)* «Per eum, in quo «usumfructum habemus, possi«dere possumus, sicut ex operis «suis acquirere nobis solet: nec «ad rem pertinet, quod *ipsum* «*non possidemus;* nam nec fili«um.» Adde L. 27. De donationibus. L. fi. De seruitutibus.

3) l. l. §. 23. p. 327. not. 1.

4) c. 32. Verba exhibui supra p. 342. not. 1.

dico, *defendere hoc oratorem*, Caesenniam *ipsum fundum* si non *ex empto*, at *propter usumfructum* tamen *possedisse;* neque de alia re ulla illum cogitare.

An Caesennia possederit.

Hoc quum sit perspicuum, sequitur ut uideamus, reuera *Caesennia* propter usumfructum possidere fundum potuerit necne.

Ac potuit, opinor, propterea quod communi iure a maioribus tradito obtinuisse hac aetate uidetur, ut quauis re qui *uteretur frueretur*, is *possidere* eam rem existimaretur.

Etenim, ut argumenta mea aperiam, orator non solum *ipse* dicit, *Caeseuniam* fundum ita possedisse, uerum etiam iterum affirmat, aduersarium tam *possessionem Caeseuniae* quam ipsam illam *possessionis caussam*, quae in usufructu fuerit, ultro agnoscere. Quod si aut rei gestae aut iuris ratione falsum fuisset, uix credibile est, *Ciceronem* hoc ita prolaturum fuisse [5]).

Deinde quod in c. 32., modo antea allato [6]), tentat *Tullius* docere, ita fundum possedisse *Caecinam*, ut per eundem colonum ueluti continuauerit *Caeseuniae* possessionem, nimis hercle ieiunum, improbabile ac calumniosum est argumentum, si ponas, *Caeseuniae* possessionem peculiari quodam genere, *ususfructus maxime proprio* et alienissimo *Caecinae* persona, fuisse; denique *Caeseuniam* non *fundum* possedisse, sed *ususfructus*, h. e. *iuris quasi possessionem* habuisse. Contra si uerum est, Caesenniam *fundum*

5) De discrimine ac modo fallaciarum ab oratoribus obseruando uide quae monui supra p. 105.

6) p. 342. not. 1.

An Caesennia possederit

ipsum possedisse, eoque quum adhibueris, quod nullam habet dubitationem, *animo* tantum *suo*, *coloni corpore* eam possedisse, *animum* illum possidendi *e locatione* ortum, *locationis* uero ius et uinculum qualecunque a muliere, quum moreretur, ad *Caecinam* heredem transiisse; colonum denique etiam *mortua Caesennia* aliquamdiu corpore suo fundum tenuisse: tunc argumentum illud aliquid si non ucri et ad probandum idonei, at ad dicendum tamen uerisimile ac tolerabile nanciscitur.

Ad haec autem caussae propositae indicia et uestigia quum adhibeo quae de illius iuris origine ac progressu siue comperta habemus siue coniectura assequi possumus, etiam magis adducor ut credam, *iuris* istam *quasi possessionem*, quam *Iulianus*, *Gaius* caeterique deinceps Iurisconsulti usufructuario tribuunt, hac *Ciceronis* aetate non modo distincta *notione* uel *nomine*, sed ne certa quidem firmaue *ratione* excogitatam, constitutam aut a *corporis possessione* separatam seiunctamque fuisse.

Quid enim? Si uerisimile est, ut esse puto, uniuersum possessionis possessoriorumque interdictorum ius propter *agri publici possessiones* conditum atque inde ad priuatas possessiones propagatum translatumque esse [7]); nonne inter usufructuarium agrique publici possessorem in eo, quod utriusque iure continetur, tanta intercedit similitudo [8]), ut nihil magis olim

7) Vide *Sauinium* l. l. §. 12. a. p. 215. seqq.

8) *Possidere* et *uti frui* quam intime antiquitus coniungi sint solita, lex *Thoria* multis locis planum facit, ueluti cap. 2. p. 147. (Rudorff. l. l.) c. 16. p. 160. seq., c. 18. p. 165., c. 24. p.

in promptu fuerit quam quae ob tuendam defendendamque illam possessionem comparata essent interdicta, ea ad usumfructum transferre. An Caesennia possederit

Quae interdicta, quum *possessioni retinendae recuperandaeue* essent destinata, ac propterea *possessionis* siue *praesentis* siue *praeteritae* condicione etiam suspensa; quid mirum, utentem fruentem, ex quo primum aequum et utile uisum est, interdicta ei accommodari, etiam *possidere rem* esse uisum? Nec credibile est, priscis illis temporibus subtiliorem eam distinctionem inter *corporis possessionem* et *iuris quasi possessionem* hoc loco promptam iam paratamque fuisse. Etenim si fuisset, uix intelligeretur, cur *usufructuario* eadem prorsus ac *corporis possessori* interdicta *de ui*, *Uti possidetis* etc. tribuissent [9]), quum ad tuenda *itinerum*, *aquarum* eiusque generis iura, quae qui exercebat, manifestam semper cum corporis possessore diuersitatem habuit [10]), ab antiquissimis temporibus propria suisque formulis discreta interdicta proponerent [11]).

In summa, hoc ius tali uidetur principio progressuque fuisse:

Qui utebatur fruebatur, ei, si ui deiectus esset,

171., c. 39. p. 185., c. 45. p. 189. et rel.

9) *Sauinius* l. l. §. 45. p. 580. seqq. — L. 3. §§. 13—17. De ui. L. 4. Uti possidetis. *Vatic. Fragm.* §. 90.

10) *Sauinius* l. l. §. 46. p. 587. 589. Conf. §. 45. p. 576.

11) *Sauinius* l. l. §. 46. p. 586. seqq. — L. 1. pr. L. 3. §. 11. et passim De itin. act. q. pri. L. 1. pr. §§. 29. 38. et passim De aqua quot. et aest. L. 1. pr. De riuis. L. 1. pr. §. 6. De fonte. L. 1. pr. §§. 1. 15. De cloacis. Conf. L. 1. pr. Uti possidetis.

An Caesennia possederit.

statim a principio interdicta, quibus in possessionem restitueretur, competere putabantur. Simul perspectum est aut breui postea, etiam ei, cuius detracto usufructu ipsa res esset, aliquando de ui interdicta et necessaria et utilia esse. Tunc uterque *possidere* dicebatur, tam *dominus* quam *usufructuarius*. Neque umquam postea hoc *ius*, si uim et effectum spectas, mutatum est. *Ratio* autem iuris ac ueluti *forma*, quum praesertim ad alias quoque iuris partes possessio ualeret, ac propterea generalem possessionis rationem disciplinamque construere periti et excolere coepissent, sic pauliatim hoc quoque loco correcta est:

Primo inelegans uisum est, eandem rem a pluribus simul in solidum possideri, praesertim *ex iusta caussa ab utroque* [12]). Itaque negare coeperunt, qui uteretur frueretur, eum *rem ipsam* uere possidere, dominum ita statuerunt possidere, ut fructuarium tamen

12) L. 3. §. 5. De A. v. A. P. *(Paullus)* «. . . plures eandem «rem in solidum possidere non «possunt: contra naturam quippe est, ut, cum ego aliquid «teneam, tu quoque id tenere «uidearis. *Sabinus* tamen scribit, eum, qui precario dederit, «et ipsum possidere et eum, qui «precario acceperit. Idem *Tre-«batius* probabat existimans, pos-«se alium iuste alium iniuste pos-«sidere; duos iniuste uel duos «iuste non posse. Quem *Labeo* «reprehendit, quoniam in summa «possessionis non multum inter-«est, iuste quis an iniuste pos-«sideat; quod est uerius: non «magis enim eadem possessio «apud duos esse potest, quam «ut tu stare uidearis in eo loco, «in quo ego sto; uel in quo ego «sedeo, tu sedere uidearis.» — L. 19. pr. De precario. *(Iulianus)* «Duo in solidum precario habere «non magis possunt, quam duo in «solidum ui possidere aut clam: «nam neque iustae neque iniu-«stae possessiones duae concur-«rere possunt.» Conf. L. 15. §. 4. eod. L. 3. pr. Uti possidetis. L. 5. §. 15. Commodati. — *Sauinius* l. l. §. 11. p. 183. seqq.

quasi possidere eandem rem, ne interdictis frustraretur, concederent. [13]). An Caesennia possederit.

Postea autem, aucta ad indagandam eiusmodi rerum naturam ingenii subtilitate, ita haec enucleauerunt, ut *possidere* quidem *utrumque* statuerent, sed diuersas plane res possidere; *rem ipsam* alterum *corpusque*, alterum *ius illud utendi fruendi*, rem incorporalem, cuius *uera* quidem *possessio* nulla esset, at *quasi possessio* tamen, ad *interdicta* utilis, ad reliquas res, quae *ueram* rei possessionem requirerent, inefficax atque innoxia [14]).

Haec si uera sunt, facilius etiam intelligentur quae de famosa illa *possessione plurium in solidum* pluribus Digestorum fragmentis e medio potissimum, quod demonstraui, tempore ad nos peruenerunt [15]).

13) Eins rationis etiam ad *Ulpianum* usque in consuetudine loquendi uestigia sunt seruata, ueluti in L. 3. §. 17. Unde ui. « Qui *ususfructus nomine qualiter* « *qualiter fuit in possessione* (scil. *fundi*), « utetur hoc interdicto. » Conf. L. 27. De donationibus. — Eadem fortasse etiam origo fuit eius, quod *naturaliter possidere* fructuarius deinceps dictus est. Conf. loca supra allata p. 343. not. 2. — Nec rara sunt in aliis iuris partibus, quinetiam in eadem *possessionis* materia, similia eiusmodi progressionis exempla. Quale est quod *Sauinius* (l. l. p. 197. seq.) exposuit de eo, qui rem precario dedit; qnem quum prius una cum eo, qui accepit, in solidum possidere statuissent, qnominns usucapio eins interrumperetur; postea negarunt quidem possidere, uerumtamen usucapioni continuandae sic consnluerunt, ut recepta possessione accedere ei dicerent possessionem eius, qui precario possederat. L. 15. §. 4. De precario. L. 13. §. 7. De A. v. A. P. — Conf. L. 1. §. 15. L. 36. eod.

14) Vide loca supra collecta p. 343. not. 2. Adde L. 1. §. 8. Quod legatorum. L. 4. §. 27. De usnrp. L. 23. §. 2. Ex qui. cau. mai. — De *seruitutibus* conf. L. 7. De itin. act. q. pri. L. 2. Comm. praed. L. 3. §. 2. De precario. — *Sauinius* l. l. §. 12. p. 209. seqq.

15) Vide supra p. 348. not. 12.

An Caesennia possederit.

Ne plura. Satis mihi uideor docuisse, fundum, quo de agitur, *Caesenniam* possedisse, si non *ex empto*, at *propter usumfructum* tamen, testamento uiri sibi legatum.

An possessio in heredem translata sit.

Verum enimuero possederit *Caesennia*, caussane haec idonea est, cur *Ciceroni* credamus, etiam *Caecinam heredem* possedisse? num uera quoque est rationis illa conclusio, quam speciem quandam ueri praebere supra [16]) ostendimus?

Non opinor.

Etenim hic superuenit quod *Paullus* habet *in libro XV. ad Sabinum* [17]).

«Quod per colonum possideo, heres meus, nisi «ipse nactus possessionem, non poterit possidere: «retinere enim animo possessionem possumus, apisci «non possumus.»

Et de toto genere possessionis *Iauolenus libro I. Epistolarum* [18]).

«Cum heredes instituti sumus, adita hereditate om- «nia quidem iura ad nos transeunt: possessio tamen, «nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet.»

Item *Ulpianus libro XXXVIII. ad Edictum* [19]).

«*Scaeuola* ait, possessionis furtum fieri; denique «si nullus sit possessor, furtum negat fieri. Id- «circo autem hereditati furtum non fieri, quia pos- «sessionem hereditas non habet, quae facti est et

16) p. 346.

17) L. 30. §. 5. De A. v. A. P.

18) L. 23. pr. De A. v. A. P.

19) L. 1. §. 15. Si is qui testamento. — Conf. L. 1. §§. 16—18. L. 21. pr. L. 38. §. 2. De A. v. A. P. — *Sauinius* l. l. §. 28. p. 376.

«animi. Sed nec heredis est possessio, antequam «possideat[20]), quia hereditas in eum id tantum «transfundit, quod est hereditatis; non autem fuit «possessio hereditatis.» An possessio in heredem translata sit

Nec puto, diuerso iure *Ciceronis* aetatem in ea re usam esse. Nam in agro quidem publico possidendo, tametsi, quod *iuris* esset, ad heredem etiam ante haec tempora transmitteretur, plane idem tamen obtinuisse, nuper *Rudorffius*, antiquorum iuris Romani documentorum restaurator meritissimus, docuit[21]); qui quam uerissime hoc loco agri publici priuatarumque rerum possessionem sententia sua exaequauerit, ualidissimum est argumentum, ut in uno consistam, omnis illa *pro herede usucapionis* ratio ac progressio[22]), quam nemo,

20) Non est nouum, *possidere* aliquando tantundem ualere ae *possessionem apprehendere;* quae uerbi significatio, quamuis in Lexicis non soleat distingui, multis tamen exemplis declaratur. Qualia qui *Digesta* fastidierit (ubi uide ex uno titulo L. 1. §§. 11. 19. L. 14. §. 1. L. 18. pr. De A. v. A. P.), inueniet etiam apud *Ciceronem*, ueluti *de Officiis* II, 23, 81. in Verrem III, 68, 158. — Conf. *Senecae* Ep. 94.

21) *Ad legem Thoriam agrariam*, in Zeitschrift f. gesch. R. W. Tom. X. p. 61. — *Q. et M. Minuciorum sententia inter Genuates et Viturios dicta*. Berolini 1842. 4. p. 11.

22) *Gai.* II, 52. «Rursus ex con«trario accidit, ut, qui sciat alie«nam rem se possidere, usuca«piat: uelut si *rem hereditariam, cuius possessionem heres nondum nactus est*, aliquis pos«sederit . . . §. 54. Quare autem «etiam hoc casu soli rerum annua «constituta sit usucapio, illa ra«tio est, quod olim rerum he«reditariarum possessione uelut «ipsae hereditates usucapi cre«debantur, scilicet anno: . . . «et quamuis postea creditum sit, «ipsas hereditates usucapi non «posse, tamen in omnibus rebus «hereditariis . . . annua usucapio «remansit.» Conf. *ibid.* III, 201. «. . . interdum rem alienam oc«cupare et usucapere concessum «est, nec creditur furtum fieri, «uelut res hereditarias, *quarum non prius nactus possessionem*

An possessio in heredem translata sit.

opinor, facile intellecturus est, si id animo praecepe-rit, possessionem heredi perinde ac quae iuris essent, ipsa hereditate nullo suo facto accreuisse.

Perspicuum igitur est, hoc nihil esse quod *Cicero* tentat dicere, *propter Caesenniae usumfructum* etiam *Caecinam* uideri possedisse. Neque id oratorem fefellit, quem neque ignorasse neque spreuisse illam iuris possessionisque rationem uerissime *Cras* inde collegisse uidetur [23]), quod statim ille ab hoc argumento ad *corporalem* possessionis apprehensionem, quam ab ipso *Caecina* factam esse dicit, transiisset. Quippe sic *Tullius* pergit dicere:

An Caecina apprehenderit possessionem

« Deinde ipse Caecina, quum circuiret praedia, uenit in istum fundum; rationes a colono accepit. « Sunt in eam rem testimonia » [24]).

In eo uero nimis creduius, ut opinor, *Cras* fuit, quod ueram *fundi apprehensionem* hisce uerbis ab oratore enunciatam, quinetiam testibus planam factam esse sibi persuasit; ac multo potior mihi est *Sauinii*

« necessarius *heres esset* « rel. (Adiicitur « necessarius » propter illud, quod *Hadrianus* nouauerat, ipso *Gaio* teste II, 57. 58.) Quando pro hereditatibus singulae res hereditariae usucapi coeperint, de ea re uidesis *Cic. ad Att.* I, 5, 6. « De Tadiana re . . . « nihil esse iam, quod laborare-« tur, quoniam *hereditas usu-« capta esset.* » Rursus *Sen. de Benef.* VI, 5. « Iurisconsultorum « istae acutae ineptiae sunt, qui « *hereditatem* negant usucapi pos-« se, sed ea, *quae in hereditate « sunt:* tamquam quidquam aliud « sit hereditas quam ea quae in « hereditate sunt.» *Plin. Ep.* V, 1. « Scis . . . iam biennium transisse « *omniaque me usucepisse.* » — *Walter* Gesch. d. R. R. III, 21. p. 695.

23) l. l. p. 32.

24) Continuantur haec uerba illis, quae e c. 32. exhibui supra p. 342. not. 1.

sententia existimantis, de praeterito solum tempore ac de *Caesenniae locatione* Caecinam cum colono, quid alteri ab altero deberetur, quum primum illa mortua esset, transegisse. Quod si etiam de futuro contraxisset, atque ita cum colono tunc egisset, ut deinceps siue pro se uno siue pro heredibus in commune is coleret possideretque; profecto et diuersis et longe pluribus uerbis eam rem orator expositurus erat. An Caecina apprehenderit possessionem.

Caeteroquin neminem fugere debet, ipsum oratorem nihil aliud ostendere, nisi *paullo post Caesenniae mortem* in fundum uenisse *Caecinam*, rationesque a colono accepisse; illud uero neque hoc neque alio loco umquam enunciare, quo tempore Caecina deiectus sit, non modo *tenuisse* colonum *eius nomine* fundum, uerum etiam omnino tunc *in fundo fuisse.* Qui colonus quid illo die egerit passusue sit, tam in caussae narratione quam in reliqua oratione ne uerbo quidem commemoratur. Enimuero ea res, tametsi in coniectura posita sit tota, tamen breui mihi attingenda est.

Fac igitur, colonum illum tunc in fundo fuisse. Colonus
Quid dicemus? Eiectum ab *Aebutio* fuisse, prohibito *Caecina* ne intraret? Non credo: cur enim *Cicero* hoc tacuisset? cur testem eum non produxisset? At enim heredum communi nomine, *Caecinae*, *Fulcinii liberti*, *Aebutii* [25]), in possessione colonus quum esset, in ea possessione consilioque possidendi consistere eum ac durare *Aebutius* passus est. Nihil profecto minus: nam sic ne *deiectus* quidem *Caecina* fuisset

25) Vide c. 6. extr.

Possessionis apprehensio. Colonus.

nec possidere desiisset[26]. Quid igitur est? Nempe aut eadem ui iisdemque armis, quibus Caecinam prohibuit a fundo *Aebutius*, colonum, manentem quidem in fundo, ditioni suae uoluntatique subiecit, atque effecit, ut suo *Aebutii* unius nomine in possessione esset[27]; aut idem hoc ut ultro etiam ueliet, colonum sibi conciliauit. Quorum neutrum mihi ualde uidetur probabile: nam si ui subactus esset colonus, nullo dubio in hac lite *a Caecina* staret, grauissimumque ei tam possessionis quam deiectionis testimonium praebuisset; contra si conciliatus, caussam non uideo, quin *Aebutio argumenti testimoniique*, *Caecinae* uero *querimoniae* materiam suppeditasset.

Denique omnis ea ratio suadere uidetur, ut aliquem dubitationi locum relinquamus, num fortasse colonus iste iam ante deiectionis diem e fundo discesserit.

Quod tamen utcumque se habet, de eo certe constat, quod e *Sauinio* retulimus, caussam nullam esse, cur *Ciceroni* credamus, *Caecinam* fundi possessionem apprehendisse, uel adeo argumentum inde petamus, quo efficiatur, etiam deiectionis tempore ex illa apprehensione *Caecinam* fundum possedisse.

Denunciatio Aebutii.

Sequitur aliud argumentum, quo *Cicero* possedisse Caecinam docere se simulat. Nam sic ait:

« *Postea cur*, *Aebuti*, *de isto potius fundo quam* « *de alio*, *si quem habes*, *Caecinae denunciabas*, « *si Caecina non possidebat?* »[28])

26) L. 1. §. 45. Unde ui. (de quo loco uide supra p. 318. not. 45) Conf. §. 24. *ibid.* (uerba habes supra p. 318. not. 46.)

27) L. 1. §. 46. eod. (uide supra *ibid.*)

28) cap. 32. Conf. c. 7., uerbis supra allatis p. 278.

Quid est hoc? Inuictum *Cras* iudicat argumentum esse, *possedisse Caecinam:* nam DENUNCIARE *esse litem et iudicium ostentare nisi petitioni satisfiat,* PETERE *autem eius esse qui non possideat* [29]). Denunciatio Aebutii.

Ipse *Hotomanus*, acer alias et acutus Tullianae defensionis oppugnator, haeret gradumque refert, atque illud argumentum, quemadmodum uere *Cras* obseruauit, *eludit magis quam refellit* dicendo, recte quidem et probabiliter oratorem conclusisse, *Aebutium*, quia *denunciauerit*, confessum esse de *Caecinae* possessione; at eiusmodi siue *confessione* siue *denunciatione* non amitti ius possessionis, haud magis quam actione edita [30]).

Quid multa? Mihi isto *Tullii* argumento nihil inanius neque infirmius esse uidetur. Quippe *denunciare* non modo proprium esse eorum, *qui rem a possidente petituri sint*, sed etiam ualde iis usitatum, mediusfidius nescio ubi Viri docti illi legerint. Sic potius obseruatio mea fert ut existimem:

Denunciandi occasio multiplex totidemque caussae quot genera rerum, quas scire alter alterum uelle potuerit. Hoc autem in quotidianis negotiis, ubi ius ciuile spectant, homines suae magis quam alienae utilitatis caussa uelle solent; nam in multis iuris caussarumque figuris alteri prodest, alterum scire aliquid aut sciuisse, deteriorque est condicio eius qui sciuit quam qui ignorauit.

Itaque, ut allatis aliquot exemplis res planior fiat, inuenimus, eum, qui opus in solo facturus est, uicino

29) l. l. p. 32. §. 4. Conf. *Klotz.* ad c. 7. p. 482. et in Argumento p. 9.

30) Vide *Hotomani* adnotationem ad dd. cap. 7. et 32.

Denunciatio Aebutii. *denunciare*, ne clam fecisse dicatur [31]); contra si quis prohibere uult opus aliquod ne fiat, nonnunquam *denunciat* facturo, quomagis, si nihilominus fecerit, ui fecisse uideatur [32]). Qui ita heres scriptus est, *Si dotem, quam ei promisi, neque petierit neque exegerit*, coheredi *denunciat*, paratum se accepto facere dotem, uel cauere; quo condicio aut impleatur aut appareat per coheredem stetisse, quominus impleretur [33]). Quodsi uinum ita uenierit, ut dies ad metiendum praestitueretur, nec intra diem admensum sit, uenditor emptori, ut aut tollat uinum, aut sciat futurum, ut uinum effunderetur, denunciabit; quo magis, si diutius emptor ludificauerit, effundere sibi liceat, neque malitiose nimioue emptoris detrimento sibi consuluisse uideatur [34]). Dicitur porro dominus, qui institorem habet, cuidam denunciare, *ne seruo a se praeposito credat*; quomagis ille, comperta domini uoluntate, institoriae actionis caussam beneficiumque amittat [35]). Qui pecuniam pro alio constituerat, ei aliquando, *ne soluat*, denunciatum est, quominus pecunia inuito debitore soluta mandati negotiorumue gestorum agi posset [36]). Heredi, qui non retenta quarta per errorem totam hereditatem restituerat, *Aristo* suasit, ut debitoribus denunciaret, *ne fideicommissario soluerent*; quo facto si nihilominus soluerint, indigni a Praetore iudicabuntur, quibus, here-

31) L. 3. §. 7. L. 5. pr. §§. 1—4. L. fi. §. ult. Quod ui aut clam.

32) L. 5. §. 7. eod.

33) L. 7. De C. et D.

34) L. 1. §. 3. De peric. et comm. r. uend.

35) L. 17. §. 4. De instit. act.

36) L. 27. De constit. pecun.

de postea agente, denegata actione subueniretur [37]. Denunciatio Aebutii. Si cui permisi, ut, quod mihi debet, alii solueret, possum eidem denunciare, *ne soluat*, quominus, si postea soluerit, uoluntatis meae habeat defensionem [38]. Emptor rei, cuius controuersia mouetur, uenditori denunciare solet, ut in lite adesse sibi possit, neue postea re euicta, quum ex empto uel ex stipulatu conueniretur, obiiciat, parum instructum emptorem aut negligentem ad defendendum fuisse [39]. Tutore rem pupilli uendente mater emptoribus, *ne emant*, denunciat, quo postea pupillus, quum a Praetore postulabitur, ut in integrum restituatur, aequiore iure utatur aduersus eos, qui admoniti ad emendum accesserint [40]. Denique fisci nomine hereditatem petitum iri possessori solet denunciari, quo citius usuras debere incipiat, ad caeterasque res malae fidei possessoris iure censeri [41]. Adiice nunc ex ipso *Tullio* nostro, quod *Alfenus*, quum bona *Quinctii Naeuius* a Praetore iussus possidere coepisset, denunciauit, *se procuratorem esse paratumque ad defendendum Quinctium*; quomagis appareret, temere *Naeuium* nulloque iure Praetorem de possidendis Quinctii bonis adiisse [42].

Sed satis superque exemplorum. Quippe infinitum est, eiusmodi denunciationes, non modo quae in quotidiana hominum conuersatione, uerum etiam quae cum certo quodam iuris consilio uel effectu commemoran-

37) L. 21. in fi. Ad SC. Trebellianum. Conf. L. 10. §. 3. Quae in fraud. cred.

38) L. 106. De solutionibus.

39) L. 53. §. 1. De euictionibus.

40) L. 47. pr. De minoribus.

41) L. 10. §§. 6. 11. De hered. pet.

42) *pro Quinctio* c. 6. 21.

Denunciatio Aebutii.

tur [43]), singillatim enumerare. Illud uero assecutus esse mihi uideor, ut facili negotio quiuis intelligat, quam uehementer errauerint, qui e mera *denunciandi* hac mentione, quae in dicto orationis loco habetur, statim confecerunt, litem *Aebutium* illaturum *Caecinae*, quinetiam ipsum fundum *Fulcinianum* ab eo uindicaturum fuisse, de eoque proposito ut certiorem faceret *Caecinam*, denunciasse, *fundum suum esse seque sibi emisse* [44]).

Quae quum ita sint, expeditum profecto fuerit negare quidquam a *Tullio* esse propositum, unde appareret, talem fuisse istam denunciationem, ut, nisi Caecina possedisset, ita fieri non potuisset; idcirco

43) Vide *Brissonium* s. v. *Denunciare* et *Denunciatio*. *Zimmern* l. l. Tom. III. p. 354. not. 1. — Multo autem saepius *res* occurrit quam *uerbum* ac *nomen*, nec quemquam praeterire debet, huic *denunciandi* mori perquam affine esse omne illud *testationum* genus, quarum ubique frequentissima mentio est.

44) Minime me fugit, postea *denunciandi* hunc actum inter caetera etiam *ad praeparandas cuiusuis generis lites* usurpari coepisse, ad eamque rem partim moribus, partim lege, seu quod legis uim obtinuit, in iudiciorum ordinem transiisse, ac deinceps *uadimoniis* certa quadam ratione coniunctum et quasi substitutum fuisse. *Aurelius Victor in uita Marci* c. 16. *Zimmern* l. l. p. 354. *Bethmann-Hollweg Civ. Proc.* §. 21. p. 247. seq. — Nec dubito, quin pecnliaris hicce denunciationum usus ex communi illo consuetoque more denunciandi quicquid commodum uideretur, originem duxerit. Conf. L. 7. De inoff. test. L. 20. §§. 6. 11. De hered. pet. *Zimmern* l. l. — Singularem autem illam denunciandi speciem qui alienissimam quidem a caussa, in qua disputatio nostra uersatur, esse iudicauerunt, ut est, at eodem spiritu de hac *Aebutii* denunciatione istam, quam in contextu reprehendi, opinionem professi sunt, foedissime secum ipsi pugnare uidentur, uerboque distinguere, quae re et ueritate pessime confundunt. Conf. *Klotzium* ad d. cap. 7., et *Reinium* R. Pr. R. p. 467.

ad probandam *Caecinae* possessionem infirmum nugatoriumque hoc argumentum uideri. Denunciatio Aebutii.

Sed paulo ulterius procedere iubet. Sunt enim, nisi omnis ratio me fallit, uestigia quaedam, quibus ipsam, quae Aebutio fuit, denunciandi caussam indagare ac persequi possimus.

Etenim pro concesso probatoque, opinor, erit, quod supra docuimus, *Caecinam* antea familiae herciscundae arbitrium *Aebuti*o edidisse [45]). Quid ergo est? In hoc iudicio magnopere refert scire, *hereditarius* sit ille fundus an *Aebutii priuatus*, quinetiam *sitne de ea re controuersia aliqua an nulla.* Ecce quod *Pomponius* habet *libro XIII. ad Sabinum* [46]).

„Si quid contendis ex hereditate mihi tecum com-
„mune esse, quod ego ex alia caussa meum pro-
„prium esse dico, id in familiae herciscundae iudi-
„cium non uenit:" —

ac secundum illum *Paullus libro XXIII. ad Edictum:* [47])

„Quod pro emptore uel pro donato, puta, coheres
„possidet, in familiae herciscundae iudicium uenire
„negat *Pomponius.*"

Haec autem ut recte intelligantur, illud addendum puto, plurimum in ea re etiam hoc referre, uter litigatorum rem, de qua controuersia est, possideat. Nam sicuti supra apparuit, in hereditatis controuersia recte eum, qui heredem se dicit, negante aduersario, *familiae herciscundae* experiri, *si partem suam possideat,*

45) §. 1. p. 280. seqq.
46) L. 45. pr. Fam. hercisc.
47) L. 25. §. 7. eod.

Denunciatio Aebutii.

contra, si non possideat, *hereditatem* prius *petere* debere [48]); sic persuasum mihi est, *singularem* quoque rem, de qua, communis sit an alterius propria, ambigitur, tam in *familiae herciscundae* quam in *communi diuidundo* iudicium uenire, dummodo is, qui hereditariam aliaue ratione communem esse contendit, partem suam possideat; quum non possidet, tum demum non uenire, sed *in rem actione* prius peti oportere.

Cuius diuersitatis tametsi in hoc iure aeque certum auctorem atque in illa hereditatis controuersia *Gaius* extitit [49]), nullum habemus, uidetur tamen omnis dubitatio tolli partim eadem ratione iisdemque argumentis, quae supra exposuimus [50]), partim testimoniorum utrinque concurrentium similitudine [51]), partim peculiaribus quibusdam uestigiis, quae in Iurisconsultorum libris inueniuntur [52]).

48) Vide supra §. 1. p. 287.

49) Vide supra §. 1. p. 289.

50) Profecto, ut in uno consistam, haud magis potest qui possidet in rem agere quam hereditatem petere, nec debet tamen actione carere, qua communio dirimatur. Vide loca supra allata p. 290. not. 24.

51) Conferantur quae in d. L. 1. §. 1. Fam. hercisc. (uerba uide supra p. 289.) de exceptione traduntur, cum L. 18. De exceptionibus. *(Africanus)* «Fundi, quem «tu proprium tuum esse dicis, «partem a te peto, et uolo simul «iudicio quoque communi diui«dundo agere sub eodem iudice. «Item si eius fundi, quem tu «possideas, et ego proprium me«um esse dicam, fructus condi«cere tibi uelim: quaesitum est, «an exceptio *Quod praeiudicium* «*fundo partiue eius non fiat*, ob«stet, an deneganda sit. Et utro«bique putat interuenire Praeto«rem debere nec permittere pe«titori, priusquam de proprietate «constet, huiusmodi iudiciis ex«periri.» Conf. L. 16. eod. — In omnibus hisce locis eadem est exceptio, ac *possidenti* semper tribuitur. In locum eius simili plane ratione succedit exceptio *rei iudicatae* in L. 8. De exc. r. iud.

52) Praeterquam quod in supradicta L. 25. §. 7. Fam. hercisc. consulto *Paulus* uidetur posuis-

Ex his autem, quae adhuc disputata sunt, iure colligere mihi uideor, eo ferme consilio *Aebutium* denunciasse *Caecinae*, *fundum suum esse seque sibi emisse*, ut negaret, iudicium familiae herciscundae, quod *Caecina* ediderat, de illo fundo se accepturum esse. Denunciatio Aebutii.

Quod consilium, si *Caecina* fundum possedisset, inutile prorsus atque ineptum fuisset: contra, si *Aebutium* facias possedisse, tale, ut facili negotio perturbare *Caecinam* posset molestiaque afficere. Quippe quum ita fundi quaestionem a familiae herciscundae iudicio separauit, iure suo usus est, duasque lites *Caecinae*, quas actoris loco susciperet, pro una inflixit. Simul quam priorem hic intenderat, quamque mature ad exitum perduci, ut in eiusmodi caussis adsolet, magnopere *Caecinae* intererat, postponere coëgit, donec de fundo in rem actionem peregisset. Neque enim familiae herciscundae plus quam semel agi potest, neque expediens potuit uideri, peracto illo iudicio, postea euicto fortasse fundo, nouam eius fundi nomine *communi diuidundo* similemue actionem mouere; neque constat omnino, nouae eiusmodi actionis perinde hac aetate copiam fuisse, atque *Ulpianus* et *Paullus*,

se, eum rem possidere, qui communem esse negaret, consideranda est etiam L. 7. §. 5. Comm. diuid. (Verba uide supra p. 314.) Quo loco proprietatis quoque controuersiam scribentis animo obuersata sit propterea necesse est, quod, ubi inter litigatores conuenit, rem communem esse, non modo iusta sed ne ulla quidem possessio requiritur. L. pen. eod. *(Scaeuola)* «Communi diuidundo iudicio recte agi, siue neuter possideat, siue alter sociorum fundum non possideat.» Conf. L. 25. §. 1. Fam. herc. (Verba exhibui supra p. 289. not. 20.)

Denunciatio Aebutii. quum, quo iure ipsi uterentur, praeterea nihil, spectarent, nobis tradiderunt [53]).

Atque haec quidem satis plana et aperta. Alia incertiora leuiter attingere malo quam latius disputare aut quicquam affirmare.

Quale futurum fuit illud iudicium, quod de diuidenda hereditate *Caecina Aebutio* ediderat, *legitimum* an *quod imperio contineretur?* [54])

Nimis difficile est statuere, hac aetate omne iudicium, quod non *iudicem* sed *arbitrum* haberet, uisum esse *imperio contineri* [55]); illud potius dixerim, parum

53) L. 20. §. 4. Fam. hercisc. *(Ulpianus)* «Familiae herciscundae iudicium amplius quam semel agi non potest, nisi caussa «cognita. Quodsi quaedam res «indiuisae relictae sunt, communi diuidundo de his agi potest. — *Paulli* I, 18, 1. «Arbiter familiae herciscundae plus «quam semel dari non potest: «et ideo de his, quae diuisa eo «iudicio non sunt, communi diuidundo arbiter postulatus partietur.» Conf. L. 1. C. Famil. hercisc. L. 35. De pactis.

54) *Gaii* IV, 104. seq. «Legitima sunt iudicia, quae in urbe «Roma uel intra primum urbis «Romae miliarium inter omnes «ciues Romanos sub uno iudice «accipiuntur; eaque lege *Iulia* «*iudiciaria*, nisi in anno et sex «mensibus iudicata fuerint, expirant: et hoc est quod uulgo «dicitur, e lege *Iulia* litem anno «et sex mensibus mori. — Imperio uero continentur recuperatoria et quae sub uno iudice «accipiuntur interueniente peregrini persona iudicis aut litigatoris; in eadem caussa sunt «quaecunque extra primum urbis «Romae miliarium tam inter ciues Romanos quam inter peregrinos accipiuntur: ideo autem «imperio contineri iudicia dicuntur, quia tamdiu ualent, quamdiu is, qui ea praecepit, imperium habebit.» — Legitimis iudiciis Ciceronis aetate neque annus ille et sex menses neque aliud tempus ullum fuit praestitutum. Qua de re tractaui in libro de Litiscontestatione et re iudicata, §. 15. p. 133. seqq.

55) Conf. *pro Q. Roscio* c. 5. s. fi., pro Murena c. 12. extr., *Sauinium* Syst. d. h. R. R. Tom. V. p. 101. not. b.

esse exploratum, *Romae* an *Tarquiniis* alioue loco *Caesennia* cum *Caecina* uixerit, ubiue diem illa quidem obierit, hic autem familiae herciscundae arbitrum petierit [56]). Si *Tarquiniis*, ecce tibi iudicium *imperio continens*, nouumque, quod *Caecinae* immineret ex noua illa fundi controuersia periculum. Etenim *accepto iam* familiae herciscundae iudicio metuendum erat, ne qui arbitrum dederat magistratu prius abiret, iudiciumque intercideret, quam, exspectata de fundo sententia, suscipi peragique posset [57]); aut *nondum accepto*, quod magis est probabile [58]), eodem metu *Caecina* fortasse impediebatur, ne illo anno litem contestaretur. Denunciatio Aebutii.

Denique uidendum, ne *Caecina*, si prius in rem agere de fundo uellet, notissima illa exceptione Quod

56) Si quis propter illam consuetudinem, quae *Caesenniae* cum *Aebutio*, urbano sane homine, post mortem *Fulcinii*, superioris uiri, fuit, statuere uelit, *Caesenniam* tunc *Romae* habitasse, non repugno, tantum monebo, de illa consuetudine, posteaquam *Caecinae* nupsit, nihil tradi. Contra nullo dubio cum *Caecina*, uiro suo, uixit, nec probabile est, hunc breui illo temporis interuallo, quod inter *Caesenniae* mortem et hanc caussam fuit, sedes mutasse. At *Romae* tunc *Caecinam* non habitasse, quum ei ab *Aebutio* denunciaretur quod nouimus, quantumuis leui indicio est, quod curiose *Tullius* narrat, Romae *in foro Aebutium Caecinae denunciasse*, d. c. 7. Adde quod in c. 32. in laude *Caecinae* ponitur, «amplissimis uiris *Etruriae* totius in «utraque fortuna cognitum (esse) «multis signis et uirtutis et humanitatis.»

57) Vide supra notam 54. et loca in d. meo libro ex *Iuuenale*, *Seruio Digestisque* collecta.

58) Quod in c. 7. *Caecina* dicitur *arbitrum familiae herciscundae postulauisse*, non satis argumenti esse puto, rem in iure absolutam, litem contestatam in iudiciumque deductam fuisse. Nimirum quae nobis sunt exempla, haudquaquam me adducunt, ut credam, primo fere aditu res in iure peragi atque in iudicium transmitti solitas esse. Conf. *pro Tullio* c. 38. 39. *pro Quinctio* c. 7—9. 19—21. *Gai.* IV, 184.

Denunciatio Aebutii. PRAEIUDICIUM HEREDITATI NON FIAT, periclitaretur[59]), adeoque in captiosissimum hoc dilemma tum adductus fuerit, ut, si *familiae herciscundae* prius ageret, fundum e diuisione iudicioque dimitteret, sin *in rem de fundo*, dilatoria exceptione[60]) repelleretur. Quod periculum etiamsi forte aliquo siue iuris adminiculo

59) L. 13. De exceptionibus. *(Iulianus)* «Si post litem de here«ditate contestatam res singulae «petantur, placet non obstare «exceptionem, *Quod praeiudi«cium hereditati non fiat:* futuri «enim iudicii, non facti, nomine «huiusmodi exceptiones compa«ratae sunt.» L. 25. §. 17. De hered. pet. *(Ulpianus)* «Item si «rem distraxit bonae fidei pos«sessor, nec pretio factus sit «locupletior: an singulas res, si «nondum usucaptae sint, uindi«care petitor ab emptore possit? «et, si uindicet, an exceptione «non repellatur, *Quod praeiudi«cium hereditati non fiat inter «actorem et eum, qui uenum de«dit:* quia non uidetur uenire «in petitionem hereditatis pre«tium earum, quamquam uicti «emptores reuersuri sunt ad «eum, qui distraxit? Et puto «posse res uindicari, nisi empto«res regressum ad bonae fidei «possessorem habent. Quid ta«men si is, qui uendidit, para«tus sit ita defendere heredita«tem, ut perinde, atque si pos«sideret, conueniatur? Incipit «exceptio locum habere ex per«sona emptorum. Certe si mi«nori pretio res uenierint, et «pretium quodcunque illud actor «sit consecutus; multo magis po«terit dici exceptione eum sum«moueri» rel. Conf. loca supra p. 289. not. 21. allata. — Illud non potest in dubium uocari, quin *Caecinae*, si in rem cum *Aebutio* egisset, non solum probandum fuisset, *fundum Caesenniae fuisse*, uerum etiam *Caesenniae se heredem esse:* nec magis illud, quin idem plane illius exceptionis ius fuerit, siue hereditatis controuersia, quae futura esset, peculiari sua *in rem actione* intenderetur an *familiae herciscundae iudicio*, sicuti in hac caussa accidit, includeretur.

60) Quod exceptionum genus quo effectu fuerit, *Gaius* docet *Comm.* IV. §. 123. «Obseruan«dum est autem ei, cui dilatoria «obiicitur exceptio, ut differat «actionem; alioquin si obiecta «exceptione egerit, rem perdit; «nec enim post illud tempus, «quo integra re euitare poterat, «adhuc ei potestas agendi su«perest, re in iudicium deducta «et per exceptionem perempta.»

siue magistratus auxilio euitari potuerit, nouam tamen difficultatem *Caecinae* attulisse satis credibile est. Denunciatio Aebutii

Sed ut ad ea reuertar, quae certiora antea ostendi, cur denunciauit *Caecinae Aebutius*, nec potius imprudentem male agendo detrimentum capere passus est?

Nempe sibi ipse consuluit, ne malitiose tacendo doli ac fraudis crimen incurreret, adeoque ignorantiae excusationem, tum magistratuum, qui ius dicerent, auxilium ei conciliaret: nam in eiusmodi rebus alterum ab altero edoceri, iuris quodammodo ac necessitatis fuisse, cum exemplis supra allatis aliisque multis, tum omni *interrogationum in iure* materia et ratione perspicuum est. Adiicias licet, nihil sibi *Aebutium* denunciando nocuisse, neque uitandi periculi aduersario opportunitatem praebuisse, quoniam, quam *Caecinae* controuersiam denunciauit, ea ui magis sua ac potestate quam huius ignoratione incommoda esset.

Caeterum quod negat orator caussam fuisse, cur de hoc maxime fundo nec de alio *Aebutius Caecinae* denunciaret, nisi hunc *Caecina* possedisset; expeditum hercle fuit reponere, quia *huius* fundi controuersiam sibi futuram esse intellexisset, idcirco de *hoc* fundo denunciasse: *intelligi* autem e multis aliis rebus indiciisque illud potuisse quam ex eo, quod *Caecina tum possedisset.*

In summa, satis, opinor, perspicuum est, longe uerius potuisse ab illa *denunciatione* argumentum peti, *Aebutium* quam *Caecinam* fundum, de quo agitur, possedisse. Illud autem utile erit cognouisse, nihil fere nimis inane infirmumque esse, quin orator, huius

Denunciatio Aebutii. loci angustiis pressus obiter saltem arripiat, atque turbandorum recuperatorum auditorumque caussa in dicendi quantulumcunque usum conuertat.

Deductio quae moribus fit. Restat quod extremo loco *Tullius*, ut doceat, *Caecinam possedisse*, adiecit:

« Ipse porro Caecina, cur se moribus deduci uolebat, idque tibi de amicorum, etiam de ipsius C. Aquillii sententia responderat? »

Nunc, si recte perspexi naturam *deductionis* huius, *quae moribus fit*, expeditum est, quam sit haec possessionis coarguendae ratio omnium uanissima et ieiunissima. Mera est, meo quidem iudicio, uerborum captatio cauillatioque, neglecta prorsus re ac iuris ratione.

Quod ut facilius intelligatur, ecce totam artificii structuram:

Deduci de fundo non potest nisi qui in fundo est. At qui in fundo est, possidet. Possideat igitur Caecina necesse est, qui de fundo postulat ut ab Aebutio deducatur [61]).

Sed huic argumentationi uera uis ac ratio *deductionis*, *quae moribus fit*, quam maxime repugnat. Ea quae sit, alio loco nuper latius a me disputatum est [62]); nunc satis erit summatim repetere.

61) Sic etiam cum *Hotomano* *Cras* intellexit, qui l. l. p. 32. seq. haec habet: « Possessio porro « Caecinae aperta est ex eo, quod « se moribus deduci nolebat, id« que responderat; cum solos « deduci eos, qui *possident*, uel « qui certe *sunt in fundo*, iterum « ipse notat *Hotomanus*, et ob « eam quidem caussam, quod « confiderent sibi facilem posses« sionis probationem fore. » — Hoc unum interest, quod *Cras* credidit *Tullio*, non item *Hotomanus*.

62) Zeitschrift f. g. R. W. Tom. XI.

Deductio quae moribus fit.

Olim quum lege agebatur, quemadmodum fundum aedesue petere ac de eiusmodi rebus per sacramentum agere soliti sint, ex ipsis *Gaii* uerbis licet cognoscere [63].

« Si in rem agebatur, mobilia quidem et mouentia, « quae modo in ius afferri adduciue possent, in iure « uindicabantur ad hunc modum: qui uindicabat, « festucam tenebat, deinde ipsam rem apprehende- « bat, ueiut hominem, et ita dicebat: HUNC EGO « HOMINEM EX IURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO SE- « CUNDUM SUAM CAUSSAM SICUT DIXI: ECCE TIBI UIN- « DICTAM IMPOSUI; et simul homini festucam impo- « nebat; aduersarius eadem similiter dicebat et fa- « ciebat; cum uterque uindicasset, praetor dicebat: « MITTITE AMBO HOMINEM; illi mittebant; qui prior « uindicauerat, ita alterum interrogabat: POSTULO « ANNE DICAS QUA EX CAUSSA UINDICAUERIS; ille re- « spondebat: IUS PEREGI SICUT UINDICTAM IMPOSUI; « deinde qui prior uindicauerat dicebat: QUANDO TU « INIURIA UINDICAUISTI D AERIS SACRAMENTO TE PRO- « UOCO; aduersarius quoque dicebat: SIMILITER EGO « TE; seu L asses sacramenti nominabant. Deinde « eadem sequebantur, quae cum in personam agere- « tur; postea praetor secundum alterum eorum uin- « dicias dicebat, id est, interim aliquem possesso- « rem constituebat, eumque iubebat praedes aduer- « sario dare litis et uindiciarum, id est, rei et « fructuum; alios autem praedes ipse praetor ab

63) Comm. IV. §. 16. seq. — Conf. *Gell*. XX, 10. *Cic. pro Murena* c. 12. *de Oratore* I, 10, 41. *Festus* s. v. *Superstites* et *Vindiciae. Valerius Probus* (Ed. *Gothofredi* 1622) p. 1476.

Deductio quae moribus fit.

«utroque accipiebat sacramenti, quod id in publi-«cum cedebat: festuca autem utebantur quasi hastae «loco, signo quodam iusti dominii: maxime enim «sua esse credebant quae ex hostibus cepissent, «unde in centumuiralibus iudiciis hasta praeponi-«tur. — Si qua res talis erat, ut non sine incom-«modo posset in ius afferri uel adduci, uelut si «columna aut grex alicuius pecoris esset, pars «aliqua inde sumebatur et in ius afferebatur, et in «eam partem perinde atque in totam rem praesen-«tem fiebat uindicatio, uelut ex fundo gleba sume-«batur et ex aedibus tegula» rel.

Sed abrogatis legis actionibus hoc modo per formulam coeperunt in rem agere, ut in iure actor tali sponsione aduersarium prouocaret: Si fundus quo de agitur ex iure Quiritium meus est, sestertios xxv. nummos dare spondes? deinde formulam ederet, qua intendebat sponsionis summam sibi dari oportere. Simul autem ab eo quicum agebatur satisdandum actori erat propria quadam stipulatione, quae ad instar antiquae legis actionis appellabatur *pro praede litis et uindiciarum* ? [64]).

Ecce uero in noua hac agendi forma, quomodo a principio constituta est, reliquias quasdam et quasi

64) *Gai.* IV, 93. 94., ubi praeter uerba, quae supra p. 11. adscripsi, haec habentur: «Ideo «autem appellata est *pro praede* «*litis uindiciarum* stipulatio, quia «in locum *praedium* successit, «quia olim, cum lege agebatur, «pro *lite et uindiciis*, id est, pro «re et fructibus a possessore pe-«titori dabantur praedes.» — Conf. *in Verrem* I, 45.

nitorem obsoletum antiquae legis actionis, si posteriorem eius partem inde a uindiciis dictis respexeris: dico *sponsionis* cum *sacramento*, tum *satisdandi* similitudinem. Deductio quae moribus fit.

Sed quid de priori parte tunc aetum est, uidelicet *de manu conserenda* ac de *uindiciis* a Praetore *dicendis?* Haecne omnia repente abiecta exstinctaque sunt ne uestigio quidem relicto?

Non opinor; immo hoc quoque loco, uti mos est Romanis, agendi rationem ita nouauerunt, ut ueteris tamen instituti reliquias aliquot et quasi umbram conseruarent.

Quid ergo est? Quo simplicior esset ac minus impedita solennitas in iure celebranda, Praetorem, quoad fieri posset, ab illis rebus uacare uoluerunt, easque priuatae litigatorum curae demandauerunt.

Atque talem puto *deductionis* illius in fundis aedibusue uindicandis originem fuisse: quae, quia hominum magis consuetudine quam lege aliqua inualuit, moribus fieri dicebatur[65]. Etenim qui ad manus conserendas inuicem sese prouocauerant, deinde omnem uim, quam *ciuilem et festucariam Gellius* dicit, ex uetere ritu cum solennibus uerbis peregerant, uindiciasque a Praetore dictas acceperant, quid assecuti erant? Nempe

65) Praeterquam in oratione *pro Caecina* (ubi uide c. 1. 7. 8. 10. 11. 12. 32.) semel tantum, quod sciam, huius deductionis mentio occurrit, uidelicet *pro Tullio* c. 20. v°. «Ad uillam erat «Tullius. Appellat Fabius, ut «aut ipse Tullium deduceret aut «ab eo deduceretur. Dicit *de-* «*ducturum se* Tullius, uadimo- «nium Fabio Romam promissu- «rum. Manet in ea condicione «Fabius» rel. Vix dubitare licet, quin *Tullius* fundum possederit.

Deductio quae moribus fit.

id ipsum, ut sciretur, utrumque sibi fundum uindicare, nunc autem eo rem peruenisse, ut alter, quamdiu lis esset, possideret, defendendique fundi muneri obstrictus esset, alter petitoris locum teneret.

Idem hoc, abrogatis legis actionibus, curauerunt, ut priuata illa *deductione* deinceps assequerentur. Itaque qui fundum non possidebat, imaginaria quadam ui in possessorem impetum faciebat quasi occupaturus fundum possessionemque aduersario erepturus; hic autem uim ui depellebat, atque aggressorem ueluti obtorto collo de fundo *deducebat*, possessionemque suam etiam ui manuque adserebat; sed simul, quo appareret, *celebrandi* non *contemnendi* iuris caussa pugnatum esse, roganti aduersario *uadimonium promittebat*, eoque facto rei ipsius iure iudicioque defendendae munus officiumque in se suscipiebat [66]).

Sic, mea quidem coniectura, haec deductio praeparandae in rem actionis caussa peragi solebat, quandocunque de fundi proprietate ita ambigeretur, ut de praesenti tamen possessione inter litigatores constaret. Nam quum in re petenda *actoris* semper partes is sustineret, *qui deduci se passus esset*, *possideret* autem ac secum quid ageretur exspectaret, *qui deduxisset;* facile apparet, ubi uterque possessoris locum affectaret, *deduci* neutrum, *deducere* utrumque uoluisse. Hic igitur deficiente litigatorum consensu priuata illa ac uoluntaria deductio cessabat [67]), legitimae con-

66) Vide praecipue quem modo attuli locum ex oratione *pro Tullio.*

67) Idcirco ubi propter alterius siue errorem siue simulationem falso sibi uidebantur consentire,

trouersiae ac magistratus iurisdictioni imperioque locus erat. Ne multa, interdicto Uti possidetis agendum erat; quod interdictum in *controuersa* possessione perinde atque in *incontrouersa* deductio in locum legis actionis successerat. Sed Uti possidetis interdicti ius, ordinem exitumque non huius propositi est enarrare [68]). Deductio quae moribus fit

De illa uero *deductione* hoc unum adiiciam, posteaquam adinuenta *petitoria formula* obtinuit, ut non solum *per sponsionem*, uerum etiam *recto iure* in rem agere liceret [69]), conseruatam quidem, si quod uerisimile est sequamur, translatamque in nouum agendi genus consuetam hanc deductionem a principio fuisse, mox autem *in hoc* potissimum inutilem uisam esse, ac deinceps in pristina quoque per sponsionem agendi forma in desuetudinem abiisse: denique hac ratione effectum esse, ut uix ultra prima Imperatorum tempora in usu retineretur, neque omnino ad Iurisconsultorum nostrorum aetatem perueniret.

Quibus jam perspectis ut ad propositum reuertamur, numquid ueri habet quod Orator tentat arguere, *Caecinam*, nisi possedisset, deducendum sese *Aebutio* oblaturum non fuisse?

facili negotio accidit, ut *ciuilis* illa uis, quam constituerant celebrare, in solidam nim, uelut in proposita *Caecinae* caussa, degeneraret.

68) Coniunctim egi de hoc interdicto et de deductione, loco supra p. 366. not. 62. laudato.

69) Admonendi sumus, formulam petitoriam *Ciceronis* iam aetate in usu fuisse, de in rem actione per sponsionem sic *Gaium* uerba facere, ut obsoleta tunc fuisse haudquaquam uideatur. *Cic. in Verrem* II, 12. *Gai.* IV, 91—94. Conf. *ibid.* §§. 41. 51.

Deductio quae moribus fit.

Medlusfidlus ne tantulum quidem. Contra maximo illud argumento est, non modo *Caecinam* non possedisse, sed etiam de praesenti *Aebutii* possessione confessum tunc fuisse. Atque hoc est quod supra demonstraui, meram isti argumento uerborum cauillationem inesse, lure autem et ratione prorsus uideri destitutum omniumque uanissimum lnanissimumque fuisse.

Quodsi dubitatio aliquem capiat, quemadmodum fieri potuerit, ut ad istius numeri argumenta Tullius descenderet, primo alterum illud, quod praecedit, a *denunciatione* illa petitum, haud multo sane probabilius, exempli loco citabo; deinde hoc addam, esse quaedam apud Iurisconsultos uestigia [70], quibus nescio an eo ducamur, deductionem illam, quae moribus fit, ad possessionem non adeo ualuisse, ut eam etiam *transferret*, immo qui in rem acturus *deduci se* passus esset, ei nihilominus liberum fuisse, omissa uindicatione ad *possessionis* disceptationem reuerti, et quam tunc habuisset possessionem, si alia de caussa non amisisset, *interdicto retinere*, sin amisisset, *recuperare*.

Quod si ita fuit — et magis est credibile, quod ius recitatis Digestorum locis traditur, ex antiquo illo *deductionum* tempore transmissum ac postea conseruatum, quam a Iurisconsultis nostris, obsoleta dedu-

70) L. 12. §. 1. De A. v. A. P. *(Ulpianus)* « Nihil commune habet « proprietas cum possessione: et « ideo non denegatur ei inter- « dictum *Uti possidetis*, qui coe- « pit rem uindicare: non enim « uidetur possessioni renunciasse « qui rem uindicauit. » Quo de fragmento tractat *Sauinius*, Bes. §. 6. p. 39. §. 32. p. 422. §. 36. p. 469. Conf. L. 18. §. 1. De ui. *(Papinianus)* « Eum, qui fundum « uindicauit ab eo, cum quo in- « terdicto *Unde ui* potuit experiri, « pendente iudicio nihilominus « interdicto recte agere placuit. »

Deductio quae moribus fit.

ctione, recens inuentum introductumque esse — paullo facilius intelligitur, quomodo *Tullius* ausus sit de possessione *Caecinae* affirmare, quamuis ipse narrasset, *Caecinam* deducendum sese *Aebutio* obtulisse.

Admonendi denique sumus, bis oratorem in commemoranda illa deductione curare, ut, quod *Caecina* de ea re cum *Aebutio* tunc constituit, sciatur, *adhibitis amicis* ac *de eorum sententia* constituisse; altero autem loco etiam ipsam *C. Aquillii* auctoritatem adiicere [71]). Quae res nescio an uires addat coniecturae iam ex illis, quae de *deductionis* natura nos disputauimus, oriundae, uidelicet *Pisonem* aduersarium ex illo facto arma sibi contra *Caecinam* parasse. Quid enim, si reapse sic arguisset:

Tu si fundum possidebas, cur ipse uoluisti ab Aebutio deduci eaque ratione actoris partes suscipere? cur non ultro deducturum te Aebutium professus es eidemque uadimonium promissurum? Quum illud commisisti, nonne confessus es, Aebutium non te possidere?

Huic uero obiectioni *Caecinae* nomine orator, uitioso quidem ratiocinandi genere, at uel hodie uulgatissimo, sic uidetur occurrere:

Consulto id feci, quinetiam de probatissimi iurisconsulti sententia. Non potui igitur, quum id feci, iuri meo nocere.

71) c. 7. «placuit *Caecinae*, de «*amicorum sententia*, constituere, «quo die in rem praesentem ueni«retur, et de fundo *Caecina* mo«ribus deduceretur. Colloquun«tur. Dies ex utriusque commo«do sumitur. Caecina cum ami«cis ad diem uenit in castellum «*Axiam*» rel. Conf. c. 32. uerbis supra p. 366. prolatis.

Deductio quae moribus fit.

Ad quae promptissimum profecto fuit sic respondere:

Tu uero nihil iuri tuo possessionine nocuisti neque derogasti; illud tamen ultro declarasti, nullam esse tuam possessionem: quod ut illo facto declarares, etiam summus, quem dicis, iurisconsultus facili negotio auctor tibi fieri potuit, si ipsi uidebatur, id quod nos quoque contendimus, possessoris locum obtinere te nullo modo nulloque iudice posse, nihil igitur te amissurum, si ultro concederes possessionem Aebutio, partesque actoris in te reciperes.

Atque haec hactenus. Satis autem, ut opinor, iam perspicuum est, *constitutam* istam *deductionem* haud magis quam *denunciationem* uel *Caesenniae usumfructum locationemue* ad coarguendam *Caecinae possessionem* ualere, denique reuera *Caecinam fundum non possedisse.* Nec temere *Saninius* monuit, non solere *Tullium* bonas solidasque, quas in caussa haberet, defensiones adeo paucissimis uerbis et quasi in transitu proferre, neque, ut ita dicam, in extremo quodam orationis angulo abscondere [72]).

Caeterum qui his nostris diebus *Caecinae* caussam hac parte nouis quibusdam argumentis defendere uoluerunt; qualia sunt, *haud magis Aebutium quam Caecinam de sua possessione docuisse; uerisimile esse, Aebutium Caesenniae non sibi emisse*, et id

72) *Besitz* §. 40. p. 511. — Conferantur quae de hoc *Tullii* more ad *Quinctianam* supra scripsimus p. 180. seq.

genus similia [73]): nihil aliud mihi probauerunt nisi forte hoc, nescire se, quid intersit inter *possessionem* ac *proprietatem*, quinetiam, quid intersit inter *actorem eumque quicum agitur*, et quaedam alia, ad interpretandas orationes de caussis priuatis ciuilique iure habitas perquam necessaria. Deductio quae moribus fit.

73) *Iordan* l. l. p. 6—8. *Klotz* in Annotatione p. 459—62.

§. 5.

De Aebutii defensione Non deieci sed obstiti.

Non possedit *Caecina*, sed in iudicium non uenit, possederit necne. Salua igitur etiamnunc caussa eius esse potest. Quid autem, quod acerrime contendisse *Pisonem* apparet, *Caecinam*, quum uim illam pateretur, *in fundo non fuisse; multum interesse, eiiciatur aliquis unde esset*, an *accedere et intrare prohibeatur;* non uideri *deiectum* qui prohibitus sit, denique nisi qui deiectus uere dici possit, nemini comparatum esse hoc interdictum [1]?

Ciceronis oppugnatio

Hanc defensionem *Tullius* ita pro ieiuna calumnia improbaque uerborum cauillatione exagitauit et summopere se contemnere professus est, ut dignam tamen iudicaret, in qua refellenda dimidiam fere orationis partem impenderet [2].

Fidem fecit nostratibus, mirari solent, tam longum hoc loco oratorem fuisse. Nihil repugno, falsam esse istam defensionem, si de eo iure quaeratur, quo non

1) Vide c. 11, 31. c. 13, 36. extr. c. 14, 39. c. 17, 49. c. 23, 64. 66.

2) Praeter loca modo in nota 1. allata huc pertinent etiam c. 13, 38. c. 17, 50. c. 18—22. c. 23—31, 89. Nam etiam quae de *sententia* aut *uerbis* in interpretando sequendis, de reliquarum interdicti partium et conceptione et intellectu, de Iurisconsultorum auctoritate et de iuris ciuilis praestantia, de genuino ueroque sensu uocabulorum Unde et eo et q. g. a. disputantur, ea omnia ipsam hanc *Pisonis* defensionem, in qua nunc uersamur, spectant.

modo *interdicto uincere* sed ne *deiici* quidem potest, qui non possederit. Ipse supra in adumbrando illo iure, quod *Gaii*, *Ulpiani* caeterorumque Iurisconsultorum nostrorum aetate obtinuerit, negaui quicquam interesse, eiectus detrususque sit possessor an intrare quum uellet prohibitus [3]). Ciceronis oppugnatio.

Verumenimuero quo iure tum utebantur, quum haec inter *Caecinam* et *Aebutium* caussa ageretur [4]), talem aestimo hanc *Pisonis* defensionem fuisse, ut aut hac aut alia nulla *Caecina* uinceretur. Quamobrem nihil antiquius nobis erit, quam ut diligentissime, quid ualeat ea defensio, exploremus.

Quo loco *Tullius* refutandi caussa cum alia multa tum haec protulit [5]):

» Nondum de *Caecinae* caussa disputo, nondum de » iure possessionis nostrae loquor: tantum de tua de- » fensione, *C. Piso*, queror. Quando ita dicis et ita » constituis: Si Caecina, quum in fundo esset, inde » deiectus esset, tum per hoc interdictum eum re- » stitui oportuisse: nunc uero deiectum nullo modo » esse inde, ubi non fuerit; hoc inderdicto nihil » nos assecutos esse: quaero, si te hodie domum » tuam redeuntem coacti homines et armati non » modo limine tectoque aedium tuarum, sed primo » aditu uestibuloque prohibuerint, quid acturus sis.«

Quid putabimus habuisse *Pisonem*, quod ad haec responderet? Pisonis confirmatio

3) supra p. 318. ibique nota 46.

4) Tenendum est, quod antea cognouimus, in hoc interdicto in iudicium non uenisse, *possedisset actor necne*. Vide supra p. 326. et p. 337. seq.

5) cap. 12.

Pisonis confirmatio.

Agam equidem (sic mihi uideor eum audire uerba facientem), *quum illud, quod dicis, mihi acciderit, interdicto de ui hominibus coactis armatisue, ac confido, eodem iure eodemque interdicto me uicturum esse restitutumque iri, quo te nunc in hac Caecinae caussa nihil egisse nec assequi quicquam oportere defendo. Fingis me domum meam redeuntem coactis armatisue hominibus ab aliquo prohiberi ne intrem. Quid postea? Tu uero quamuis acerrimus Caecinae defensor non adeo inhumanus es, ut neges non modo meam domum — meam esse, uerum etiam a me possideri. At Caecina fundum, de quo agitur, nec possedit, nec probauit suum esse. Concedo tibi, qui fundum aedesue possederit, si ui hominibus armatis intrare fuerit prohibitus, eum perinde restitui hoc interdicto oportere ac si eiectus tum fuerit, quum corpore suo ibi esset. Nobis autem, sicut antea dixi, cum eo res est, qui, quum prohiberetur, non possedit.*

Iam quaeso mihi quoque per te liceat exemplum confingere, in quo uideamus, ne ipse tu ultro mihi concedas, eorum caussa, qui non possederint, utile esse aliquando, quinetiam necessarium, spectare, eiecti sint inde, ubi fuerint, an prohibiti quo uellent accedere.

Age igitur fac te ipsum, M. Tulli, quum in fundo tuo esses, eumque tam corpore quam animo, nemine contradicente, possideres, adspicere aliquem peregre aduenientem, qui in omni hac terra et regione numquam antea fuisset, nec negotii quic-

quam ibi habuisset; fac, quaeso, ei homini, quum appropinquaret, siue solus siue cum aliis hominibus, siue armatus siue inermis, introitum sibi aut petiturus aut expugnaturus, te quam efficacissime posses, quinetiam ui hominibus coactis armatisue, ne ingrediatur, obsistere, eumque prohibere atque a finibus tuis arcere: num omnium mortalium quemquam, siue peritum iuris siue imperitum, putas, aduenae illi, ut interdicto hoc agat, eaque actione in possessionem fundi tui restitui se oportere contendat, auctorem probatoremque esse futurum? Pisonis confirmatio.

Valet igitur aliquando tamen aliquid, quod adeo spernere te atque abhorrere simulas, illud, quod defendere equidem perseuero, Non deieci sed obstiti. Tu dicas licet, nihil referre in eo qui possedit. Fateor. Clamas, non utique quaeri in hoc interdicto, possederit actor necne. Non repugno. Verumtamen illud concedas mihi necesse est, non omnes, qui neque possederint, neque, quum uim paterentur, uel umquam antea, in fundo fuerint, interdicto de ui hominibus coactis armatisue uincere posse.

Quid ergo est? Placet tibi exempla confingere a caussa, qua de agitur, remotissima? Tu uinces profecto, possessorem restitui oportere siue prohibitum armis siue deiectum. Ego plus etiam tibi largior, restitui illum quoque oportere, qui non possederit, si in fundo tamen, quum uis fieret, tum fuerit: in hoc satisfacio interdicti formulae, quae non habet uulgarem exceptionem Cum ille

Pisonis confirmatio

POSSIDERET. *Verum illud mihi assumo omnibusque probabo, eorum, qui non possideant, esse tamen quosdam, qui, etiamsi intrare fundum uel armis prohibeantur, nihil hoc interdicto assequi potuerint.*

At Caecinam non possedisse perspicuum est. Ergo quas inuicem proposuimus fictiones, utra huic caussae accommodatior atque ad probandum efficacior erit?

Tenendi et quasi tenendi gradus

Ac tali fere modo *Pisonem* reuera arguisse, partim res ipsa fert, partim aliquot in *Tullii* oratione uestigia qualicunque modo demonstrare uidentur [6]. Neque ab–

6) c. 31. «Exoritur hic iam, «obrutis rebus omnibus ac per«ditis, illa defensio, eum deiici «posse, qui tum possideat; qui «non possideat, nullo modo pos«se . . . Numera, quam multa «in ista defensione falsa sint, «Piso. Ac primum illud attende, «te iam ex illa ratione esse depul«sum, quod negabas quemquam «deiici posse, nisi inde ubi tum «esset: iam posse concedis; eum, «qui non possideat, negas deiici «posse.» — Mos est *Tullii*, aduersariorum argumenta, ualidiora praesertim, quo facilius refellat, statim a principio deformata et quodammodo debilitata proponere. Itaque quo magis hoc loco laborat, ut *Pisonis* illa *Non possedit Caecina* et *Non deieci sed obstiti* diuellat, et, quasi separatim utrumque Piso protulerit, singula separataque refutet, eo uerisimilius efficitur, tali modo coniuncta fuisse a *Pisone*, ut *alterutrum*, aut *possedisse*, quum quis deiiceretur, aut *in fundo fuisse*, sed *non simul utrumque* exigeret. Quae res etiam necessitatem uidetur *Tullio* imposuisse, ut in d. c. 31. ab illa *Pisonis* defensione statim ad *possessionis* quaestionem transiret. In ea uero tractanda quum *Pisonis* defensionem his uerbis interpretetur, «itaque si ego sim *a* tuis aedi«bus deiectus, restitui non opor«tere, *si ipse sis* (scil. *a* tuis aedibus deiectus) «oportere»; luculenter, opinor, apparet, adeo distincte *Pisonem* statuisse, in eo, qui possideret, nihil interesse, *deiiceretur* an *prohiberetur*, ut sine summa eaque perspicua ac manifesta calumnia hoc

surdum, mea quidem sententia, arguendi genus. Nostrum autem erit, oppositas illas caussarum exemplorumque figuras iterum sub oculos ponere, et qui ita fuerint armis prohibiti, alteri, h. e. *possessori*, quam uere, alteri, h. e. *aduenae illi*, quam falso interdictum tribuatur, apud animum reuoluere; deinde illum quasi campum, inter has ueri falsique extremitates in medio situm, summo cum studio et opera dimetiri, fines regere, terminos ponere, et, ut ita dicam, regionibus diuisum repraesentare: postremo tandem *Caecinae* caussam, utra in parte inueniatur, obseruare. Tenendi et quasi tenendi gradus.

At enim hoc loco *Sauinius* nobis praesto est, qui moneat, iam antea frustra nos in hac caussa quaesiuisse, necessaria necne fuisset ad uincendum possessio *Caecinae*, quippe qui uincere interdicto nullo modo potuerit, propterea quod non solum non *possedisset*, sed ne *naturaliter* quidem, ad instar *coloni* et q. g. a., *tenuisset*[7]). Non detinuit Caecina.

saltem loco illam quasi *occultam confessionem Tullius* enitare non posset. — Adde quae in c. 17. habentur haecce: «Iam uim factam «negare non potes: deiectus «quemadmodum sit qui non ac«cesserit, id quaeritur; demo«ueri enim et depelli de loco «necesse est eum, qui deiicia«tur; id autem accidere ei qui «potest, qui omnino in eo loco, «unde se deiectum esse dicit, «*numquam fuit?*» — Unde haud temere colligere mihi uideor, non in illo solo commoratum esse *Pisonem*, quod negaret, *Caecinam*, quum uim pateretur, fundum corpore suo tenuisse, uerum etiam *ex* eo arguisse, *quod nunquam antea tenuisset*. — Caeterum quae prima adscripsi (p. 377.) *Tullii* uerba «Nondum ... que«ror», ad orandi institutum magis quam ad interdicti rationem caussaeue ius pertinentia, ea consulto hic praetermisi. Tractabuntur infra §. 7. sub loco tertio.

7) Vide supra p. 338. not. 31.

Non detinuit Caecina.

Quid ad hoc dicemus? Re uerissimum esse, ratione infirmissimum.

Non tenuit *Caecina* fundum, ne naturaliter quidem. Sed quis nobis est auctor, hac *Ciceronis* aetate, qui nec possedisset fundum nec *tenuisset* (quae huius uerbi uis apud *Gaium*, *Ulpianum* eiusque aeui Iurisconsultos fuit) eum interdicto de ui armata uincere nunquam potuisse?

Quo tempore hi florebant, hoc interdictum ad instar caeterorum, quae possessionis siue retinendae siue recuperandae caussa comparata sunt, uere *possessorium* fuit effectum, hoc est, possessionis necessitate in actore, quum deiiceretur, circumscriptum: qui tantum non uere possiderent, ii omnes sine ulla exceptione omni illorum interdictorum iure caruerunt [8]. Iam *iusto possessori* inter omnes, qui non possident, proximus sane est qui *naturaliter* rem, de qua agitur, *tenet*, qui corpore suo in fundo est, atque a possessore nulla re differt nisi quod animum possidendi non habet. Cui quum haud secus quam caeteris omne interdictorum ius denegaretur, quid tunc attinuit in iure caeteros, qui ne tenerent quidem, sed etiam laxiori quodam uinculo habituue fundum attingerent, non modo gradibus, generibus, nominibus, ratione distinguere ac describere, uerum etiam omnino respicere? Nihil iuris est ei, qui tenet: quid refert quaerere, qui iuris gradus sint eorum, qui aut deteriore aut ad summum eodem iure omnes censeantur necesse est?

Haec igitur caussa fuit, cur illi Iurisconsulti nostri

8) Qua de re supra diximus p. 339.

in recensendis gradibus generibusque possessionis earumque rerum, quae instar habent possessionis, infra naturalem possessionem detentionemue numquam descenderunt. Non detinuit Caecina.

Sed omnis haec caussa aliena fuit, non dicam *Ciceronis aetate*, at *interdicto de ui hominibus coactis armatisue*, quo iure tunc constitutum fuit. Quo in interdicto quum *possedisse actorem* non requireretur, necessario quaestio oriebatur, *quousque* tandem hoc interdictum non possidenti competeret, siue quid iusta quidem possessione deterius, at aduenae illius habitu tamen melius firmiusque, ad huius interdicti ius ac commodum comparandum satis esset.

Ex quo quum efficiatur, nihil esse, cur a proposito depelli nos sinamus, age uideamus, secundum *possidentes* aut *naturaliter tenentes* quae genera ac gradus fuerint eorum, qui, tametsi a Iurisconsultis nostris nec possidere nec naturaliter tenere dicuntur, tamen, quo tempore caussa haec acta est, eo loco haberentur, ut, ui hominibus coactis armatisue detrusi prohibitiue an hoc interdicto restituendi essent, quaeri saltem posset. Tenendi et quasi tenendi gradus.

Primum igitur, quemadmodum, qui fundum possidet, animo continuat possessionem, etiamsi colono aut alii eum tradiderit, qui deinceps eius nomine tenet; quaeri potest, huius interdicti ius an continuetur ei, qui numquam possedit, sed naturaliter tantum tenuit, si ipse quoque corpore suo de fundo ita cesserit, ut eodem modo alium uice sua substitueret, ueluti colonus

Tenendi et quasi tenendi gradus.

aut inquilinus, qui rem rursus alteri locauerit atque habitandam fruendamue tradiderit.

Quid porro si *colonus* ille uel *inquilinus*, uel etiam *usufructuarius* (nam eum quoque hoc loco addere per me licet), qui fundum aedesue alii locauerat et tradiderat, diem obierit heredemque reliquerit, quo iure eiusmodi *heres* ad hoc interdictum censebitur? Quippe in hoc, si de *iure*, de *possessione*, de *detentione* fundi quaeras, nihil inuenies: quod si adeo *simulacrum* iuris ac possessionis et quasi *umbram* circumspicias, illud deprehendes, locationis ius ad heredem transiisse, atque inde caussam quandam, an occasionem dicam, fundi ingrediendi, inspiciendi, coloni ibi conueniendi, aut si discesserit, culturae condicionisque examinandae, et si quae alia sunt eiusmodi, ei esse quaesitam.

E quo figurae gradu si pedem protuleris, continuo ad aduenae istius genus ceterorumque, quos nulla antea ratione fundus attigerit, peruenisse te senties.

Vetus interdicti ius.

Iam quos enumerauimus omnes, qui nec possiderent nec naturaliter tenerent, si, postenquam quouis modo in fundum aedesue uenissent, fuerint ui hominibus armatis coactisue eiecti; uerba interdicti nullo dubio efficere uidebantur, ut restitui eos oporteret. Et ita in prima interdicti seueritate etiam obtinuit.

Incommoda.

Atqui hoc ius tale fuit, ut post breue tempus difficultates et incommoda necessario emergerent. Ut ecce haud facile saepe fuit, eum, qui nec possedisset nec detinuisset, in eundem statum restituere quo fuisset, nec ualde conuenlens uideri potuit, *in ueram*

possessionem eum restitui, ut longe meliore condicione esset ex restitutione quam ante deiectionem fuisset [9]). Veteris iuris incommoda

Qualis autem haec fuit in *restituendo* difficultas, talem, nec sane minorem, puto fuisse in aestimatione illa *Quanti ea res esset*, ubi ad condemnationem res peruenisset [10]).

Accessit illud quoque incommodi, quod in hoc interdicti iure ex eadem deiectione pluribus saepe personis interdictum competeret, neque semper adeo expeditum esset, quemadmodum restituendus unusquisque et quanti aduersarius ei condemnandus esset.

Atque illae difficultates in eo, qui, quum uis fieret, corpore suo in fundo non fuit, sed prohibitus tantum, quum intrare ueliet, armis fuit, etiam grauiores molestioresque existebant, tantoque magis erant perspicuae, quanto leuiori condicione ac solutiori uinculo is, qui uim passus esset, fundum antea tenuerat. Nam de eo, qui uere possedisset, in omni interdicto de ui semper exploratum fuit, nihil interesse, *eiiceretur* quum in

9) Grauissimo exemplo est *ipse Caecina*. Qui tametsi ne fuerat quidem in fundo, nedum possederat, quum deiiceretur, tamen nullo dubio eo iure habitus est, ut, si ea sponsione caussaque uicisset, in ueram iustamque possessionem, quam numquam antea habuit, ab *Aebutio* restituendus esset. Videatur c. 27. «In «hac ipsa caussa . . . , si hoc nos «non obtinebimus, ui armatis «hominibus deiectum esse eum, «quem ui armatis hominibus pulsum fugatumque esse constet: «*Caecina* rem non amittet . . . ; «*in possessionem in praesentia* «*non restituetur;* nihil amplius» rei. — c. 3. *extr.* «. . . quum «uideatis nihil aliud actum nisi «possessionem per interdictum «esse repetitam?» — et q. g. a.

10) Verissime *Sauinius* docuit, aestimationem illam multo magis ad ipsius rei uerum pretium, quam ad id quod interesset, *a Veteribus* esse relatam. Syst. d. heut. R. R. Tom. V. Beil. XII., praesertim p. 445. seq. p. 443.

Veteris iuris incommoda.

fundo esset, an *prohiberetur* quum eo uellet accedere. Neque ualde, puto, post constitutum *de ui armata* nouum hoc interdictum, de eo, qui ante deiectionem naturaliter fundum tenuisset, ambigebatur, quin restituendus esset, siue *eiectus* armis siue *prohibitus*.

At in caeteris, qui pro supradictorum graduum progressione, priusquam uim paterentur, *iuris*, *possessionis*, *detentionis* seu quod earum rerum simile esset, aut minimum aut adeo nihil habuerant, quod ratione concipi ac certis uerbis describi recte posset; tunc profecto primum, necesse est, restituendi iustam moram ac religionem iniectam esse iudicantibus, quum ita uim passi essent, ut ne quod facti esset quidem quicquam, quod tunc habuissent, amitterent, sed quo accedere demum uellent, eo non admitterentur, seu, quod tantundem ualet, ut non eiicerentur inde, ubi essent, sed prohiberentur tantum inde, quo uellent accedere.

Hoc loco primum peritiores, ut opinor, perspexerunt, si uim armatam oporteret interdicto restitutorio coerceri, parum conueniens esse, arma solum ac peculiare uiolentiae genus et figuram spectare; immo, ubi *de restituendo* agitur, etiam quid ante actor *habuerit*, quid per illam uim *amiserit*, quid *restitui ei* aequum sit, considerari oportere: quodsi ciusmodi nihil inueniretur, aut satis certi et in iure conspicui nihil, tunc uero ratissimum esse, *poenam publice exigere*, *interdictum restitutorium*, *quo priuatus experiretur*, *prorsus missum facere*.

Veteris iuris emendatio

Talis autem, ut opinor, caussa fuit, cur non *Piso* solus, quum *Aebutii* caussam contra *Caecinam* ageret,

sed alii quoque, iuri potius ac ueritati quam certae alicui caussae consulentes, in dies magis studerent modum imponere illi interdicto ac certos quosdam fines circumducere, aliquanto quidem uerbis formulae angustiores, at iuris solidae rationi, aequitatis praeceptis communique utilitati aptiores: tantum abfuit, ut mera calumnia uerborumque aucupio, repugnante ui ac sententia iuris et interdicti, *Piso* caussam defenderet, qui, praeeuntibus fortasse grauibus auctoribus, negaret interdictum tenere, nisi actor, quum uis fieret, aut possedisset aut corpore suo in fundo aedibusue fuisset. Immo, ut uerum fatear, sic existimo, *Ciceronem* potius *a uerbis* interdicti arguisse, *Pisonem* uero aequitatis praecepta, subliniiorem subtilioremque iuris rationem atque utilem et in commune commodum interdicti intellectum auxilio uocasse. Veteris iuris emendatio

Quid multa? ita uidetur hic modum interdicto imposuisse, ut modeste ac pudenter eam uiam iniret, quam deinceps Iurisconsulti in dies magis sectantes breui, puto, eo peruenerunt, ubi nostros, quorum fragmenta in *Digestis* habemus, iam ualide consistere animaduertimus, uidelicet ut intelligerent statuerentque, iusta aequaue ratione illius interdicti ius expediri non posse, nisi iis, qui uere possedissent, totum reseruaretur, ad eamque rem seuerius hoc *de ui hominibus coactis armatisue facta* interdictum uetusto illi ac quotidiano de ui interdicto penitus exaequaretur [11].

11) Vide supra §. 3. p. 339. — Hoc loco *Garatonius* (ad c. 13.), quamuis nimius alias in hac caussa *Tullii* sectator, *Hotomanum* monentem, hoc ipsum *Ulpiani* tempore sine controuersia fuisse, ut dominus quidem (*possessorem* dixerit) at alius nemo tam *prohi-*

Veteris iuris emendatio.

Quae noua iuris ratio quemadmodum etiam nouam uerbi *Deiicere* interpretationem, deinde in breuius contractam uulgaris interdicti conceptionem genuerit, supra latius a nobis expositum est [12]).

Omnis denique illa iuris mutatio tanto facilius processit, quanto magis, firmatis imperii uiribus, et republica ad unius dominationem redacta, priuatorum licentia atque ad arma capessenda propensio, ualidis alias frenis iniectis, euanuerat [13]).

Sed ut ad caussam propositam uariosque illos te-

bitus quam *eiectus* restitueretur, merito reprebendit, atque ex animi mei sensu reponit: «Quid «*Ulpianus ad M. Tullium? Haec* «*ipsa oratio caussas perdocet*, «*quae certum postea ius istud* «*reddiderint.*»

12) §. 2. p. 311. seqq. §. 3. p. 333. seqq. — Animaduertendum quam prorsus *Ulpianus* in L. 1. §. 23. De ui, et in *Vatic. Fragm.* §. 91. in definienda uerbi *Deiicere* ui secutus sit uestigia *Pisonis*, quem asperrime *Tullius* exagitat, quod dixerit, *eum deiici posse*, *qui tum possideret*, *qui non possideret*, *nullo modo posse.* Conf. c. 32., uerbis supra p. 295. exhibitis. Dictorum autem §§. 23. et 91. uerba ecce supra p. 313. not. 35.

13) Adhibeas *Crameri* notam ad orationem *pro Tullio* (Ed. Kiliae 1816.) p. 68. — De reliquo uidendum, ne adeo in *Digestis* uestigia quaedam deteriorum illorum *tenendi* uel *quasi tenendi* graduum, denique pristini illius rigoris, tum fluctuationis, quae secuta est, ac progressionis conseruata sint, ueluti in L. 41. De A. v. A. P. *(Paullus)* «Qui iure «familiaritatis amici fundum in«greditur, non uidetur posside«re; quia non eo animo ingres«sus est, ut possideat, licet cor«pore in fundo sit.» L. 1. §. 26. De ui. «Eum, qui neque animo «neque corpore possidebat, in«gredi autem et incipere possi«dere prohibeatur, non uideri «deiectum, uerius est; deiicitur «enim, qui amittit possessionem, «non qui non accipitur.» L. 3. §. 23. De A. v. A. P. (Verba uide supra p. 71. not. 5.) L. 4. §. 28. De usurp. et usuc. *(Paullus)* «Item si occupaueris uacuam «possessionem, deinde uenien«tem dominum prohibueris: non «uideberis ui possedisse.» Adde L. 18. §. 15. De dam. infe.

nendi aut quasi tenendi gradus reuertamur, quem locum dicemus *Caecinam*, priusquam a fundo repelleretur, obtinuisse? Quo gradu Caecina fuerit.

Videlicet constat, neque possedisse eum neque in fundo fuisse. Ne multa, *heres fuit usufructuariae eiusdemque locatricis Caeseniae.* Itaque infimo illo gradu constitutus fuit, eoque uno *aduenam* istum caeterosque, qui nulla umquam ratione fundum attigissent, antecessit.

Quid mirum igitur, *Pisonem* summis uiribus ad modum supradictum oppugnasse interdictum? Rationis conclusio

E contrario neminem praeterire debet, paucis annis ante quam haec caussa acta est, primum nouam eam interdicti formam excogitatam constitutamque fuisse [14]; *Aebutium* igitur in recentem summamque eius iuris seueritatem incidisse.

Recens erat memoria licentiae illius ex bellis ciuilibus oriundae, qua armis, qui modo possent, quam iure decertare mallent; recens odium malae eius consuetudinis, quae non solum ad res priuatorum, sed ad summam rempublicam pertinere merito uisa est.

Ea caussa fuerat noui huius interdicti constituendi, quo certam seueramque armorum poenam, praeterea nihil, comparare uoluerant; illud plane neglexerant, certum quemdam restituendi aestimandique modum definire aut curiose cauere, ne, qui uim armatam passus esset, in meliorem aliquando condicionem, quam antea fuisset, restitueretur. Denique antiquius uisum est, certa seueraque poena, qui armis usus esset, affici, quam

14) Vide supra p. 324. et p. 327. not. 6.

Rationis conclusio.

exactissimam detrimenti, quod aduersarius passus esset, rationem aestimationemque institui.

Ut in pauca conferam, non illud egerant, ut certum quemdam possidendi tenendiue modum, ad obrussam exactum, tuerentur interdictoque munirent, qui, si turbatus esset, in eundem plane statum restitui posset, sed uim, quae ad caput et uitam pertineret, *possessione mulctari* uoluerant [15].

Quare qui pristinam illam ac paene coecam interdicti seueritatem, nondum ratione experientiaque temperatam, sequeretur, haud nimium sit mirandum, si uel *aduenam* istum, quem finximus armis esse repulsum, in fundi possessionem restituendum censuerit.

Quodsi praeterea *Caecinae* caussa, id quod satis est credibile, aequitatem quandam habere uideretur, quia forte, quae de emptione fundi *Cicero* narrat, opinione hominum plus quam legitimis probationibus ad capiendos recuperatorum animos ualerent; tum quia fortasse *Aebutius* fundi possessionem, ex morte *Caesenniae* quasi uacuam suspensamque, auide magis et callide quam honeste occupasset, atque *Caecinam*, heredem possessoremque bonorum, paucis diebus praeuenisset: — facili hercle negotio saluaque recuperatorum et religione et fama, quod tum interdicti ius obtinebat, fieri potuit, ut probabilem atque adeo iustam caussam *Caecina* habere uideretur: quamquam illi minime sunt stultitiae damnandi, qui bis prius dubitauerunt quam secundum *Caecinam* iudicarent.

15) Conf. *Brakenhoeft* de tribus uitiis possessionis, in Archiv. f. d. ciuil. Prax. T. XXIV. p. 204. seq.

Quippe eam caussam, dummodo hac parte probaretur, alia nulla magnopere laborasse, partim docuisse mihi uideor, partim inferius apparebit. Rationis conclusio.

Superiorem autem discessisse *Caecinam*, certum quidem auctorem nullum habet, at eadem illa ratione, quam in *Quinctiana* demonstraui [16], credibile est et a nostratibus plerisque semper creditum.

Nunc posteaquam illam defensionem *Non deieci sed obstiti*, quo iure fuerit, perpendimus, superest duplex quaedam consideratio, quae partim ad *rem gestam* pertinet, partim in *uerbis quibusdam* orationis certorumque locorum lectione examinanda constituendaque uersatur. Accessoria quaestio duplex

Quid enim? Si *Aebutius*, quemadmodum supra docuimus, fundum nemine contradicente tum possidebat, quae caussa ei fuit, cur *Caecinam* cum aduocatione amicorum *ad ius celebrandum*, h. e. ut ab *Aebutio* moribus deduceretur, ex constituto aduenientem tanta cura adeoque summis uiribus fundum intrare prohiberet, eumque ui hominibus coactis armatisque depelleret, auerteret, fugaret? Cur repulerit Caecinam Aebutius.

Cuius rei fateor equidem difficile esse iustam plenamque reddere rationem, quum praesertim ab una tantum parte rem narratam acceperimus. Itaque nihil affirmabo, sed iuuat quaerere tamen ac comminisci, quid potuerit mouere *Aebutium* atque impellere.

Primo igitur loco haud inepte dixerit aliquis, moram quaesiuisse *Aebutium*, conscium fuisse, illam

16) Vide supra p. 168. ibique notam 49.

Cur repulerit Caecinam Aebutius

fundi controuersiam praegressuram esse familiae herciscundae iudicio, et praeiudicialem certa quadam parte futuram; simul magnopere interesse *Caecinae*, ut hereditatis diuisio de eaque arbitrium quam maturissime procederet: at *deductione* retardata uadimonii promissionem differri [17]; inde moram parari ipsi de fundo iudicio, quo peracto demum *Caecina* saluo iure suo familiae herciscundae arbitrium prosequi posset [18].

Sed magis mihi placet quod *Hotomanus* existimauit, *Caecinam* per speciem deductionis celebrandae ultro uim *Aebutio* illaturum et siue deiecturum hunc, siue in communem tamen fundi possessionem intrusurum se fuisse [19]; huic autem incepto *Aebutium* ui et armis se opposuisse [20].

Qua in re quam maxime consideranda erunt, quae *Aebutii* testibus a *Tullio* tribuuntur [21]. Etenim parum credibile est, tam stultum fuisse *Aebutium*, ut eos praecipue testes produceret, qui, praeterquam quod e re aduersarii esset, nihil ferme dicerent. Qui quum uim armatam ingenue fateantur ab *Aebutio*, partim

17) Vide supra p. 370.

18) Vide supra p. 361. 363. seq., ubi, quale huic quoque agendi consilio periculum, quamquam facilius quidem fortasse ad euitandum, adesset, demonstraui.

19) Videsis quae paullo antea p. 390. indicaui.

20) Occurrit haec sententia *Hotomani* in adnotatione ad c. 9. v^is. *In eas ipsas res* rel., et ad c. 10. extr. v^is. *Intelligere praeclare quid caussa* rel., et ad c. 11. v^is. *Non deieci sed obstiti.* — Sed hoc loco *Garatonius*, propter nimiam *Ciceronis* uenerationem, in *Hotomanum* iracundius paene quam natura tulit, inuectus est. Nam post alia multa, «Vide, «inquit, quaeso, quam solide «ibi (in c. 31.) hoc refellatur, «ut plane intelligas, quid agat «*Hotomanus*, dum fauet *Aebu*«*tio*, et oratorem maximum ac «prudentissimum criminatur.» — Caeteroquin *Klotzius* ad c. 9. *Hotomanum* secutus est.

21) capp. 9. et 10.

sua quoque opera, adhibitam esse; necessario paene consequens est, eosdem *caussam* quoque eius rei, siue iustam siue cui iustae tamen species aliqua esset, in medium protulisse. Hanc uero in testimoniis illis recensendis adeo *Tullius* silentio praeteriit, ut coniectura illa aliquantum uirium inde capiat. Et tametsi haud inepte obiici potest, si illa quoque uis uerbis *Non deieci sed obstiti* inesset, parum copiosam hac saltem parte *Tullii* defensionem apparere, animaduertere tamen conuenit, non plane in proposita oratione deesse, quae eo referri uideantur; ut ecce quod uehementer urget orator *L. Caelii* testis dictum, « non solum *Aebutium* cum armatis fuisse compluribus, *uerum* « *etiam cum aduocatis perpaucis eo uenisse Caecinam* »; item *A.* et *L. Atiliorum* ac *P. Rutilii*, « quum « *Aebutius Caecinae* malum minaretur, *ibi tum Caecinam postulasse*, *ut moribus deductio fieret.* » Quo loco obiter admonebo, *Pisonem* fortasse illud retulisse, *Caecinam* non prius ita postulasse quam intellexerit, se illud, quod maxime ueliet, uidelicet ut possessionem fundi apprehenderet, assequi nullo modo posse. Cur repulerit Caecinam Aebutius

Sed haec incertissima sunt.

Nunc pertractata sententia et iure illius defensionis *Non deieci sed obstiti*, iuuat etiam uerba quaedam, quae ad eandem pertinent, exhibere ac critica ratione examinare.

Quippe in c. 13. orationis propositae eadem defensio hisce uerbis refertur: Lectio Eieci non deieci, et q. s. s.

« *Eieci* ego te armatis hominibus, non *deieci* »; rursus in c. 23.:

Lectio Eieci non deieci, et q. s. s.

«*Eiectus* es non *deiectus*»

et in c. 29.:

«Non *deieci* sed *eieci.*»

Qui si genuinus est *Ciceronis* sermo, necesse est statuamus, talem esse uerbi *Elicio* proprietatem, ut tantundem ualeat ac *Prohibeo*, *accedere non sino*, *obsisto*, et si quae cum in hac oratione tum alias inueniuntur similia; denique *deiici* eum a *Pisone* dici, qui *ex* eo loco, *in quo sit*, expellatur, *eiici* uero eum, qui *ab* eo loco, *quo ueniat*, depellatur atque intrare uel accedere prohibeatur.

Quae ne nimium cito iudicemus praepostera esse et intoleranda, prius fatebor, trium illorum locorum lectionem non *Editorum* solum, sed etiam *Codicum manuscriptorum*, quorum mihi quidem notitia est, summo consensu constare [22]), ne *Taurinensis* quidem *Palimpsesti* auctoritatem deesse, quippe in quo dicta uerba capitis 13. (nam caetera duo loca non extant) luculenter compareant [23]); denique *Rufinianum* eadem illa

22) Noli uarietatem lectionis qualemcunque inde inferre, quod *Kunissius* ille, qui, nescio quo animi errore, *M. Tullii* libros *de Oratore* edendos a se commentariisque illustrandos putauit, in adnotatione ad I, 55. p. 483. hunc *Pisonis* locum inuerso ordine sensuque commemorat, quasi *Piso* dixisset «*deiectus* es non *eiectus.*» Qui uidelicet etiam illustrandi huius loci caussa adiecerit, *accusatorem (Aebutium)* illud contendisse, ae propter eam *defendendi sui* rationem a *Cicerone* acriter esse reprehensum. Quid multa? *scripsit* homo, quum *legere* debuit. — De toto isto libro uerissime iudicauit *Ellendtius* in *Praefatione* ad nonam Editionem p. XVIII.

23) Vide *M. Tullii Ciceronis* Orationum *pro Scauro*, *pro Tullio* et *in Clodium* Fragmenta inedita etc., ed. *Amed. Peyron*, Stuttgardiae et Tubingae 1824. 4. p. 201. — Nuper ipse quoque Codicem inspexi.

uerba tamquam e d. capite 13. excerpta ad litteram nobis tradidisse [24]). Lectio Eieci non deieci, et q. g. s.

Quibus rebus omnibus si quis est, qui a coniecturis deterreri se non patiatur, angustissimo tamen angulo inclusum se sentiet propter haec uerba d. capitis 13., superioribus illis annexa:

« ut tantum facinus non in aequitate defensionis,
« sed *in una littera* latuisse uideatur. »

Quid igitur est? Quae adhuc attuli, ita mihi uidentur ad sustinendam lectionem uulgarem grauia esse, ut ueram tamen oratoris sententiam atque indolem Latini sermonis consuetudinemque in contrariam partem nullo dubio praeualere existimem.

Primo enim satis mihi persuasum est, in uniuersis bonorum scriptorum libris ne unum quidem locum extare, ubi inter uerba *deiicere* et *eiicere* aut inter particulas *de* et *ex*, siue nominibus praepositas siue uerbis praefixas, ratio illa, quam antea demonstraui, intercedat: non quo mihi arrogem, ut dicam, omnia me non legisse solum sed etiam memoria tenere; at non adducor ut credam, singularem illam uim particulae *ex* a Grammaticis omnibus (e quibus *Forcellinum* et *Handium* satis est nominasse) propter ignorantiam negligentiamue esse praetermissam.

Quod si mihi dicat aliquis, facile accidere, ut parum accurate etiam a bono auctore unum quoddam uocabulum eligatur; referam, haudquaquam familiarem inconsideratumque sermonem tribus illis locis contineri, immo in uerborum argutiis summaque tam dicendi quam

24) De figuris sententiarum et elocutionum. §. 6. *Ed. Frotscheri* p. 227. Varietatem lectionis nullam h. l. inueni.

Lectio Eieci non deieci, et q. s. s.

percipiendi subtilitate omnem illam disputationem uersari. Ea uero ratione qui egerit, qualem illarum particularum diuersitatem, a supradicta profecto alienissimam remotissimamque, sit inuenturus, ipse *Tullius* alio huius orationis loco [25]) hisce uerbis ostendit:

«Deiectus uero qui potest esse quisquam, nisi *in* «*inferiorem locum de superiore motus?* Potest «pulsus fugatus, *eiectus* denique: illud uero nullo «modo potest, *deiectus* esse quisquam, non modo «qui tactus non sit, sed ne *aequo* quidem et *plano* «loco.»

Quid quod in *cap.* 28. iuris quidam consultus dicitur respondisse, *non posse probari quemquam esse deiectum nisi* EX *eo loco, in quo fuerit*, nonne vel magis in uerbo *eiicere* ualebit?

Hoc amplius animaduertas, et hoc loco et passim eodem capite et ubique alias uerbo *deiicere*, ubi angustissimo illo *Pisonis* sensu usurpatur, locum, unde deiectus esse aliquis dicitur, cum praepositione *ex* constructum adiungi [26]).

Quid multa? Inspice quaeso totam illam disputationem, quae in capite 30. habetur [27]). Nonne luce

25) cap. 17. §. 50.

26) d. cap. 28. §. 80. «Quia «certe, inquit, deiectus est *Caecina* . . . aliquo *ex* loco; si non «*ex* eo loco, quem in locum uenire uoluit; at *ex* eo certe, unde «fugit.» — c. 29. §. 82. «Quaero abs te, simne deiectus non «*de* Fulciniano fundo: neque «enim Praetor, si *ex* eo fundo «essem deiectus, ita me restitui «iussit: . . . sum *ex* proximo uicini fundo deiectus . . . sum *de* «uia» rel. — §. 84. «si non «sum *ex* eo loco deiectus, quo «prohibitus sum accedere; at *ex* «eo sum deiectus, quo accessi, «unde fugi.»

27) §. 86. «. . . duo genera «caussarum esse intelligebant . . ., «unum si qui *ex* eo loco, *in* «*quo esset*, alterum, si *ab* eo

Lectio Eieci non deieci, et q. s. s.

clarius inde efficitur, tria fuisse uerba, *eiicere*, *deiicere*, *prohibere:* eorum *primum* ac *tertium* certa indubitataque fuisse ui ac potestate, ita inter se inuicem opposita, ut *eiici* e fundo aedibusue diceretur, qui, quum uim pateretur, ibi tum esset; contra qui in fundo aedibusue non esset, sed eo accedere et intrare tantum non sineretur, is non *eiici* sed *prohiberi* diceretur[28]): contra de uerbo *deiicere* controuersiam fuisse, utrum tantundem ualeret atque *eiicere*, id quod *Pisonem* defendisse *Cicero* affirmat[29]), an latius pateret in talem modum, ut duplicem illam diuersamque uim ac sententiam uerborum *eiicere* et *prohibere* amplecteretur unum ac comprehenderet; quod peracute *Cicero* defendit[30]).

« loco, qno ueniret, ui deiectus « esset.» §. 87. «Si qni meam « familiam *de* meo fundo deiece« rit, *ex* eo me loco deiecerit: si « qui . . . , me introire prohibue« rit, non *ex* eo sed *ab* eo loco « me deiecerit . . . . Hoc uer« bum, Unde, utrumque decla« rat: et *ex* quo loco et *a* quo « loco », et quae deinceps sequuntur similia.

28) *F. Handius* in *Tursellino* (Tom. II. p. 615.) significationem particulae *Ex* hisce nerbis definiuit: «Ex indicat exitum et dici« tur de omni re, quae *in ali« quo loco inerat et inde exit.* « Qnare contrarium est in. Hanc « nsro notionem proxime attingit « notio rei decedentis uel abeun« tis: qnamquam ex posito *sem« per praesumitur in aliquo loco « fuisss rem.*»

29) c. 11. 13. 14. 17. 23. 27—31. Vide supra h. §pho p. 376. seq. — Tenendnm etiam illnd, qnod supra (p. 307. ibique nota 27.) ostendi, Praetores olim tam uerbo *eiicere* quam nerbo *detrudere* in hoc interdicto uti solitos esse. Quod idcirco sensum uerbi *eiicere*, quem defendimns, magnopere confirmat, quoniam non est credibile, a *latiori* uerbo Praetores ad *angustius* processisse, quinetiam multo minns, antea teneri *eos* potissimum uoluisse, qui *prohibuissent*, postea demum eos, qui *deiecissent*, aut sensum nerbi *eiicere* breui tempore funditus mutatum fuisse.

30) Conf. etiam *Handii Tursel-*

Lectio Eieci non deieci, et q. s. s.

Quibus omnibus consideratis satis iam animo firmato eo accedo, ut negem, trium, quae dixi, locorum uulgatam lectionem ullo modo ferri posse. Ut in pauca conferam, sic existimo, non *eieci* et *eiectus*, sed *reieci* et *reiectus Tullium* scripsisse.

Certe haud secus haec atque illa *una littera* cum uocibus *deieci* et *deiectus* differunt, quod in quauis alia coniectura uix inuenietur.

Nec desunt alia huius emendationis firmamenta. Sensus optime conuenit, et suffragatur non communis solum consuetudo sermonis, uerum etiam quam *Ciceceronis* ipsiusque huius orationis propriam dicere licet. Ut ecce quod in cap. 9. confiteri dicitur *Aebutius*:

« . . . ne accederes obstiti, ferro . . . te *re*leci
« atque perterrui »,

deinde in cap. 14.:

« Quid, inquit, hoc ab illo differt? ut ille cogatur
« restituere, qui ingressum *ex*pulerit, ille, qui
« ingredientem *re*pulerit, non cogatur?»

et in cap. 17.:

« te obstitisse et *re*pulisse dicis.»

linum s. v. *De*, l. l. p. 193. « Propria est huius praepositionis uis, « ut exitum rei una enm nexu « indicet, quo res mota antea co« haeserit. Hinc ei tribuitur etiam « illa potestas, quae declarat ali« quid proxime ab aliqua re sol« ui, uel ex ipsa re exire.» *ibid.* p. 186. seq. « Ex his uerbis, « quae cum *de* iunguntur, non « pauca assumunt *ex*, sensu non « diuerso: quare librarii haec uo« cabula commutauerunt, ubicun« que libuit» rel. Conf. *ibid.* p. 184. « Ex his intelligitur, fal« sam esse opinionem uulgarem, « qua grammatici plurimi *de* di« cunt proprie esse *deorsum*. Nam « haec notio superioris loci acce« dit, atque etiam per *a* expri« mitur.» — Conf. *Ramshorn*, *Grammat. Lat.* §. 150. p. 464.

Lectio Eieci non deieci, et q. g. s.

Addas licet, quod in cap. 16. sibi inuicem opponuntur uerba »*depugnare*« et »*repugnare*« [31]).

Extremo loco, ne uidear *Codicum Mss.* auctoritatem contemnere, admonebo, scatere uetustissimis mendis hanc orationem et alias *Tullii* multas, *Codices* autem, quorum hodie copia est, uno excepto *palimpsesto*, saeculo *decimo quarto* et *quinto* demum exaratos esse, ac propterea *consensu* parum ualere.

Quinetiam uestigium quoddam inuenio, unde dubitatio possit moueri, quin plane ex *omnibus* Codicibus, medio aeuo superstitibus, uera illa, quam defendo, lectio euanuerit. Nam *Camerarii* Editio in d. cap. 23. habet ipsam lectionem eam, quam commendamus, *reiectus* [32]), eamque ex aliquo *Codice manuscripto* uetustaue Editione translatam, non *coniectura* effictam esse, idcirco credibile est, quoniam unum illum, quem demonstraui, locum Editor emendatum tradidit, in reliquis duobus (d. cap. 13. et 29.), quorum, si *criticam rationem*, non *librorum auctoritatem* sequeretur, nullo dubio eadem caussa fuit, uulgatam lectionem conseruauit.

Caeterum ne Codicibus in hac lectionis quaestione nimium seruiamus, haec quoque ratio suadet, quod etiam aliis locis uariae illae particulae, quae uerbo *iacere* praefigi solent, ueluti *de* et *e*, uti sunt exigua

31) Conf. *in Verrem* III, 51. 52, 121. 122. et 55, 127. 128.

32) Quae a *Garatonio* et a *Beckio* affertur *Heruagiana*, non est illa, quae A. 1534 *Basileae* ex officina *Heruagiana* prodiit, sed *altera*, A. 1540. ex recognitione *Ioachimi Camerarii* ibidem impressa.

Lectio Eieci non deieci, et q. s. s.

litterarum diuersitate, saepissime inter se permixtae a librariis atque alia in aliam corruptae sunt. Cuius generis ne longius exempla repetam, admonebo, in hac ipsa oratione c. 28. §. 80. u^{is.} « deiectus est » *Codices* mendose habere « eiectus », item c. 29. §. 84. *Salisburgensem* « sum eiectus quo accessi », c. 30. §. 86. *Erfurtensem*, « se eiectum diceret »; *ibidem* §. 87. *Monacensem*, » Unde eiectus est (Cinna) ». c. 32. §. 92. *plures*, « tum eiectum », et alia multa, sicut infra in *Varietate lectionis*, quam capite altero huius libri trademus, plenius apparebit.

§. 6.

Qua ratione in iudicium uenerit, ciuis Romanus Caecina esset necne.

Paucae sunt orationis *pro Caecina* habitae partes, quae consentientes semper interpretes habuerint, haud magis caussae *Tullium* quam iuris rationi ueritatique satisfecisse: inter quas primum fortasse locum illud obtinet, quod omnibus uisus est *Tullius* bellissime defendisse, non posse legem a *Sulla Dictatore* latam eo ualere, ut ciuitatis Romanae ius *Volaterranis*, quorum numero *A. Caecina* fuit, ex forma iuris publici amissum esse recte iudicaretur. An ciuis R. fuerit Caecina.

Nec minor illi disputationi apud me fides est. Itaque credam *Tullio*, ciuem Romanum fuisse *Caecinam*, eamque controuersiam, quoniam noui, quod afferam, nihil habeo, singulis autem rebus sententiisque illustrandis ulius locus occasioque aptior erit, in praesentia relinquo.

Illud quaero, quid sit, cur in proposita sponsionis interdictique disceptatione et iudicatione attinuerit spectare, *ciuis Romanus esset Caecina necne.*

Nam *Pisonem* non id solum arguisse, *Caecinam*, quia ciuis Romanus non esset, *testamento Caesenniae inutiliter heredem scriptum esse*, immo eodem argumento etiam in caussa, quae nunc ageretur, usum esse, quo probaret, ne interdicto quidem aut sponsione *Caecinam* uincere posse: perspicuum est quum Ciuitas ad caussam pertinet.

Ciuitas ad caussam pertinet.

maxime propter principium capitis 33 [1]) tum uniuersam, quae exinde sequitur, ciuitatis disceptationem.

An propter interdictum?

Ac primo loco non possum in animum inducere, *interdicta de ui ciuium Romanorum propria fuisse.* Quid enim magis iuri gentium conuenit quam *ui deiectum restitui?* Accedit quod alterum illud iudicium, quod est *de damno dato bonisue raptis ui hominibus armatis coactisue*, intime interdicto, quod in *Caecinae* caussa agitur, coniunctum et consanguineum [2]), non a Praetore *urbano*, sed ab eo, *qui inter peregrinos ius dicit*, primum est compositum atque in Edictum receptum [3]).

Denique ut *Praetor*, quum in iure de interdicto ageretur, diuerso loco *ciues* ac *peregrinos* habuerit (non habuisse, satis mihi constat), quemadmodum potuit, quo tenore interdicti formula fuit [4]), iudicis recuperatorumue officio contineri, ut statuerent, interdicto, qui *ciuis* non esset, sed *peregrinus* aut *Latinus*, uincere non posse?

1) « *At enim Sulla legem tulit.* » His uerbis illa defensio aduersarii ita inducitur, ut nullo dubio series argumentorum, quibus ad praesentem Aebutii caussam defendendam *Piso* usus esset, continuetur. Neque aliam rem caussamue noua ea defensio spectare potuit atque illa, in qua proxime oratio uersabatur, *non possedisse Caecinam.*

2) Conf. *pro Tullio* c. 7—12. 44—46. et quae de hoc c. 46. supra adnotauimus p. 327. not. 6.

3) Qua de re in libro tertio ad *Tullianam* disputabimus. Interea uide d. cap. 7. et quae *Huschkius* disseruit in *Praemonitis* ad eandem orationem p. 91. seq. Adde *Orellii* et *Baiteri Onomasticum Tullianum* p. 352. Neue de sententia depelli te sinas a *C. Sellio* (*Recuperatio* p. 414., conf. p. 313.): quamquam, me quidem haud inuito, etiam illud *Huschkio* opponet, *M. Luculli* praeturam ad a. u. 678. potius quam 677. pertinere.

4) Vide supra p. 324. seq.

An propter sponsionem?

Altero loco in mentem alicui uenerit *peculiaris forma sponsionis contractae*, et quod *Gaius* docet, stipulationis illam conceptionem, DARI SPONDES? SPONDEO, ciuium Romanorum propriam esse, nec peregrinum, qui ita stipulationem contraxerit, inde teneri aut agere posse [5]).

Quodsi ita sponsio inter *Caecinam* et *Aebutium* facta fuit, equidem caussae nihil dico, quin merito *Piso* negauerit, ea sponsione, nisi ciuitatis ius *Caecinae* incolume esset, uinci *Aebutium* condemnariue posse. At non modo exploratum, sed ne probabile quidem duco, illa stipulandi forma litigatores in sponsione contrahenda usos fuisse, aut omnino talem hoc loco controuersiae formam figuramue in defendenda utrinque caussa intercessisse.

Etenim solum per se *sponsionis* nomen non eo potest ualere, ut necessario efficiatur, ipsum DARI SPONDES? SPONDEO stipulandi genus inter *Caecinam* et *Aebutium* celebratum esse: immo *Paullus* auctor

5) *Gai.* III, 92. «Verbis obligatio fit ex interrogatione et responsione, uelut DARI SPONDES? SPONDEO, DABIS? DABO, PROMITTIS? PROMITTO, FIDE PROMITTIS? FIDE PROMITTO, FIDE IUBES? FIDE IUBEO, FACIES? FACIAM. §. 93. Sed haec quidem uerborum obligatio DARI SPONDES? SPONDEO propria ciuium Romanorum est; caeterae uero iuris gentinm sunt, itaque inter omnes homines, siue ciues Romanos siue peregrinos, ualent; et quamuis ad Graecam uocem expressae fuerint..., etiam hae tamen inter cines Romanos ualent... At illa uerborum obligatio DARI SPONDES? SPONDEO adeo propria ciuinm Romanorum est, ut ne quidem in Graecum sermonem per interpretationem proprie transferri possit, quamuis dicatur a Graeca uoce figurata esse.» — Conf. §§. 94. 95.

An propter sponsionem? est, *sponsionis* nomen latius patere, atque omnes stipulandi figuras continere [6]).

Deinde e d. *Gaii* locis discimus, caeteras stipulandi formulas ita in *peregrinorum* usu fuisse, ut nihil tamen obstaret, quin etiam *ciues Romani* in eadem uerba inter se stipularentur: et credibile est, in hoc *interdictorum* iure, *peregrinis cum ciuibus communi*, atque in praetoriis stipulationibus, quae ea parte Edicti proponerentur, aut Praetoris arbitrio conciperentur [7]), communes potius stipulandi formas quam quae ciuium Romanorum propriae haberentur, in usu fuisse.

Praeterea neminem fugit, ne uerbo quidem *Ciceronem* eiusmodi *Pisonis* defensionem, ex sponsionis figura petitam, indicare, nec quidquam proponi, cur

6) L. 7. De V. S. «*Sponsio* appellatur, non solum quae *per* «*sponsus interrogationem fit*, sed «*omnis stipulatio promissioque.*»

7) *Praetoriarum stipulationum* genere omnes illas *sponsiones* contineri, *quae Praetora iubente ac moderante fieri solebant*, facile quinis intellecturus est, si naturam utrarumque et rationem, adhibitis Veterum testimoniis, inter se comparauerit. De illis *sponsionibus* supra tractanimus p. 12. seqq. Conf. p. 22. seqq. — De *stipulationibus praetoriis* consulendus est totus Digestorum titulus, illis nerbis inscriptus, tum aliquot loca hic exhibebo: L. 52. De V. O. *(Ulpianus)* «In «*conuentionalibus* stipulationibus «contractui formam *contrahentes* «dant: enimuero *praetoriae* sti-«pulationes legem accipiunt *de* «*mente Praetoris*, qui eas pro-«posuit. Denique (in) praetoriis «stipulationibus nihil immutare «licet, neque addere neque de-«trahere.» — L. 1. §. 10. De stipul. praet. *(Idem)* «Sed et si «quid uel addi uel detrabi uel «immutari in stipulatione opor-«teat, praetoriae erit iurisdictio-«nis.» L. 9. eod. *(Venuleius)* «In praetoriis stipulationibus si «ambiguus sermo acciderit, Prae-«toris erit interpretatio; eius «enim mens aestimanda est.» Conf. *Gai.* IV, 31. *Lex Rubria* c. 20. et q. g. a.

statuere liceat, consulto *Ciceronem* ac summam per calumniam celauisse istam uim sententiamque defensionis, et omni parte diuersam recuperatorum animis obiecisse. An propter sponsionem?

Quae quum ita sint, nihil mea quidem sententia est, quo hanc ciuitatis quaestionem in *Caecinae* caussa referamus praeterquam *ius hereditatis*. Hoc autem, neque aliam rem ullam, menti oratoris in ea parte defensionis obuersatam esse, illud quam maxime argumento est, quod inferius inicit, *Caecinam*, etiamsi ciuitatem lege *Sullae* amisisset, uincere nihilominus hoc iudicio debere propterea, quod ipsius legis tenore tamen eo iure mansisset, *ut a ciuibus Romanis hereditates capere posset* [8]). Quod si sponsionis propo- An propter hereditatem?

8) c. 35. «Nam ad hanc quidem caussam nihil hoc pertinuisse, . . . ex eo intelligi potest . . ., quod Sulla ipse ita tulit de ciuitate, ut non sustulerit horum nexa atque hereditates. Iubet enim eodem iure esse quo fuerint Ariminenses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse et a ciuibus Romanis hereditates capere potuisse?» — De celeberrimi huius loci tam lectione (XII. an XIIX? *Ariminenses* an *Interamnenses?)* quam intellectu, praesertim de *coloniis illis*, *quaenam fuissent*, nuper disceptauerunt: *Sauinius* (in *Zeitschr. f. gesch. R. W.* Tom. V. p. 234. seqq. et Tom. IX. p. 318. seq.), *Maduigius* (in Opusc. acad. p. 282. seqq.), *Walterus* (G. d. R. R. p. 203.), *Zumptius* (Jahrb. f. wiss. Krit. 1834. N. 40. p. 319.), *Huschkius* (in *Seruio Tullio* p. 572, seq.), *Puchta* (in Inst. d. R. R. Tom. I. p. 236. seqq.). — Quorum quidem doctissimorum uirorum controuersiam neque habeo unde diiudicem, neque huius loci est accuratius examinare. Illud dicam, apte denuo refutari a *Maduigio* *Manutii* sententiam a *Waltero* instauratam, qui de *M. Liuii Drusi* coloniis *Ciceronem* sensisse putauerunt; *Sauinii* uero coniecturam, e *Liuii* narratione (XXVII, 9. 10. et XXIX, 15. 37.) petitam, quae una uidetur commoda quadam ac probabili ratione constare, ita placere, ut uix tamen satis existimem ualidam esse, qua Codicum omnium auctoritas,

An propter hereditatem? sitae ius diuersasque illas stipulandi formulas omnis illa disputatio de iure ciuitatis spectasset, hoc *Tullii* dictum ineptissimum profecto absurdissimumque fuisset.

quamquam ne ipsa quidem firmissima, infirmetur. Quin igitur mea faciam *Maduigii* uerba: *Quaenam sint autem illae duodecim coloniae et unde orta earum praecipua condicio, ignorare me fateor.* — Sed hoc uerissime uidetur *Maduigius* monuisse, ideo *Ciceronem «fuerint»* scripsisse, quia quo tempore *Sulla* legem suam tulit, et *Ariminenses* et reliqui *lege Iulia* ciues fuerint. Quo loco iuuat paruulam quandam rem ac quaestiunculam subiicere, non adeo quidem ad praesens propositum necessariam, sed ad illustrandum tamen hunc orationis locum pertinentem, neque (si uerum est, in rebus intricatis ne parua quidem esse contemnenda) illustri illa disceptatione plane alienam. Quid igitur est caussae, cur in illa lege *Sullae* ius *Volaterranorum*, forsitan etiam *Arretinorum*, quod in futurum tempus constituebatur, ad *Ariminensium* ius accommodatum sit, eaque comparatione ac similitudine, nec peculiari disertaque descriptione ac formula enunciatum? Nimirum constat, *Ariminum* ante bellum *Italicum* coloniam Latinam fuisse, *Sullano* autem bello oppressum direptumque esse; unde satis probabili ratione colligere licet, eadem lege, qua *Volaterranis* et *Arretinis* ciuitas abrogabatur, etiam *Ariminenses* comprehensos et ipsos quoque ciuitate recens quaesita multatos esse, simul autem in illud ius redactos, quo ante *Iuliam, Plautiam Papiriam, Pompeiam* leges fuissent. Eadem illa *Sullae* lege, ut modo dixi, *Volaterranis* et *Arretinis* adempta est ciuitas. Sed haec *Etruriae* oppida coloniarum *Latinarum* numero olim fuisse, parum credibile est. Videndum igitur, ne aut *ius ciuitatis Romanae* iam ante bellum Italicum habuerint, aut *peregrina ciuium suorum condicione* antiqui foederis uinculo iuncta tunc et subiecta populo Romano fuerint. Utralibet autem condicione ea oppida cum ciuibus suis ante bellum sociale fuissent, necessarium fuit *Sullae* ciuitatem abroganti lege sua cauere, quo iure deinceps uti ea placeret. Enimuero si iam ante legem *Iuliam* ciuitatem Romanam habuissent, non potuit, sicut in *Ariminensibus*, statui, ut eodem iure essent, quo ante bellum Italicum fuissent, nam hoc modo ius ciuitatis non amisissent. Difficile autem fortasse uisum est, nouum eorum ius ex prisco aliquo diuque obsoleto statu ac tempore repetere. Contra si duo illa op-

Quid in caussa ualuerit ipsa hereditas.

At enim in caussa *interdicti de ui restituendaeque possessionis* quid attinuit quaerere, an *A. Caecina* testamento *Caesenniae* heres esset? Num fortasse *Caecinae*, quo interdicto uincere posset, necesse fuit probare *fundum suum esse*? Nihil certe minus. Quid multa? In memoriam quaeso redeamus, quae paullo antea de possidendi, tenendi et quasi tenendi gradibus, ea tempestate in hoc interdicto spectandis, disputauerimus et quo loco Caecinam, eius fundi ratione, quo de agitur, inuenerimus [9]. Nimirum si quid ueri illic assecuti sumus, iam sumere nobis pro explorato licebit, *Caecinam*, si heres fuerit *Caesenniae*, quae fundum locauerat, tametsi numquam ipse fundum nec possedisset, nec naturaliter tenuisset, nonnihil tamen, quod ad tenendi aut quasi tenendi similitudinem censeri posset, habuisse, unoque saltem gradu antecessisse illum, qui nulla umquam aut iuris aut facti ratione fundum antea attigisset: contra si heres non fuerit, huius plane loco fuisse: eas autem tenendi

pida antea peregrina condicione fuissent, potuit *Sullae* aut durius ant ad efficiendum impeditius uideri, antiqui foederis, non illis solis, sed in commune forsitan cum aliis ciuitatibus multis scripti, ius statumque renouare se uelnti in odium eorum oppidorum resuscitare. Atque talem fere consilio caussam fuisse, qua permotus *Sulla* ista lege sua *Arretinos* quoque et *Volaterranos*, amissa ciuitate Romana, eodem iure esse iusserit, *quo Ariminenses fuissent*; quorum nomen exemplumque in promptu sane fuit, quoniam eadem lege ciuitate exuebantur atque in certum aliquem deterioremque ciuitate Romana statum, quo uidelicet ipsi olim fuerant, redigebantur. — Caeterum de antiquo *Arretinorum* et *Volaterranorum* iure neque apud Veteres neque apud Nostrates quidquam certi inueni; quod an mea culpa acciderit, a peritioribus discere cupio.

9) Vide supra §. 5. p. 378. seqq. p. 383. seqq.

Quid in caussa ualuerit ipsa hereditas

quasiue tenendi distinctiones, nostrorum iurisconsultorum temporibus explosas quidem et abiectas, ea tempestate, qua Caecinae caussa acta est, in illius interdicti iure, nouo tunc atque propter nimiam seueritatem controuerso ac fluctuante, aut in caussis saltem agendis et in fori disputatione graues utilesque fuisse et habitas esse.

Hac autem ratione satis, opinor, perspicuum est, quid ad ipsam interdicti caussam ualuerit, *Caecinam heredem esse Caeseniae.*

Conclusio

Caeteroquin extrema haec oratoris defensio, probando ciuitatis hereditatisque iuri destinata, quum neque intelligi neque ad interdicti caussam accommodari, nisi ex communi illa ipsius interdicti ratione, quam antea exposuimus, ullo modo possit: haud mediocre inuicem illius rationis firmamentum esse merito dicetur.

§. 7.

Defensio in locos digesta et Virorum doctorum sententiae.

Nunc cognita tam iuris ratione quam primariis defensionis locis, unde Caecinae ius ac recuperatorum iudicium pependisse uidetur, reliquum est, ut singula argumenta, quo ordine consilioque sunt in oratione disposita, per indicem recenseamus, et simul, quid ad caussam probandam unumquodque ualuerit, adhibitis Virorum doctorum suffragiis reputemus.

Quo loco neminem fugiet, quantopere haec oratio in tota confirmationis confutationisque structura ac compositione differat ab illa, quam antea cognouimus, *Quinctiana;* ubi non solum partitionem ingeniose et eleganter a principio propositam ac deinceps religiose obseruatam, sed etiam singulas partes, certis membris accuratissime diuisas, denique ad *Hortensii* morem omnes defensionis locos ueluti in digitis constitutos inuenimus [1]).

Atque in *prooemio* quidem (capp. 1—4.) satis copiose orator, quemadmodum fieri adsolet, ea praefatus est, quae utrum uera sint an falsa, ex inferioribus demum defensionis partibus, ubi in singulis argumentis et confirmandis et refutandis oratio uersatur, discerni diiudicarique potest; ut ecce quod recuperatoribus

1) Vide supra L. I. Cap. I. §. 9. p. 172. seqq. et *pro Quinctio* c. 10.

diuturnam dubitationem iteratamque ampliationem exprobrat, quod Caecinam neque uitiose neque malitiose egisse gloriatur, et si quae sunt eius generis similia.

Sequitur rei gestae narratio (capp. 4—8.), cui adiecta est testium ab aduersario productorum enumeratio dictorumque, quoad in aliquam *Caecinae* utilitatem conuerti posse uiderentur [2], recitatio.

Deinde a capite 11. ipsa incipit confirmatio.

Locus primus. Eam orator exorditur ueluti a summa iuris iustitiaeque natura et ratione insitaque quadam necessitate, qua efficiatur, ut quod ui et armis gestum sit, iure rescindi posse oporteat, neue qui propter uim armatam possessione careat, actione ad recuperandam possessionem carere possit. Quare quoniam in Praetorum edictis aliud experiundi genus, quo *Caecina*, eiusmodi uim ab *Aebutio* passus, in illum fundum restitui possit, praeterquam hoc interdictum, sane nullum inuenitur, non potest *Caecina*, sicuti interdicto egit, non recte egisse.

Cui argumento uereor ne tali fere ratione *Piso* obuiam uenerit.

Qui uim atrocem ab aliquo passus fuerit, duplici modo potest et effectum considerare et agendi consilium capere.

Nimirum aut ea sola spectabit, quae in personam cadunt, ueluti uulnera, uerbera, contumeliam,

2) Arripiuntur ea potissimum, unde planum fiat (quod aduersarius numquam infitiatus est), ni minisque quinetiam hominum coactorum armatorumque terrore prohibitum esse *Caecinam*, ne intraret fundum, quo de agitur, propiusue accederet.

denique dignitatem laesam et animi aegritudinem susceptam. Et proposita sunt iniuriarum et publica quaedam iudicia, quibus quasi dolorem imminutae libertatis mitigare possit. In his iudiciis actori ad uincendum satis erit, uim, iure ac legibus praefinitam, ab aduersario esse commissam sibique illatam. Locus primus

Aut ad rem familiarem animum aduersurus est, quid per illam uim detrimenti ceperit: quo loco reputabit damna data, res ablatas, possessiones amissas. Huic ut ex iuris iustitiaeque praeceptis satisfieri possit, comparatae sunt cum illae de damno dato bonisue raptis, tum in rem actiones, quinetiam haec interdicta et alia agendi genera, quibus omnibus rei persecutio, quam dicunt, partim sola partim addita poena continetur. Quae actiones omnes insita sua natura illud a superioribus diuersi habent, quod, etiamsi actor probauerit, uim se esse passum, nihilomagis condemnare aduersarium aut assequi quicquam potest, nisi etiam hoc alterum docuerit, se aliquam rem, quam siue iure siue facto saltem haberet, amisisse, denique rei familiaris qualicunque detrimento affectum esse. Nam qui nihil neque habuit neque amisit, non potest hercle restitutorio uel reipersecutorio iudicio quidquam recuperare.

Ex quo efficitur, ut, si quis propter uim, quam passus sit, in rem actione uti uelit, docere debeat rem suam se amisisse. Quod si nemini dubium est, quae caussa dici potest, quin ille quoque, qui propter eandem uim interdicto possessorio

Locus primus

experiatur possessionemque sibi restitui postulet, probare recuperatoribus imprimis debeat, antea se possedisse eamque possessionem ui illa tum amisisse?

Iam hoc loco nihil habes, quod reponas, nisi forte huius interdicti de ui hominibus armatis coactisue peculiarem formulam ac rationem, illamque Praetorum sententiam et uoluntatem, unde effectum esse statuis, ut etiam qui non possedisset, hoc interdicto uincere posset. Quod ut fatear e summa interdicti proprietate quaeri posse an recte statuatur, tu contra negare nullo modo poteris, communem, quam modo exposui, iuris rationem, si Caecina fundum, de quo agitur, neque possederit neque ulla umquam ratione tenuerit, ab Aebutio non a Caecina stare. Sed de ipsius interdicti peculiari forma et iure non huius loci est disputare. Nunc mihi satis est refutasse primum illud quod arguisti, ueluti naturae lege quadam ac necessitate Caecinam uincere oportere.

Utique tali fere ratione *Pisonem* in prioribus caussae actionibus propositam *Ciceronis* defensionem redarguisse, argumento mihi sunt illa, quae in hac oratione de iniuriarum actione ac publicis iudiciis, quomodo ab interdicto differant, et cur interdicto potissime agendum *Caecinae* fuerit, iniiciuntur [3]).

3) c. 3. extr. « Ex quo genere « peccati, ut illi clamitant, uel in« iuriarum uel capitis iudicia con« stituta sunt, in eo potestis atro« citatem nostram reprehendere, « quum uideatis nihil aliud actum, « nisi possessionem per interdi« ctum esse repetitam?» — c. 11. extr. 12. « Conuocari homines « propter possessionis controuer-

Nostrates autem tacito ac prope dicam inuito quodam consensu declarare uidentur, suo quoque iudicio infirmiorem istam Ciceronis defensionem aestimari. Locus primus

De *Gaio*, *Ulpiano* caeterisque eius aeui iurisconsultis taceo, qui non modo de naturae ista lege ac necessitate, uerum etiam de omni hoc interdicti iure multo magis *Pisoni*, opinor, quam *Tullio* nostro credidissent [4]), nec tamen propterea *summae stultitiae* [5]) aut ipsi condemnandi aut maiores illos, quos laudibus orator extollit, condemnaturi fuissent.

Altero loco *Cicero* pugnat aduersus illam *Pisonis* defensionem, qua negauerat, ipsam uim ab *Aebutio* commissam genere suo talem esse, qualis in hoc interdicto requireretur, h. e. uere *corporalem.* Quippe hoc magis, ut opinor, *Piso* defenderat, uim et arma ad *corpus Caecinae* amicorumue eius non peruenisse, ac propterea ad interdictum non pertinere, quam ut, quemadmodum *Tullius* refert, omnino negasset, uim Locus alter

« siam non oportet; armari multitudinem iuris retinendi caussa « non conuenit: nec iuri quidquam tam inimicum quam uis, « nec aequitati quidquam tam infestum est quam conuocati homines et armati. — Quod quum « ita sit, resque eiusmodi sit, ut « in primis a magistratibus animaduertenda esse uideatur, iterum quaero, sitne eius rei aliqua actio an nulla . . . Monet « amicus meus te, L. Calpurnius, « ut idem dicas, quod ipse antea « dixit, iniuriarum . . . Non solum egeris, uerum etiam condemnaris licet: numquid magis « possidebis? Actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur, sed dolorem imminutae « libertatis iudicio poenaque mitigat. »

4) Vide supra §. 3. p. 326.

5) c. 14. « Verumtamen est « turpissimum illud, tantae stultitiae prudentissimos homines « condemnari, ut uos iudicetis, « huius rei atque actionis in mentem maioribus nostris non uenisse. »

Locus alter. factam esse *Caecinae*, rationemque addidisset, neminem esse neque occisum neque sauciatum [6]).

Qua de re quae *Cicero* per complura orationis capita (cap. 14. extr. — 17.) ornate ac copiose disputat, quemadmodum recentiorum omnium, nemine dissentiente [7]), suffragia ac laudem obtinuerunt, ita mihi quoque non solum communibus iuris, iustitiae, aequitatis praeceptis consentanea atque ad publicam utilitatem accommodata, sed etiam cum interdicti illa ratione, quam ex *Digestorum* potissimum libris deriuatam supra repraesentaui [8]), congruentia, denique ipso illo tempore, quo *Caecinae* caussa agebatur, ad probandum aptissima semper mihi uisa sunt.

Cauendum tamen est, ne exemplum imitemur eorum,

6) Nimius certe hoc loco est *Hotomanus* (ad d. c. 14.), qui adeo negauerit, aliam caussam ullam dixisse *Pisonem*, cur *Caecinae* uis facta esse non uideretur, nisi hanc, *Caecinam non possedisse, Aebutio autem possessionem suam ui retinere ius fuisse.* Quamobrem haud immerito hoc saltem loco tulit *Garatonii* hancce reprehensionem: « *Hotomanum* « transuersum agit scientia iuris, « ut ne *Tullio* quidem credat, « *Aebutium* dixisse, *nemo occisus* « *est neque saucius;* cui certe ra« tioni hoc loco respondetur. » — Caeterum praeter certam illam, quam supra demonstraui, iuris defensionem haud incredibile est, *Pisonem* etiam generali quodam sensu *Ciceronis* amplificationibus ita occurrisse, ut moneret, non adeo atrocem tamen immanemque nim ab *Aebutio* esse perpetratam, immo *Caecinam* et quos secum haberet, integros saluosque discessisse.

7) Ipse quoque *Hotomanus*, qui uel hac parte, ut modo uidimus, Aebutium defendit, ibidem paullo inferius ad uerba *Tu uim negabis esse factam* rel. haec subiicit: « *Negari* certe non « posset, si ei, qui possideret, « uis esset illata: sed quia non « possidere *Caecinam* contendebat « *Aebutius*, bona ratione hac de« fensione utebatur: alioqui ue« rum esset, quod *Tullius* orato« ria uociferatur » rel.

8) §. 2. p. 316.

qui ueluti nimia quadam erga *Tullium* assentatione iniquiores in *Pisonem* extiterunt, atque inauditam plane omnique parte absurdam *Ciceroni* controuersiam eum hoc loco mouisse existimauerunt [9]. Quid enim? quae supra illustrandi huius iuris caussa e *Digestis* loca exhibuimus [10], si diligenter inter se inuicem componantur, nonne luculenter apparet, satis diu post *Ciceronis* aetatem nondum illam controuersiam sopitam, neque sententiam, quam pro *Aebutio Piso* defendit, explosam apud omnes funditusue exstirpatam fuisse? [11] Unde si recte supra uniuersum interdicti ius et interpretationem earumque rerum originem ac progressionem cum temporum diuersitate intelleximus [12], haud sine ratione colligetur, illam *Pisonis* sententiam quasi pristinam morisque antiqui, quinetiam e consuetudine iudiciorum superiorem tunc fortasse fuisse; contra quod *Cicero* defendit, si non prorsus nouum, at tale, ut ratione potius quam usu ualeret, atque hac ipsa potissimum aetate per fori disputationem et praeclaras eiusmodi defensiones uires incrementumque caperet, deinde paullatim in detrimentum illius augeretur ac ratione et exemplis confirmaretur. Locus alter.

9) Ut ecce *Iordanus* l. l. p. 8. «Atque hoc ipsum, inquit, ar«gumentum, sicut pleraque alia, «eiusmodi est, ut aduersarius, «si iustam caussam defendisset, «certe eo abstinuisset; nam si «iure possidebat Aebutius, nihil «aliud nisi hoc ipsum Pisoni erat «probandum; qua defensione hoc «certe assecutus esset, ut Aebu«tius fundum retineret, licet «poenas propter uim armatam «luere deberet» et rel.

10) Vide §. 2. p. 316. not. 42.

11) Conf. *Schultingius* ad *Paullum* V, 6, 4. not. 27. et *Cras* l. l. p. 22. 23. §§. 9. et 10.

12) Conf. §. 2. p. 311. seqq.

Locus tertius.

Tertium est, ut *Pisonis* illud «*Non deieci sed obstiti*» *Tullius* refellendum sibi proponat.

Quae aduersarii defensio, dummodo praeter mera interdicti uerba pristinumque illud, quo uno dictata sunt, armorum odium etiam solida iuris ratio caeterarumque rerum utilitas consideraretur, quantum in caussa *Caecinae* et ueritatis et momenti habuerit, latius antea suo loco exposuimus [13].

Contra *Tullius* omni opera ac studio elaborat, ut recuperatoribus persuadeat, *Pisonem* hoc loco in grammaticae interpretationis erroribus atque in inanissimis uerborum cauillationibus totum uersari.

Qua parte, sicut supra monui, non possum *Tullium* suspicione liberare, quin more suo, non tam laudabili quam cum multis communi, aduersarii defensionem parum religiose retulerit, immo infirmiora et ad refutandum faciliora selegerit, ualidiora tacuerit, denique coniuncta diuellendo, separata permiscendo uarie corruperit [14]: quamquam nolo infitiari, fortasse etiam *Pisonem* carpendi sui opportunitatem aduersario ultro obtulisse, illo maxime defensionis uitio, quod, quum caussae suae robur uincendique spes in *sententia* tam huius interdicti quam restitutoriorum interdictorum omnium atque in elatiori iuris aequitatisque doctrina posita esset, ipse tamen plus quam utile rectumue esset, ad *uerborum significationes* formulaeque disceptationem descenderit [15].

13) Vide supra §. 5. p. 376. seqq.

14) §. 5. p. 380. not. 6.

15) Vide c. 27. extr. «Verumtamen quid ait iste uester auctor? *Quibus quidque uerbis actum pronunciatumque sit.*» Conf. c. 28. s. fi. «ostendi, id

Quibus praemonitis si ad cognoscendam huius loci constitutionem, quae in *Ciceronis* oratione habetur, accedamus, nonnisi unum argumentum inuenimus, quod *Pisoni* tribuatur, uideiicet contendisse eum, uerbi *Deiicere* ex iinguae Latinae indole et ioquendi consuetudine uim et naturam esse talem, ut is solus, qui ex eo loco, in quo fuisset, eiectus esset, *deiectus* uere dici posset, qui prohibitus tantum esset quo uellet accedere, nuiio modo possit. Locus tertius

Quid ergo est? hanc ueluti grammaticam aduersarii positionem faciliime, quinetiam uerissime *Cicero* ad absurdum perducit, atque e caussa expellit isto suo exemplo, quod antea cognouimus, *Pisonis domum suam intrare prohibiti* [16]. Quidni? Si *deiectum* dicere neminem licet, qui *prohibitus* sit, interdicto autem, nisi qui uere *deiectus* fuerit, uincere nemo potest, nonne in aprico est, *Pisonem*, quamuis dominum possessoremque aedium suarum, interdicto tamen nihil acturum, si ui hominibus armatis *prohibitus* tantum sit intrare? Quod quum tam euidentissima exploratissimaque iuris ratione quam uulgari hominum opinione falsum sit, non potest hercle uerum esse, quod *Piso* fertur dixisse, atque inter caetera, ut opinor, etiam dixit, sermonis lege et consuetudine, qui *prohibitus* esset, *deiectum* non uideri.

« uerum, id aequum, id utile omnibus esse, speetari, quo consilio et qua sententia, non *quibus quidque uerbis esset actum.*« c. 20. s. fi. « Tam restitues, si « unus seruulus, quam si familia deieeerit uniuersa: non « quo idem sit *seruulus unus* quod « *familia;* uerum quia non, *quibus uerbis quidque dicatur,* quaeritur, sed quae res agatur. »

16) §. 5. p. 377.

Locus tertius.

Atque hoc est, quod *Tullius* profitetur, ita se de illa defensione queri eamque oppugnare, ut nondum de *Caecinae* caussa disputet, nondum de iure possessionis loquatur.

Quamobrem merito *Ferratius* hoc loco reprehendit *Manutium*, *Hotomanum* aliosque, qui *Aebutii* nomine *Tullio* reposuerint: «*Non de tuo sed meo te fundo* «*prohibui*», et q. g. s. Nam ad hanc certe *Tullii* ratiocinationem, stricte dialecticam, nihil pertinet de *Caecinae* iure uel possessione quaerere [17]).

Verumenimuero in hac sua defensione *Non deieci sed obstiti* Pisonem non Grammaticum tantum, immo multo magis etiam Iurisconsultum egisse, ac praeter meram uerbi significationem alia complura ad infirmandam *Caecinae* caussam efficaciora et sensisse et nullo dubio etiam exposuisse, *Tullium* contra in eo ipso calumniatum esse, quod hanc aduersarii defensionem a possessionis quaestione seiunxerit; ita supra docuimus [18]), ut in ea re ipsius *Hotomani* doctrinam auctoritatemque magna ex parte sequeremur. Caeteri autem interpretes, prout pleniorem illam, quam demonstrauimus, uim ac potestatem illius defensionis intelligerent, tum iustiorem tum iniquiorem hoc loco sententiam tulisse uidentur. Quorum uaria iudicia summatim perlustrabo, quum prius ipsius *Tullii* disputationem,

17) *Ferratius* in Epist. VI, 7, 1. p. 413. «Quaeritur, inquit, «utrum sit idem *prohibere* et *de*«*iicere*. An uero idem esse pos«sunt, si possessio est certa, «diuersa erunt, si ambigitur de «possessione?»

18) §. 5. p. 377—80. ibique nota 6.

quo consilio, ordine exituque sit instituta, cognouerimus. Locus tertius

Nam posteaquam refutationem illius argumenti, e significatione uerbi *Deiicere* petiti, primo illi, quem ostendi, defensionis loco quodammodo intexuit (c. 12.), deinde alterum locum, antea dictum, interposuit, ad hoc *Non deieci sed obstiti* in medio capite 17. ita reuertitur, ut prius, quam nouum aliquod argumentum ad refellendum affert, longe lateque defendat, in actionum formulis caeterisque rebus tam dictis quam scriptis omnibus sententiam potius ac uoluntatem quam uerba spectari et ualere oportere. Quod praeceptum quo magis confirmet, prius in interdicto de ui et in ipso uerbo *Deiicere* consistit, liberamque eius interpretationem etiam in aliis eius iuris partibus obtinere, quinetiam olim in uerbo *detrudere* obtinuisse docet: deinde, reiicto interdicto ad alia multa, iura, leges uitamque quotidianam digrediens, ratione et exemplis ostendit, eandem ubique illam interpretandi utilitatem necessitatemque et esse et existimari. Postea ad interdictum de ui armata redit, aliasque formulae partes ac singula uerba proponit, eaque omnia, consillo, sententia, uoluntate Praetorum utilia ac praeclara, si uerborum argutiis et captationibus indulgeatur, corrumpi adeoque totum interdictum infirmari laborat ut intelligatur.

E longa illa digressione tandem ad propositum reuertitur (c. 23.) « *Venio*, inquit, *nunc ad illud* « *tuum: Non deieci, non enim siui accedere.*» Praefatur huius defensionis refutationi, quasi nunc primum in eam incideret, atque ad rem gerendam iustis

Locus tertius.

armis se accingeret. Quidni? Nonne antea quum per occasionem magis quam de instituto meram uocabuli significationem attingeret, praemonuit ac denunciauit «*Nondum de Caecinae caussa disputo*» rel.[19])

Exspectamus iam, ut in iuris ac caussae rationem orator totum se immergat atque solidis argumentis *Pisonem* redarguat, et defensionem illam ex interdicto caussaque expellat. Quid igitur audimus? Nempe prauam esse quandam defensionem, quam *Piso* non protulerit, sed *alius* in diuersa huius interdicti caussa proferre potuerit[20]); at illa peiorem esse *Pisonis*, qua de agitur, defensionem. Quod argumenti locum possit obtinere, nihil addit orator, sed statim ad auctoritates confugit; in hoc ipso genere non tantopere illud praestat, ut certas peritorum sententias, siue uniuersam caussam siue defensionem propositam spectantes, pro se afferat atque aduersario opponat, quam hoc in *Pisone* reprehendit, quod dixerit, iurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere. Contra, summam in iudiciis esse oportere iuris peritorum auctoritatem defendit; peritum quidem existimandum esse neminem, nisi qui recte respondeat, at qui uere perito non obtemperauerit, eum non hominem neque caussam, sed ipsum ius ciuile offendere; ipsum *Scaeuolam* olim in clarissima illa *M. Coponii* et *M'. Curii* caussa, non

19) Hoc ipsum, quod identidem diuersisque locis *Pisonis* illa defensio repetitur, argumenti nonnihil praebet, alia atque plura in prioribus caussae actionibus illum hac parte disseruisse, quam *Cicero* expromsit ac refellendi caussa in medium protulit. Qua de re uide supra p. 418. sub notam 18.

20) «*Non fuerunt armati: cum* «*fustibus et cum saxis fuerunt.*»

quia iurisconsultus esset, uictum a *L. Crasso* fuisse, sed quia rationem suam de uerbis prae sententia habendis non probauerit Centumuiris. Deinde ius ciuile defendit, laudat, extollit, eoque sublato neque priuatorum patrimonia conseruari neque rempublicam saluam esse posse contendit. Denique in hac ipsa caussa si ius suum *Caecina* non obtineat, fore, ut multo magis ius ciuile, communis omnium utilitas, populi Romani caussa, quam *Caecina* actor detrimento afficiatur. Quod si de auctoritatibus quaeratur, praestantiorem certe quam *C. Aquillii* nullam inueniri posse. Locus tertius.

Atque haec omnia *Tullius*, quamquam ne unum quidem continent argumentum, quo uere dici possit defensionem aduersarii illam, qua de agitur, adoriri ac redarguere, tali modo disputat, ut summam semper omnium laudem tulerit. Nec immerito, dummodo oratoriam potius artem quam merum caussae ius respexeris. Quippe uetus est, in caussa difficili ancipitique et coram iudice non perspicacissimo saepe magis expedire multa proferre alieniora quidem a caussa, at sua ui ac potestate ucrissima et euidentissima, quam in illis, quae ad rem stricte pertineant, ob id ipsum impeditioribus et ad probandum durioribus, consistere.

Pergit tandem orator ad ea, quae propiora sunt quaestioni, in qua omnis ea disputatio uersatur. Nam in capitibus 28. et 29. ostendit, defensionem illam *Non deieci sed obstiti*, etiamsi uera sit, nihil tamen *Aebutio* prodesse, neque ullo modo *Caecinae* sponsionem infirmare. Nimirum quum in uerborum angustias argutiasque compellatur, inuitum quidem at suo iure

Locus tertius. se contendere, *Caecinam*, etiamsi non sit deiectus inde, quo accedere et intrare uoluerit, hoc est de fundo *Fulciniano*, esse tamen inde, ubi fuerit, unde armis pulsus aufugerit, hoc est, de proximo uicini fundo, de uia, denique alicunde. Atqui in Interdicto *Fulcinianum* illum fundum nominatim non demonstrari, sed *undecunque* deiectus sit *Caecina*, eo iuberi restitui ab *Aebutio*. Hunc igitur, qui nullum in locum *Caecinam* restituerit, at ex interdicto se restituisse sponsione contendat, necesse esse sponsionis condemnari.

Quod argumentum, facetum quidem et ad deridendas uerborum captationes egregium, quam nihil omnino potuerit ad interdicti ius probandamque *Caecinae* caussam ualere, supra indicauimus [21]).

Iam una denique superest ratio, impugnandae *Pisonis* illi defensioni uere destinata. Dico praeclaram illam de uocabulis Unde et eo disputationem, quae in capitibus 30. et 31. habetur. Quippe summa non solum arte sed etiam probabilitate docet orator, illorum uerborum tam ex indole linguae Latinae quam e sermonis consuetudine exemplisque talem esse uim et naturam, ut Unde duas res significet, tam *ex quo loco* quam *a quo loco*, eo autem aequabili ubique ratione *in eum locum* ualeat.

Atque hic est tertius oratoris nostri locus, quo defensionem illam Aebutii *Non deieci sed obstiti* refellere se profitetur. Cuius uniuersae disputationis si, detractis ornamentis fucoque oratorio, summam subduxeris, duo habebis argumenta, unum hoc: uerbo

21) §. 2. p. 297. seq.

Deiicere ex usu tam interdicti quam quotidiani sermonis subiectam esse non simplicem notionem *eiicere*, sed duplicem, et *eiicere* et *prohibere*; alterum illud, ex eadem sermonis consuetudine uerba interdicti *Unde eo* non solum *Ex quo loco — in eum locum*, sed etiam *A quo loco — in eum locum* significare. Locus tertius

Addas superius illud, si placet, derisorium magis quam serium, quo planum facere studebat, etiamsi ad uerborum argutias cauillationesque ueniendum esset, saluam tamen *Caecinae* caussam fore.

Alia argumenta, ex ipsa iuris, aequitatis, publicae utilitatis ratione petita atque ad huius interdicti, quo de agitur, ius caussamque directa, nulla inuenies. Qualia tamen e diuersa parte *Pisonem* nonnulla protulisse, et quanto plura proferret in iisque defensionis robur praecipuumque caussae firmamentum collocaret, tanto uerius commodiusque *Aebutii* caussam orauisse, ex iis, quae suo loco supra disputauimus, probabile illud, hoc autem perspicuum est.

Atque hoc est, quod antea demonstraui [22]), *a uerbo* magis quam *a sententia Tullium* hoc loco pugnasse.

Utique mirum hac parte ac paene ludicrum orandi consilium artificiumque licet obseruare.

Iubet orator in actionum caeterarumque rerum formulis scriptionibusque interpretandis *sententiam*, *aequitatem*, *utilitatem* sequi, *uerba* ita aestimare, ut quae seruiant illis tota neque sua ui ac potestate quicquam ualeant. Vituperat *Pisonem*, qui uerborum praecipuam esse rationem habendam posuerit.

Quibus praeceptis traditis, quinetiam longe lateque

22) §. 5. p. 387.

Locus tertius. expositis ac confirmatis, quum ad caussam defendendam transiisset, quid egit?

Verborum diligentissime rationem significationemque exposuit; quid ualerent uerba *deiicere*, *unde*, *eo*, copiosissime planum fecit, atque hac parte omnibus, ut opinor, caussam *Caecinae* probauit. Quid ab sententia, ab aequitate, ab utilitate interdicti? Nihil omnino protulit ipse, quinetiam quae aduersarius ex hoc genere disseruerat, silentio praeteriit consultoque uitauit.

Ut in pauca conferam, alteram interpretandi rationem *Tullius* commendauit, alteram secutus est: eo consilio quod uerum, quod rectum, quod euidens esset, *utrinque* caussae suae comparauit: ipsum autem artificium admirabili orandi consilio astutiaque, fortasse etiam quibusdam aduersarii uitiis in lucrum conuersis, texit atque audientium animis subtraxit.

Videamus nunc, quid de hac defensionis parte Viri docti statuerint.

Atque, ut ab antiquioribus illis incipiam, qui rhetorice magis quam ex iure ciuili *Tullii* orationes illustrauerunt, primus *Omphalius* non dubitauit ei disputationi, quae a capite 23. incipit, hisce uerbis praeludere: «Transit ad *Pisonis* reprehensionem, eiusque defensionem *infirmam*, *nugatoriam*, *secum pugnantem et plane alieno tempore*, *et contra quam caussae utilitas postulat*, *institutam*, in odium rapit atque contemptionem.»

In eadem sententia *Latomus* fuisse uidetur.

Contra *Pellitarius* ad exemplum illud *Tullii*, quod e capite 12. retulimus, sic adnotauit:

« Hoc tamen interesse uidetur, quod *Aebutius* infitiabatur *Caecinam* fundi possessorem ac dominum, in exemplo uero assumitur dominus aedium et possessor. » Locus tertius.

Melanchthon autem, « Disputabant, inquit, aliqui, iniuriarum agi potuisse, sed non posse agi interdicto *Unde ui;* quia rixa orta esset, antequam in fundum uenisset *Caecina.* Haec elusio satis arguta et non absurda fuit. »

Hotomanus statuit, calumniose hoc loco *Ciceronem* et ad tempus caussamque nimis accommodate respondisse. « Cum enim, inquit, id quod de loco dicebat *Aebutius*, *deiectum* uidelicet a Praetore neminem intelligi, nisi qui, cum in eo loco esset, ex eo depulsus est, hoc tantum significet, neminem *deiici*, nisi *qui locum illum aut possideat aut teneat*, id est, *nisi in eo sit* [23]): tamen callidissime uerba ipsa *Non deieci sed eieci*, quae frigidissima prima specie uidentur esse, urget atque insectatur, sententiam illorum calumniose dissimulans, et defensionem illam, quasi perridiculam ac plane nugatoriam, pluribus uerbis exagitans » rel [24]). Simul ostendit, iure *Aebutium* armatos homines *Caecinae* opposuisse, ne ipsius fundum ipso inuito ingrederetur [25]).

23) Ex his uerbis accuratius sunt definienda ad uaria loca *Hotomani* quaedam adnotata, ueluti quod ad c. 28. uerba *In quo fuisset* interpretatur: « Sic accipio, *quem possedisset:* et sic puto aut dixisse aut « certe intellexisse *Aquillium* (?), « sed artificiose *Tullius* » rel.

24) Vide *Hotomani* Argumentum h. or.

25) Ad c. 1. vs. *Non dubitauit id ipsum* sic scripsit: « Dissimulat

Locus tertius.

Omnem autem hanc *Hotomani* sententiam [26]), nostrae quam maxime affinem, uehementer improbauerunt *Cras* [27]) et *Garatonius* [28]). Qui tamen quum non illud solum animo praecepissent, possedisse *Caecinam*, sed etiam hoc, perinde possidenti atque non possidenti *Pisonem* illam suam defensionem et diuersitatem, quae esset inter *deiiciendum* et *prohibendum*, obiicere: non potuerunt profecto neque de patroni defensione neque de interpretis opinione aequi iudices existere.

Klotzius ita *Hotomanum* aduersus *Garatonium* defendit [29]), ut statuat, haud improbabilem illam *Pisonis* defensionem fuisse, uidelicet si *Caecina* non possedisset. Simul autem probabilem existimat *Caecinae* possessionem fuisse [30]). Quam quoniam adeo pro certa

« *Cicero* defensionem *Aebutii*: de«fendebat enim, quantum ego «existimare possum, se ob eam «caussam armasse, ne uis sibi «afferretur, ac de suo fundo ui a «*Caecina* deiiceretur; quinetiam «non modo id confitebatur, sed «etiam profitebatur ac prae se «ferebat; testes enim eos ipse «sumpserat, quemadmodum *Cae*«*cina* in ipsius fundum per uim «armatis hominibus ingredi cona«tus esset; et eum prohibuisset «non deiecisset. Atque hoc ui«delicet quasi grauissimo in sua «caussa firmamento utebatur.» Adde quae supra attuli p. 392. not. 20. Certe in illo manifestus est error *Hotomani*, quod putauit, etiam *hominibus armatis* *Caecinam* ultro uim intulisse.

26) Praeter loca modo dicta cognoscitur ex adnotationibus ad c. 11. vs. *Non deieci* et *Non enim te sum passus;* ad c. 12. vs. *Si qui introire;* ad c. 13. vs. *Unde ui prohibitus* et vs. *Quod obstiterit;* ad c. 23. vs. *Non deieci;* ad c. 28. vs. *In quo fuisset.*

27) l. l. p. 38. 39. seq. Aliorum opiniones traduntur ibidem in Praef. p. VI. seq.

28) Videsis quae ad c. 11. et 13. (ll. in nota 26. citt.), quinetiam ad c. 31. vs. *Ut uero iam* contra *Hotomanum* disputauit. Conf. h. supra p. 392. not. 20. et p. 387. not. 11.

29) In Adnotatione ad c. 11. p. 488. seq.

30) Ibid. p. 459. seqq. Sed quam parum *Klotzius* teneat,

habet *Iordanus*[31]), totum illud *Aebutii Non deieci sed obstiti* ad *Omphalii* modum abhorret et contemnit. Locus tertius.

Quartus defensionis locus ille est, quo orator docet, in hoc interdicto de ui armata actori non esse ad uincendum necessarium, quum uim pateretur, possedisse. (capp. 31. et 32.) Quam iuris formam non temporis caussa finxisse *Tullium*, sed ex ipsa interdicti conceptione et, quae tum obtinuit, ratione hausisse, supra latius exposuimus[32]). Locus quartus.

Itaque unum hoc reliquum est, ut Virorum doctorum suffragia, in utramque partem data, dinumeremus et separemus. Quid ergo est? *Ciceroni* crediderunt *Cuiacius*[33]), *Ferratius*[34]), *Pothier*[35]), *Garatonius*[36]), *Huschkius*[37]), *Iordanus*[38]), *Rudorffius*[39]), *Walterus*[40]), denique pedetentim *Schraderus*[41]).

quid intersit inter *possessionem* ac *proprietatem*, ex eo cum maxime perspicuum est, quod ad c. 9. (p. 485.) scripsit, *P. Caesennium* et *Sex. Clodium* testes *de possessione* dixisse, eamque caussam esse, cur lubricam eam tam caussae quam testimoniorum partem nonnisi leuissime orator illic attigerit. Conf. ibid. p. 510.

31) l. l. p. 8.

32) §. 3. p. 337. seqq. §. 5. p. 383. seqq.

33) Ad L. 18. *De ui* (in Opp. Ed. Ven. T. IV. p. 600.), ad L. 4. C. *eod.* (T. IX. p. 1078.), ad *Paulli R. S.* V, 6, 6. (T. I. p. 426.), ad L. 41. De V. S. (T. VIII. p. 436.)

34) *Epist.* I, 12. p. 49.

35) *Pandectae*, Tit. *De ui.* Art. I. §. 2. N. 14. (T. III. p. 124.)

36) Ad c. 31. vs. *Ut uero iam.*

37) Ad c. 46. *pro Tullio*, in *Analectis* p. 164.

38) l. l. p. 6. seq. — Secutus magis est quam intellexit illam sententiam, qui sic scripserit: «Nam hanc interdicti de ui armata uim fuisse contendo, ut «is, qui deiecisset alterum ui «armatis hominibus, *siue is iure* «*possedisset, siue iniuria*, resti«tuere deberet» rel.

39) *Zeitschr. f. gesch. R. W.* Tom. X. p. 63. seqq.

40) *Gesch. d. R. R.* p. 780.

41) Ad §. 6. I. *De interdictis.*

Locus quartus.

Contra neminem umquam, nisi qui possedisset, uincere hoc interdicto potuisse, placuit *Giphanio* [42]), *Marcilio* [43]), quem *Ianus a Costa* sequi uidetur, *Schultingio* [44]), *Crasio* [45]), *Sauinio* [46]), *Klotzio* [47]), *Reinio* [48]). Unus fuit *Hotomanus*, qui constantissime defenderet, iis, qui aut possedissent fundum, quum deiicerentur, aut tenuissent, seu corpore suo in fundo fuissent, interdictum utile fuisse, neque aliud quidquam *Pisonem* contendisse [49]).

42) Ad Tit. Cod. *Unde ui*, p. 277. «Secunda differentia erat, «quod illud (interdictum de ui armata) «daretur etiam ei, qui «non possideret, cum deiicere«tur. De hac differentia prolixe «*Cicero pro Caecina*. Dubito ta«men de ea, nec *Ciceroni* facile «credendum foro seruienti: ne«que enim recte potest dici de«iectus qui non possedit, idque «uerius puto.» — *Idem* ad §. 6. I. *De interdictis* p. 563. «Non «datur, inquit, ei, qui nondum «possedit, uerbi gratia, si em«ptor fundi uel heres, possessio«nem fundi ingressurus primum, «prohibeatur ingressu, non datur «ei hoc interdictum, sed actio in«iuriarum. Quod contra tamen «*Cicero pro Cecinna* disputat et «iudices fefellit.» Caeterum ne tertio quidem illi *Ciceronis* loco *Giphanius* fauere uidetur, qui ibidem iniecit, *Ciceronem multa cauillari de uerbo Deiicitur et de uerbo Eiicitur*, *Non deieci sed obstiti* etc.

43) Ad §. 6. I. De interdictis.

44) Ad *Paulli* R. S. V, 6, 6. not. 30. «Cicero quidem in ora«tione *pro Caecina* multis artifi«ciis oratoriis probare nititur, «interdictum *Unde ui* etiam recte «impetratum esse a *Caecina*, qui «agrum, quo de agebatur, nun«quam possederat, at in eum «intrare nolens prohibitus erat: «sed illum iamdudum *Fr. Hoto«manus* aliique Viri eruditi refu«tarunt.»

45) l. l. p. 14. seq. p. 27. p. 35. seq.

46) l. l. p. 510. seqq.

47) Ad h. or. p. 455. seqq. p. 510.

48) l. l. p. 512. seq.

49) In *Argumento* h. or. «Re«sponderi, inquit, nullo negotio «*(Ciceroni)* poterat, in ui armis «facta, etiamsi is, qui deiicitur, «non possideat, in loco tamen «esse illum oportere: quod si, «eum iuris in eam rem nihil ha«beat, neque eam possideat, «tamen ingredi uetit, sine ulla «iniuria prohiberi ac repelli pos«se.» — Conf. ad c. 1. vs. *Si*

Quintum *Tullius* argumentum, quo proximum illud ueluti cumulo augeatur, hoc profert, reuera possedisse fundum *Caecinam.* Quo fidem faciat, uaria tentat, possessionem hereditate translatam, apprehensam a *Caecina*, denunciationem, deductionem. Certe frustra haec omnia, uti satis, opinor, suo loco apparuit [50]. Locus quintus

Caeterum hac quoque parte secundum *Caecinam* litem dederunt *Ferratius* [51]), *Garatonius* [52]), *Cras* [53]); sed *Hotomanus* [54]), *Schultingius* [55]), *Sauiuius* [56]) aliique nobiscum senserunt, et possedisse *Caecinam* strenue negauerunt. Mediam quorundam perplexamque iudicandi rationem supra perstrinximus [57]).

Extremo loco illud aduersarii refellitur, quod negauerat ciuem Romanum esse *Caecinam.* Qua parte nos haud magis quam caeteri dubitauimus *Tullii* disputationem firmam probabilemque existimare. Quid ad interdicti ius ac caussam, qua de agitur, hoc ciuitatis ius ualuerit, nos tanto accuratius supra inuestigauimus [58]), quanto magis eam quaestionem, haud inutilem profecto, ab interpretibus neglectam inueniebamus [59]). Locus sextus.

caussa more, ad c. 27. vs. *Sin autem ingredienti*, et passim ad c. 31. — Vide etiam quae supra p. 425., ibique not. 23. ex *Hotomano* attuli, et nostra p. 379.

50) Supra §. 4. p. 350. seqq.

51) *Epist.* VI, 7. p. 414.

52) Ad c. 31. vs. *Ut uero iam*, ad c. 32. vs. *Qui colonus habuit*, et ad *Argumentum Hotomani.*

53) l. l. cap. 4. §§. 3. 4. p. 31. seqq. — Conf. *Donellum* in Comm. de I. C. XV, 32. in Opp. *Lucae* Tom. IV. p. 274.

54) In *Argumento* et ad c. 14. vs. *Quod uis Caecinae*, ad c. 32. et passim.

55) l. l. supra not. 44.

56) l. l. p. 511. seq.

57) Vide §. 4. extr. — Conf. h. supra not. 30. et 38. p. 427. seq.

58) §. 6. p. 401. seqq.

59) Non sunt mihi refellendi

Conclusio. Haec est *Ciceronis* defensio, singulis partibus locisque descripta. Quae quid ad caussam *Caecinae* recuperatoribus probandam effecerit, aut, quo iure tum utebantur, potuerit tamen efficere, nos, quoad in re dubia coniecturae locus esse uidebatur, antea demonstrauimus [60]). Illud addam, qui putant, uictoriam oratorem clienti suo comparasse [61]), haud absurde aliquantulum argumenti sibi uisos esse inuenire tam in *Oratore ad M. Brutum*, in quo libro *Tullius* hanc caussae actionem sibi quodammodo gratulatur [62]), quam in epistolis illis inter *Ciceronem* et *Aulum* quemdam

qui putauerunt, possidere *Caecinam*, nisi ciuis esset, non potuisse, aut ea saltem ratione *Pisonem* in refellenda *Caecinae* possessione usum esse: ueluti *Pellitarius* (ad c. 32. vs. *Atque in hoc*, et ad c. 35. vs. *Vestri iudicii*), *Melanchthon* (*in Argumento h. or.*), quinetiam nostris diebus *Drumannus* (l. l. p. 341.); multo minus *Passeratius* existimans, ius possessionis, quo de agitur, hereditate fuisse a *Caesennia* in *Caecinam* translatum, eaque ratione coniunctam in hoc iudicio ciuitatis, hereditatis, possessionis caussam fuisse. Quem uide ad c. 12. vs. *De iure possessionis*. — De utraque opinione conf. nostra p. 402. et p. 350. seqq. — Denique nihil magis est mirandum, quam *O. Müllerum* (Etrusker T. I. p. 416.) ita *Tullii* hanc orationem commemorare, quasi totum illud iudicium de ciuitate Caecinae, neque de alia re ulla actum esset.

60) §. 5. p. 377. p. 390. seq.

61) *Marcilius* ad §. 6. I. De interdictis. *Leclerc* in *Introd. ad h. or.* p. 217. seq. *Drumannus* (l. l. p. 335. seq.). — Verumtamen *Marcilius* cum *Balduino* (*de Iurisprudentia Muciana* s. fi.) aliisque iniustam existimat *Caecinae* caussam fuisse; nec credendum *Klotzio* in Praefat. ad h. or. p. 452.

62) c. 29. «Is erit igitur eloquens, ... qui poterit parua «summisse, modica temperate, «magna grauiter dicere. Tota «mihi caussa pro *Caecina* de uer«bis interdicti fuit. Res inuolu«tas definiendo explicauimus, ius «ciuile laudauimus, uerba am«bigua distinximus. Fuit ornan«dus in *Manilia* lege *Pompeius*: «temperata oratione ornandi co«piam persecuti sumus. Ius omne «retinendae maiestatis *Rabirii*

Caecinam scriptis, ubi hic *ueterem* se *illius clientem* appellat [63]). Conclusio

« caussa continebatur. Ergo in « omni genere amplificationis ex- « arsimus.»

63) *ad Fam.* VI, 7. *ibid.* Ep. 5. 6. 8. Conf. Ep. 9. *ibid.* et XIII, 66. — Hunc *A. Caecinam* ipsum fuisse, pro quo oratio proposita est habita, *Drumannus* (l. l. p. 335. seq.) haud inualidis argumentis defendit aduersus *Orellium* nostrum, qui litem patri, epistolas filio attribuit in *Onomastico Tulliano*.

CAPUT II.

De uarietate lectionis in oratione pro A. Caecina.

Commentatoribus supra adscriptis hoc loco addendi sunt:

(F. C. Rumpf) Obseruationes in Ciceronis orat. pro Caecina loca quaedam difficiliora. Gissae 1810. 4.

Lectiones uariantes ad Orationes pro A. Cluentio, M. Caelio, A. Caecina, Lege Manilia, in L. Pisonem, pro P. Quintio, in Verrem, — in M. Tulli Ciceronis orationum pro Scauro, pro Tullio, et in Clodium Fragmentis ineditis et rel., Ed. *Amedei Peyroni*, Stuttgardiae et Tubingae 1824. 4. p. 199—213.

Variae lectiones librorum aliquot M. T. Ciceronis ex Codice Erfurtensi enotatae ab *Eduardo Wundero*, Lipsiae 1827. 8. Praefat. p. LXXIV—LXXVII. et p. 87—93.

Codices Mss **Codices manuscriptos adhuc contuli octo, quorum index sequitur.**

Parisienses **Bibliotheca regia Parisiensis tres habet, qui hanc orationem continent, in Catalogo N. 7774. 7779. 7782. Eos supra descripsi ad orationem *pro Quinctio*, ac deinceps, ut antea, designabo Pe, Pk [1]), Pm. Quorum**

1) In hoc Codice Pk. sic inscripta est haec oratio breuique Argumento instructa: «M. T. «Ciceronis oratio pro A. Caecinna.

tertius quidem, ab initio mancus[2], incipit a uerbis «*antea laborabam*» in c. 1. §. 3. Codd. Mss. Parisienses

Codex Bibliothecae R. Taurinensis Athenaei, in Catalogo (Taurini 1749. fol.) p. 168. inter Codd. Mss. Latinos sic descriptus: Codex DCVII. I. V. 1. Membranaceus, cui folia 321., saeculi XV., iconibus aureis et stemmate Cardinalis a Ruuere insignitus. Habentur in eo M. Tullii Ciceronis Orationes XXXVII., omnes uidelicet praeter Philippicas et Verrinas[3]. (Folio.) Taurinensis

In fine Codicis legitur:

M. T. C. Orationes expliciunt anno MCCCCXL. die XV. Octobris.

Nota erit: T.

Codices Ambrosiani duo, Ambrosiani

quorum prior membranaceus (in dorso: N. 96.) continet orationes pro L. Murena, S. Roscio, A. Caecina, de lege agraria duas, in Pisonem, pro C. Rabirio

«Cum Aulus Caecinna se de fun«do suo ui deiectum a Sexto «Ebutio quereretur: Agit Cicero «aduersus Ebutium de ui et ui «armata.»

2) Folium 323. continet *pro Rabirio Postumo* c. 14. vs. «ipse «custodiam uidit in uinclis» usque ad c. 17. vs. «Postumi «nummo sextertio»; in folio 324. sequitur *pro Caecina* c. 1. inde a d. uerbis «antea laborabam» usque ad c. 3. vs. «potuisti ad»; folium 325. continet ex oratione *in Vatinium* c. 12. a uerbis «ma«ledicas quotiens illius affinem «te» usque ad c. 15. vs. «spe«ctarisne id ut P. C. ex repu. «funditus tolle»; folium 326. continuat orationem *pro Caecina*, in fine folii 324. abruptam, et sic deinceps folia, quae sequuntur, excepto f. 330., quod habet pro Rabirio Postumo c. 7. vs. «nus «nec praefectus nec ex Italia» usque ad c. 9. vs. «aut pallium «sumendum Alexandriae.»

3) Asseruatur ibidem alius Codex Ms., qui solas continet *Verrinas* et *Philippicas*.

Codd. Mss. Ambrosiani. Postumo, C. Rabirio perduellionis reo, Q. Roscio Comoedo.

Post hunc Indicem in interiore parte tegumenti scriptum sequitur:

« Hae Ciceronis orationes diligenter conscriptae exti-« terunt primum Iacobi Corbinelli, mox Vincentii « Pinelli, a cuius heredibus tota eius bibliotheca Nea-« poli empta fuit anno 1609. iussu Illustrissimi Car-« dinalis Federici Borrhomaei, Ambrosianae bibliothe-« cae fundatoris. Antonius Olgiatus, eiusdem biblio-« thecae Praefectus, scripsit. »

Codex nitidus, fol. min., initialibus pictis, Saeculi XV.

Notam dedi: Ap.

Alteri, chartaceo (C. 236.), Saeculo XV. scripto, insunt in Catilinam quatuor orationes, in Rullum tres, in Pisonem, Antequam iret in exilium, Post reditum in Senatu et ad Quirites, Sallustii Inuectio in Ciceronem et Ciceronis in Sallustium, pro Plancio, pro Sylla, pro Caelio, in Vatinium, pro Archia, pro Marcello, pro Ligario, pro Caecina, Rabirio Postumo, Rabirio perduellionis reo, Roscio Comoedo.

Nota: Aq.

Monacenses. Codices duo membranacei, qui in bibliotheca regia Monacensi seruantur; Saeculo XV. exarati; quos accuratius descripsit *Wunderus* in Prolegomenis ad *Plancianam* p. II., notisque Ma. et Mb. distinxit.

Prior, Ms. Lat. 68. « ex Electorali bibliotheca Sereniss. utriusque Bauariae Ducum ».

continet 40. orationes, trigesimam quartam pro Caecina [4]), — Ma. Codd Mss Monacenses.

Alter, Cod. Membr. lat. 35. a., olim Salisburgensis, 32. orationes continet, quarum uigesima octaua pro *A. Caecina* est [5]), — Mb.

In seligenda uarietate eandem rationem atque in *Quinctiana* [6]) secutus sum. Itidem utor *Orellii* nostri prima Editione.

Cap. 1.

§. 1. atque in iudiciis] *atque iudiciis:* Ma. p. 405. v. 2

nunc deest in omnibus [7]).

cederet A. Caecina Sex. Aebutii impudentiae] A. Caecina S. Ebutii impudentiae *cederet:* Pk. 3

quam tum] *quantum:* Pe (pr. m.). Ma.

decertari] *decertare:* Pe (pr. m.). 5

iure iudicioque] *in re* iudicioque: Pk. 6

4) *Wunderus* orationes 33. numerat, uigesimam nonam *pro Caecina*. Diuersitatis caussa est, quod in Indice Codicis duae enumerantur, quas ille omittit, secunda et decima, deinde quod *in Catilinam* quatuor, *agrariae* tres numerantur, ab illo singulae tantum. Caeterum decima illa nihil aliud est nisi continuatio *Catilinariae* I. in c. 7. §. 18. vs. *Nullum iam aliquot annis;* secunda uero sic incipit: *Si quid precibus apud deos immortales.*

5) Codicum Salisburgensium numero inscribitur 34., in dorso hisce notis distinctus AA. 20. B.A.S.

6) Exposui supra p. 206 — 8.

7) Certissima ratione suppletum est e Codd. *Erfurt.* et *Oxon.* T., quinetiam auctoribus *Quintiliano* (IX, 3, 80.), *Aquila Romano* (§. 18.) *Martiano Capella* (§. 527.). Quorum hic etiam habet *in agris* pro uulgari lectione *in agro*. Illud autem ignoro, quae fuerit iusta caussa *Koppio*, ut hoc loco *Quintiliani* quoque et *Aquilae* nomen scriptori suo aduersus Ciceronianos Codices adiungeret.

Cap. 1. p. 408 v. 7. §. 2. quum] *quom:* Mb.

— 11. hoc rationis] *rationis hoc:* Pk.

— 12. quoniam si] *quomodo* si: Pk. — *quom* si: Pe. T. Ap, q. — *cum* si: Ma. — 8)

facta uis esset moribus] *Omnes.* 9)

8) Editores iamdudum omnes in lectionem *quoniam* consentiunt, leniterque ferunt quod omnis ea periodus tam uerbis quam sensu uidetur inconcinni habere. Qua de re *Rumpfius* l. l. p. 3—5. curiosius egit, atque, interpungendi rationem imprimis spectans, primo «*habuit* :» pro uulgato «*habuit*,» scribere iussit; deinde hunc esse sensum declarauit: «Aebutius forsitan arbitratus est: quoniam possessionem retinere non potuisset, si uim moribus fecisset; se nunc quoque in iudicio inferiorem fore, si caussa more institutoque omnium defendatur: quemadmodum autem *Caecina* profugerit, quia uis contra ius fit facta; ita nunc quoque in iudicio se eo facilius superiorem fore, quo impudentius egerit.» Illud addit V. D., ἀνακόλουθον esse facile ferendum, quasi Cicero scripturus fuisset, «A. Caecina uero, quia contra ius moremque facta sit, cum amicis metu perterritus profugisset», at in diuersam hanc constructionem, quam nunc habemus, transgressus sit. — Mihi uulgaris omnium paene Codicum (adde nostris *Erfurtensem* et apud *Beckium* C. H. S. χ) lectio *quom*, i. e. *quum*, *cum*, unice uera uidetur, dummodo uim *temporalem* (i. q. *tum quum*, Germ. *da, als*) particulae sublicias. Cui aptissime respondet quod in principio alterius membri habetur *nunc*. Itaque sic fere transferam: «Wenn er nicht etwa so gerechnet hat: da er bei ordnungsmässiger Gewalt den Besitz nicht hätte behaupten können, so sei Caecina, weil unrechtliche Gewalt gebraucht worden sei, geflohen; auch jetzt werden wir bei ordentlicher Processführung die Oberhand gewinnen, wenn man aber auf aussergewöhnliche Wege komme, so werde er um so eher siegen, je unverschämter er auftrete.» — De illo genere uarietatis conf. inf. ad c. 12, 35.

9) Neque in Erfurtensi neque in certo Codice ullo (*uide Beckium*) inuenio lectionem istam *non esset*, iamdudum explosam; quod autem dicunt, ante *Lambinum* eam uulgarem Editionum fuisse, ita credere licet, ut sciatur tamen, haud paucas antea fuisse, quae ueram lectionem haberent, ueluti *Heruag.* 1534. *Ascensii* 1511. 1522. 1527. 1531. *Aldi* 1519. *Venetiis* 1499. (*de Zanis.*) 1480. (*Nicol. G.*) 1472. (*Adam Ambergau.*)

moremque] *moresque:* **Ma.** Cap. 1. p. 408. v. 13.
omnium] *hominum:* **T.** — 15.
sin a consuet.] sin *e* consuet.: **Ap, q. Mb.**[10] — 16.
aut nos non] *aut non:* **Omnes.** — 18.
tum audaciae] *cum* audaciae: **Pe. T. Ap.** — 19

§. 3. **atque initio]** Ad priorem uocem in margine *Ap.* corrigendi caussa habet: *neque.* p. 409. v. 2
tum in nostris] *tunc* in nostris: **Pk.** — tum in *uestris:* **Ap. Mb** (pr. m.). — 3. 4.
falsi aliquid] *aliquid:* **Pe** (pr. m.), m. **Ma.** — 5.
iis siue] *his* siue: **Ma.** — 8.
creditur creditur] *creditur:* **Omnes excepto Ma.**, ubi legitur *crederim.*[11]) — 9.
hoc ipsum quod nos arguimus] Desunt in **Ma.**
habetur] *habeatur:* **Ma.**

Cap. 2.

§. 4. **considero]** *desidero:* **Ma.** — 11
negassent] *negasset:* **Pk.** — 14
tum ab se] tum *a* se: **Ma, b.** — *tamen* ab se: **Pk.**[12]) — 16.
sperarunt] *sperarent:* **Pk.** — 17.

10) Hanc lectionem, a *Klotzio* receptam, merito reiecisse uidetur *Orellius* in *Oratt. select. XV.*

11) Ad optimam illam *P. Fabri* coniecturam uidesis exempla ab ipso allata, et hic infra ad c. 5, 14. not. 44. *Vulgatam* aduersus *Orellium* defendit *Klotzius* in *Seebode Annal.* 1833. T. VIII. p. 31.; mox in Ed. tacite reliquit.

12) *Klotzius* hanc lectionem ex Erf. recepit, eique *Orellius* non in textu quidem alterius Editionis, at in *Emendandis* obtemperauit. Tantundem facerem, si praecederet «quod iure fieri *non* «potest«; uti nunc est, «quod «*nullo tempore* iure fieri potest», magis placet ut sequatur: «*tum* «ab se iure factum esse defende-«rent.» Conf. *Klotzii* Praef. p. XV.

Cap. 2

p. 409 v. 17. se iniecturos] *iniecturos se:* Pk.

— 21. §. 5. mihi esset] mihi *erit:* Pk.

— 22 esse me defensorem] esse *ne defensorem me* (*ne* expunctum): Pe.

— 23 quum sunt] cum *sint:* Pk.

in actore] in *actione:* Pk. — in *auctore:* Pe (pr. m.), m. T. Ap, q. Ma, b.

— 24. requiratur] *requirat:* Mb. — requiratur *a reo:* Pk.

— 25 de eo iure] *de iure:* Pk.

dicendum sit quod] *dicendum quod:* Pe. Ap, q. Ma.

— 27 deminuta] *diminuta:* Pe, m. T. Ap, q. Ma.

uis ea] uis *est:* Pm. Ma.

quae iuri] quae *iure:* T (*sec. m.*).

maxime est] *est maxime:* Pm.

— 28 uideo] *uide:* Pm. T. Aq. Ma.

— 29. demonstretur] *demonstraretur:* Pe, m. T. Ap. Ma.

— 30 omnes] *omnis:* Pe. Ap. Ma.

arbitrentur] *arbitrarentur:* Pe, m. T. Ap. Ma, b.

— 32. §. 6. tam propter] *propter:* Pm. T. Ma.

— 33 uidetur] *uideretur:* Aq.

— 35. acquisisse] *acquisiuisse:* Pe, m. T. Aq. Ma. 13) (*adq.* in Pm. et Aq., *aq.* in Ma.)

13) *Guilielmii* coniectura *anquisisse*, quam *Klotzius* in textum recepit, merito caeteris parum necessaria esse uidetur. Nam quod *Varro* de L. L. VI, 79. (Ed. *O. Müller*) scripsit «*Acqui*«*rere* est ab *ad* et *quaerere*; «ipsum *quaerere* ab eo quod *quae* «*res* ut reciperetur, datur opera»; ita uerum puto, ut, siue uerbi compositionem spectes siue usum sermonis, haud magis sit mirandum, aliquando *quaerendi* notionem proprietatemque praeualere quam *obtinendi* seu *adipiscendi*. Quamquam nolo aspernari, quod *Forcellinus* s. v. *Anquiro* ait: «Critici fere omnes queruntur, «hoc uerbum passim a sciolis et «librariis indoctis corruptum esse «et in *inquiro* aut *acquiro* per«peram mutatum.»

consuetudinem] *consuetudine:* Pm. Ap. Ma. Cap. 2 p. 409 v. 36

similes] *similis:* T. Ap. Ma. — 37

magis etiam] Omnes. [14]) — 38

propterea quod] *quod:* Pe, m. Ap. Ma. — 40

quod et ad] *quod ad:* Pe. — 42

§. 7. max. et maturissime] *max. maturissime:* Pk. — max. et *maturrime:* Ma. [15]) p. 410 v. 1

uindicanda] *iudicanda:* Omnes. [16])

at ea in qua] *ac* ea *de* qua: Pk. — *ac eadem quae:* Pe. T. Ap, q. Ma, b. — at *eadem quae:* Pm. [17])

existimationis] *aestimationis:* Pk, m. Ap, q. — *extimationis:* T. Mb.

periculum est] *periculum:* T. — 3

Cap. 3.

uerbo se uno] uerbo *uno se:* Pm (pr. m.). — *se uno uerbo:* Pk. [18]) — 5

14) Vulgarem hanc lectionem aduersus *Weiskii* coniecturam «magis *iam*» apte defendit *Rumpfius* l. l. p. 5. seq.

15) De ea forma Superlatiui curiose tractauit *Iordanus* l. l. p. 11.

16) Certissima ratione *Orellius* priorem illam lectionem ex Erf. et Palimps. Taur. recepit, eumque *Klotzius* secutus est. — De sententia potius quam de uerbo conf. *de Inuent.* II, 20. «Eiusmodi sunt iniuriae, ut de his «indignum sit non primo quoque «tempore iudicari.» — De lectione conf. infra c. 3. §. 8. et *Iordan.* l. l. p. 11.

17) *Palimpsestus Taurinensis* habet prima manu: «*Ad* (at) *de* «*eadem hac quia existimationis*», secunda manu: «*Ad* (at) *eadem* «*quia existimationis.*» Illam *Klotzius* recepit atque in *Praefat.* p. VII. defendit, hanc *Orellius* in altera recensione suadente *Klotzio* (in *Emendationibus Tullianis* p. 10.) praetulit. *Equidem fateor*, magnopere me Palimpsesti auctoritate pristinaque forma commoueri, quum praesertim per errorem corrigi facilius quam nasci haec lectio potuerit. — *Erfurt.* = Pm.

18) *Palimps. Taur.*: «uerbo

Cap. 3. p. 110. v. 6. facit] *faciat:* T (pr. m.). — *fecit:* Pk.

iudicis] *iudiciis:* Pe (pr. m.), m. Ap. Mb. [19])

— 7. aut rem mand.] *ut* rem mand.: Ma.

rationem] *ratione:* Mb.

— 8. maius est] *est maius:* Pk.

— 9. §. 8. ex facto quidem turpi] *et* facto quidem *turpe:* Omnes. [20])

— 12. uindicari] *iudicari:* Pe, k, m. T. — *uendicari* Ma. [21])

«se *obligauit uno si* id non» rel., quam a *Peyrono* commendatam, *Klotzius* recepit integram, atque in *Praefat.* p. VIII. (sicut antea in *Emend. Tull.* p. 11.) defendit. De collocatione quidem uerborum concesserunt *Iordanus* (l. l. p. 10.) et *Orellius*, de iteranda particula *Si* merito repugnasse mihi uidentur. Quamquam nihil est profecto, quod *Orellius* adiecit: «Cum orator per *uerbum unum* aut «Si aut Ni intellexisset, quibus in «sponsionum formulis utebantur, «glossator *Si* adscripsit»: immo intellexit orator uerbum SPONDEO et quae sunt in stipulationum formulis similia. Exempla habes supra p. 403. not. 5.

19) *Iordanus* l. l. p. 10. tradit, hoc mendum etiam in Cod. Vindob. B. extare, sicut in Erfurt.

20) Sic *Erf.* quoque et tres *Vindobb.*, denique noti Codd. omnes praeterquam *Palimps. Taur.*, unde *Orellius* (in Ed. 1.) et *Klotzius* praefixam illam lectionem receperunt. Sed *Iordanus* (l. l. p. 10. seq.) et *Rauius* (Var. Lection. ad Ciceronis orationes Lugd. Bat. 1834.8. p. 64—66.) e Latinitatis ratione et Virorum doctorum auctoritate desiderauit hic, ille uero flagitauit, ut particula *Et*, quam Vulgata habet, retineretur, atque sic legeretur: *Et ex facto quidem turpi*. Quod nisi placeat, aut Vulgatam retinendam aut in Palimpsesti scriptura *Et* pro *Ex* corrigendum esse, *Iordanus* censuit. Mihi satis speciosa uidetur communis eorum sententia. — *Hotomanus, Lambinus, Manutius, Muretus:* «Et *factum* quidem «turpe»; *Leclerc* et *Nisard:* «*E* «facto quidem turpe.»

21) Huius uarietatis plane eadem est caussa ac paullo superius in §. 7.: tantum quorum Codd. consensus illic auctoritate duorum meliorum superabatur (conf. not. 16.), ii iam ipsi sunt hoc loco diuisi. Nam ueram lectionem h. l. praeter nostros Ap, q. et Ma, b. habent etiam *Vindobonenses* tres apud *Iordanum* l. l. p. 11.

Ac si] *At* si: Omnes. In Pe. sec. m.: *Ac.* [22]) Cap. 3. p. 410 v. 12.
mihi hoc] mihi *haec:* Pe.
recuperatorue] recuperator *ut:* Pm. T. Ma.
leuiore] *leniori:* Pk. [23]) — 13
potuisti ad] potuisti *enim* ad: Pe (pr. m.), k.
tamen is] *tum* is: Pk. — 15.
persequar] *prosequar:* Ma. (sicut p. 409. v. 15. *prospicua*). — 17

§. 9. benignitati] *bonitati:* Pk, m. [24]) — 22
qui aut] *aut qui:* Pm. T. Ap, q. Ma, b. — 25
armatis hominibus] *hominibus armatis:* Pk. [25])

22) «*Ac*», commendatum ab *Ernesto*, receptum a *Schützio*, in dubium uocatum a *Wolffio*, retinuerunt, Codd. *Erfurtensi* et *palimps. Taurinensi* freti, *Orellius* et *Klotzius*, probante *Iordano* (l. l. p. 11.). Quae lectio, ut uerum fatear, apud me auctoritate magis quam ratione ualet, nec confirmari uidetur illo, quod sequitur, *tamen*. — Tres *Vindobb.* cum nostris concinunt. — Caeterum hoc *Orellio* non probauit *Klotzius*, e *Palimps. Taur.* etiam recipiendum esse *qui* pro *quis*.

23) Conf. paullo inferius §. 9., ubi noti Codd. omnes habent «leniorem», excepto nostro Pk., ac *Iordani* (nisi forte aut auctor aut typotheta errauit) tribus *Vindobonensibus*. At in loco hic supra exhibito omnes Codd. in Adiectiuum *leuis* consentiunt. Atque huic diuersitati *Klotzius* (in Praef. p. IX—XI.) certum oratoris consilium insignemque amoenitatem inesse censuit, et ad exemplum *Lallemandi* hoc loco *leuiore*, infra *leniorem* edidit. Caeteri uero alterum locum alteri accommodandum esse semper putauerunt. Itaque *Orellius* in priore editione, more antea usitato, *leuiore* et *leuiorem* scripsit. Deinde *Iordanus* (l. l. p. 11—13.) acute ac copiose docuit, e proprietate et usu uerborum utrobique Adiectiuo «*lenis*» unice locum esse; atque eum auctorem *Orellius* in altera recensione secutus est. — Nihil repugno: quamquam neque adeo necessitatis esse eam rem arbitror neque plane contemnendum illud «*graue iudicium*», quod exemplum *Orellius* e cap. 9. *pro Q. Roscio* attulit.

24) Conf. *pro Quinctio* c. 17. §. 54.

25) Haec uerborum collocatio quum etiam *Erfurtensis* et *Pal.*

Cap. 3 p. 410 v. 24 leuiorem] *leniorem:* Omnes excepto Pk. [26])
demonstrare possit] *demonstrare:* Pe, m. T. Aq. Ma.

Cap. 4.

— 30 iam uobis] *uobis:* Pk.
— 31. auferam] *afferam:* Omnes.
— 32. §. 10. Et si] *Quod* si: Pk.
— 33 eius de quo] *et ius* de quo: Omnes. Sed in Pe. et Mb. correctum est: *is* de quo, in Aq. *uis* de *qua*. — [27])
p. 411 v. 4. Tarquiniensi] *Tarquinensi:* Pk. T.
— 5. cum primis] cum *in* primis: Pk.
et Romae] *tum* et Romae: Pk.
— 6 eodem e municipio] *eodem municipio:* Pk.
— 8. multis ipse rebus] Sic omnes. [28])

Taur. habeat auctoritatem, merito a *Klotzio* et in altera Ed. ab *Orellio* recepta est. Quae de praestantia sermonis ille in *Praef.* p. IX. addidit, ea parui facio. Inuersi ordinis exemplis addi poterunt *pro Tullio* c. 9. et 27.

26) Vide supra not. 23. — Parum accurate *Lallemandus* ad lectionem *leniorem* adnotat: « Ita « nostri Codd. »

27) Recte *Klotzius* et in altera recensione *Orellius* uulgarem Codicum lectionem illam restituerunt, quae nihil habere uidetur neque inepti neque foede superflui, quod coniecturae locum facere potuerit. Nam uerissime *Klotzius* (in Praef. p. XI. et in Adnotatione ad h. l.) monuit, tribus illis uerbis etiam res satis distinctas tres significari, uidelicet *ius commune*, *ius Caecinae* et *caussam*, *quae agitur*, interdicto, formula, defensionibus litigatorum constitutam circumscriptamque. Quam praefixi lectionem, coniectura est *P. Fabri*, quam plerique deinceps secuti sunt, ingeniosa quidem illa, quinetiam lenis et modesta, dummodo teneatur, *Ciceronem*, ut *Quintilianus*, *Priscianus* aliique tradunt, « *eiius* » scribere solitum esse.

28) *Erf.*: *ipse multis rebus*, et ita *Klotzius* et in secunda *Orellius* edere coeperunt. Dubito.

in morte sua] *in morte:* Ma. — 29) Cap. 4 p. 411 v. 10.

§. 11. illis difficillimis] *illius* difficillimis: Pe, m. T. Aq (pr. m.). — *illius difficillimae:* Ma. — 30)

dote uxoris] Sic omnes. 31)

esset res] *res esset:* Pk. — 11.

curauit ut in] *curauit in:* Pe, m. T. Aq (pr. m.). Ma.

moritur] *mortuus:* Pm. T (pr. m.). Ma. 32) — 13

usumfructum] Sic omnes. 33)

ut frueretur] Desunt in Pk. — 16.

§. 12. iucundus] *iocundus:* Ma, b. 34) — 17

29) Unus praeterea Oxon. χ. uocem *sua* omittit. Qua de re *Ernestus* notat: «*Sua* uidetur «esse a glossa. *In morte* est alibi «*moriens*. *Mors sua* aliud est, «et ab h. l. alienum: nempe *mors* «*naturalis*, cum quis fato obit, «non per uim etc.» Quasi uero non possit idem uocabulum tum praegnante quodam sensu, tum uulgari et simplici usurpari: Conf. pro *Quinctio* c. 4. Quid multa? *Beckius* eiecit «*sua*», *Schützius* «*suo*» scripsit, ut cum uoce «*testamento*» coniungeretur. *Orellius* tacito sanoque iudicio Vulgatam retinuit, *Klotzius* ita etiam defendit, ut iu apicibus iuris rem uersari simularet, denique facete nugas nugis expelleret.

30) «*Difficillimae*» pro uulgato *difficillimis*, commendatum a *Lambino* et nuper a *Rauio* (Var. Lect. Lib. II. p. 180.), *Orellius* in Ed. 2. recepit. Olim *P. Faber* et *Passeratius* Vulgatam defenderunt, hic etiam exemplis allatis, sed parum idoneis. *Ernestus*, *Beckius*, *Schützius* eandem retinuerunt, item *Klotzius*, qui meliora quoque exempla *promisit*. — *Hotomani* coniectura «difficillimis *solutionibus*» nemini placuit. — Praeterea *Rauius* l. l. ad totum hoc principium §phi 11. haec habet: «Distinctio ponenda est post *uendidit*. Verba *Temporibus* — «*solutionis* ad sequentia perti«nent, quibus ratio redditur il«lius uenditionis» et rel.

31) *Klotzius* et in secunda *Orellius* ex *Erf.* edidere: *uxoris dote*.

32) Verba *Moritur . . . praetermittam* extant apud *Quintilianum* IV, 2, 49.

33) Ex *Erf. Klotzius* et *Orellius* in secunda: *usum et fructum*.

34) Sic *Erf.* quoque.

Cap. 4 p. 411. v. 20 fortuna ademit] *ademit fortuna:* Ma.
— 22. bonorum maiorem] *maiorem bonorum:* Ma. 35)
in partem] *impartem* (in litura): Ma. 36)
mulieres] *mulieris:* Pm. T.

Cap. 5.

— 23 §. 13. Quum esset haec] cum *essent* haec: Pm.
auctio hereditaria] Desunt in Pm. et Ma.
in eius] Sic omnes. 37)
— 26 aliquo suo: *aliquo:* Pm. T. Aq. Ma.
— 27. susciperet] *acciperet:* T. (in margine: «al. *susciperet.*»)
eo quoque] *quoque eo:* Omnes. 38)
in his rationibus] *in actionibus:* Mb. (in margine: «uel *his rationibus.*»)
— 28. se ipse] *sic* ipse: Pe.
intrudebat] *intro dabat:* Mb. 39)
— 31. §. 14. iam e] iam *ex:* Pk, m. Ap, q. Ma.

35) Sic ex *Erf. Klotz.* et *Or.* 2. De lectione taceo, at interpretationem uidetur *Klotzius* peiorem secutus esse (in *Argum.* p. 1).

36) Merito reiecta est *Ernesti* coniectura *in partitionem*, quam *Schützius* recepit, adeoque, si Diis placet, de *iudicio communi diuidundo* cogitauit. Vulgatam *Wolffius* retinuit quidem, at male interpretatus est.

37) Olim uulgo edebatur *eius in*, quod apud *Ernestum* quoque et *Schützium* habetur, — nulla, uti iam apparet, Codicum culpa. *Beckius* suadente *Garatonio* scripsit *in eius*, et ita extat etiam in *Pal. Taur.* et in *Erf.*

38) Praefixa lectio, olim *Weiskii* coniectura, iam auctoritate Codicum *Erf.* et *pal. Taur.* stabilita.

39) Hanc lectionem *Klotzius* et in secunda *Orellius*, auctoritate *Erf.* et *P. T.* ducti, receperunt, ille etiam summopere defendit in *Praef.* p. XII., in *Adnotatione* et antea in *Emendd. Tull.* p. 12. seq. — Sed quicquid dicat de consuetudine sermonis, si exemplis carendum est, malo Vulgatam.

uita cognoscitis] *cognoscitis uita:* Omnes. [40] Cap. 5. p 441. v. 31.

recuperatores] *reciperatoris:* Ap, q. Mb. — *reciperatores:* T. Ma. [41]

cognitoris] *cognotoris:* T. Ap, q. — 32.

conciti ad rixam] conciti ad *regiam:* Omnes. [42] — 33.

40) Recte *Orellius* et *Klotzius* ex *Erf.* et *P. T.* correxerunt, *Weiskii* uero coniecturam *cognouistis* praetermiserunt, de qua *Rumpfius* l. l. p. 7.: «Non memi«nisse uidetur, quod *cognoscere* «non solum significet, *notitiam «alicuius acquirere*, sed etiam, «*notitiam alicuius habere.*» Conf. *Iordan.* l. l. p. 13., ubi scite praeterea disputatur aduersus *Orellii* illud, quod coniecit, *Quotidianam uitam* h. l. ipsum titulum esse mimi alicuius deperditi, in qua personae *Aebutio* similis primariae partes essent. Qua de re conf. *Klotzii Emendd. Tull.* p. 12.

41) Alias omisi, quae ad meram scripturae formam pertinerent.

374) Sic *Erf.* et 5.*Oxx.* et Edd. meae omnes ante *Lambinum*, tantum in *Ascens.* 1511.: *Unde deiecti.* Itaque recte *Klotzius* v. *tu* eiecit, ad sententiam quoque superfluum. — Caeterum tota haec periodus inde a vv. *Hoc enim intelligitur* non solum in Edd. uett. ante *Aldum* (partim etiam postea) speciem praebet uarie corruptam, sed etiam hodie uidetur tam interpretum (conf. *Wolff.*, *Osiandr.*, *Leclerc.*) intellectu quam Editorum interpunctione laborare. Quippe sic distinguo: «Hoc enim intel-«ligitur (h. e. das ist verstanden): «UNDE DEIECISTI, *siue ex quo lo-«co siue a quo loco.* EO RESTI-«TUAS. Hoc iam simplex est: *in «eum locum restituas:* siue ex «hoc loco» rel.

375) Quicquid de ea lectione statuatur, certe non debuerunt *Ern. Beck. Or. Klotz.* sic distinguere «Ut si qui ex *alto*, *quum*» rel., immo recte *Schütz.* «Ut si «*qui*, *ex* alto quum» rel.

376) Item *Ox.* χ. — Conf. *sup.* ad c. 13, 38. p. 469. not. 153. et ad c. 29, 84. p. 513. not. 354.

uim uerborum] Sic omnes.[377] Cap. 30. p 434 v 12.

postulat ut] postulat *aut:* Pe (corr. fort. a pr. m.), m. T. Aq. Ma. – 13

a quo loco] a quo *locus:* Pe.

unde delectus] Sic omnes.[378]

hoc postulat u. i. e. l. l. restituatur] Desunt in omnibus.[379] – 14

Cap. 31.

§. 89. nos eo] *eo nos:* Pk.[380] – 15

tum res] *tam* res: Omnes.[381]

ui hominibus] *in* hominibus: Pe Ap, q (pr. m.). Ma. — In *Aq.* a sec. m. deletum v. *in.* – 17

delecerit] *deieceris:* Ap, q. Ma.

quid ages] quid *ageres:* Pe, m. T (sec. m.). Ap, q. Ma. — quid *ageret:* T (pr. m.).[382]

persequere] *persequerere:* Pe, m. T (sec. m.). Aq. Mb. — *persequare:* Ma.[383] – 18

377) *Klotz.* (conf. *Praefat.* p. XXXIX.) et *Or.* 2. ex *Erf.:* *uerborum uim.* Recte, ut opinor.

378) *Erf.:* electus. Conf. not. 376.

379) Haec uerba ex solo *Erf.* feliciter sunt restituta. Prorsus desunt in Edd. meis ante *Lambinum.* Ab hoc coniecturae incipiunt, de quibus iam nil attinet quaerere.

380) Itidem Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499. et *Iunt.* 1515.

381) Sic *Erf.* et *Oxx.*, nec aliter, quod sciam, ullus Cod. Pariter Edd. meae ante *Ald.* 1519. Attamen illam lectionem inde a *Beckio* nemo ne commemorauit quidem; quod non intelligo quam habeat rationem. Immo quum a *uerborum* disputatione (quae iam absoluta est) transitur ad nonam *de re et iure*, uidendum, ne etiam magis conueniat, *sententia subiuncta* illam respicere, *directa* autem hanc introducere, quam pari quodammodo dignitate (adhibitis vv. *quum - tum*, *et - et*, *tam - quam*) utramque rem constituere.

382—385) Similem habet *Beckius* Codd. uarietatem; sed in *Erf.* quoque quater est *Fut. Indic.*, et hoc secundum *Ald.* 1546.,

Cap. 31. p. 434 v. 18. si qui] si *quis:* Aq (sec. m.).

– 20 Quid ages] Sic omnes.[384]

utere] *uterere:* Pe. Aq.[385]

praetor interd.] *p. r.* interd.: Pe, m (ppis. r.). T. Ap, q. Ma, b.[386]

– 22. quum illud] *tum* illud : T. Ma.

– 23. tu r. sis iussus] tu r. sis *usus:* T. — tu r. sis *ius:* Aq (pr. m.). — In *Pe.* vv. *tu* et *iussus* in litura.

– 24. si e uestib.] *siue* e uestib.: Pm. T (pr. m.). Ap, q. Ma. — *siue ex* uestib.: Pe.

quam si] *quasi:* T.

interiore] *interiori:* Ma.

– 25. §. 90. Ut uero iam] *At* uero iam: Pk. — Ut uero iam *te:* Ma.

– 26 iudicetis] *iudices:* Pe, m. T (pr. m.). Ap, q (pr. m.). Ma (*iud.*).

obrutis] *obruptis:* Pk. — *e brutis:* Pe. T. Ap. Ma. — *ex brutis:* Pm.

– 27. eum deiici] *illum* deiici.: Pm.

– 30. in l. def. falsa sint] *sint in l. def. falsa:* Pk.

– 32.33 nisi qui in eo lo. fu.: nunc, qui po., eum, et. si non fu. in eo lo., deiici posse concedis] nisi *in dubium esse etiam* posse concedis: Omnes

Lamb. 1566. etc. recte *Ernestus* et deinceps caeteri uidentur restituisse. *Imperf. Coni.* seruatur in Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499. *Iunt.* 1515. *Ascens.* 1531. *Heruag.* 1534. *S. Gryph.* 1536. etc. — Hae autem bis prius habent *Imperf. Coni.*, deinde bis *Fut. Indic.*: *Ascens.* 1511. 1522. 1527. *Ald.* 1519. *Crat. Iunt.*(1537.)*Camer. R.Steph.* (1543.) etc.

386) Conf. *sup.* ad c. 29., 82. p. 512. not 348.

excepto *Mb.*, in quo haec omnia et reliqua usque ad finem h. §phi desunt.[387]) Cap. 31. p. 434. v. 33.

§. 91. aut in illud] *aut illud:* T. — 34.

me ui deiecit] *ui me* deiecit: Pk. — 35.

si deiici] *deiici:* Ma.

coactisue] *coactisque:* Pm. p. 435 v. 3

quisquam] Sic omnes.[388]) — 4.

uincere sponsionem] Sic omnes.[389])

Cap. 32.

§. 92. eiusmodi] *huiusmodi:* Pk. T. — 9

atque uim] *aut* uim: Omnes.[390]) — 9. 10

diiuncta] *deiuncta:* Omnes, sed in *T.* incertum — 10.

387) Sic etiam *Erf.* et *Oxx.* Item Ed. *Ascens.* 1511. et (omisso tamen v. *in* ante *dubium*) *Ven.* 1472. 1480. 1499. — Ex illa scripturae forma et ductibus *Or.* 2. primus sic edidit: «nisi *inde, ubi* «*tum esset: iam* posse concedis»: qua coniectura quum nihil, meo quidem iudicio, possit esse neque praestantius neque certius, iam taedet in re explorata caeterorum tentamina recensere. Horum autem qui uoluerit originem et naturam cognoscere, praecipue inspiciat Edd. *Iunt.* 1515. *Ald.* 1519. *Ascens.* 1531. *Heruag.* 1534. *Ald.* 1546. (fort. 1540., cf. *Or. Ind.* p. 243.) *Lambin.* 1566. 1584. *Graeu. Klotz.*

388) Recte *Klotz.* (cf. *Praef.* p. XXXIX.) et *Or.* 2. primi ex *Erf.*: *quispiam.*

389) Etiam *Erf.*, *Oxx.*, tum Edd. meae ante *Lambinum* omnes et inde a *Graeuio* pleraeque. Sed *Lambin.*, *Grut.*, *Oliuet.*, *Lallem.*, *Klotz.* (cuius uide tamen *Adnot.*) etc.: *sponsione*, quod ut reiiciatur, iustam caussam esse puto Codd. auctoritatem, non sensus necessitatem. Conf. *supra* L. I. C. 1. §. 1. p. 30. not. 35. — Eadem quaestio recurrit *h. inf.* c. 32, 92., not. 395.

390) Sic etiam *Oxx.* 2. (fort. 6.) et Edd. ante *Graeuium* pleraeque. *Ald.* 1546.: *ac uim. Lamb.* etc.: *et uim.* — *Ven.* 1472. 1480. 1499.: *aut per uim*, quam lectionem, omnium pessimam, *Ernestus* restituit. Conf. *Beckii* notam. Secundum *Graeuium* hic et deinceps caeteri ex *Erf.* ediderunt: *atque uim.*

Cap 32 p. 435 v. 10 an *deuincta*; in *Aq.* autem a sec. m.: *seiuncta.*[391])

— 12 possit quum po.] possit *eum* cum po.: T. Aq.— *posset eum* cum po.: Ma.[392])

tum deiectum] tum *eiectum:* Pe, m. T. Ap. Ma. b.[393])

— 13 po. ut nec ui nec clam nec pr.] *po. nec* ui nec clam nec pr.: Pe, m. T (pr. m.). Ap, q (pr. m.). Ma. — *po. ne* ui *ne* clam *ne* pr.: Aq (sec. m.).[394])

— 14 saepe confiteri] *confiteri:* Pk.

— 15 uel etiam quum hoc] *uel cum* hoc: Pk. — uel etiam *eum* hoc: Pm.

— 16 sponsionem] *sponsione:* T. Ap, q. Ma, b.[395])

391) Est in *Erf.* quoque et in 5. *Oxx. deiuncta*, item in Edd. *Ven.* 1472. et 1480. Caeterae meae ante *Lambinum* omnes: *deuincta.* Hic restituit *deiuncta*, quod deinceps uulgo habetur. *Beck.*, *Schütz.*, *Or.* 1. et 2. ex *Ox. T.* et *Ernesto* monente scripserunt *diiuncta*, sed *Klotz.*, uix idonea ratione, tacite reposuit *deiuncta.*

392) Quod *Klotz.* (cf. *Praef.* p. XXXIX.) et *Or.* 2. secundum *Erf.* primi scripserunt *potest*, satis uidetur probabile. Sed difficilius est statuere, numquid ueri in ductibus illis *eum* lateat, ueluti *etiam.* Qui uidendum ne etiam in *Ox.* uno alteroue compareant.

393) Sic *Erf.* quoque et 6. *Oxx.* et Edd. meae ante *Ald.* 1519. — Conf. *sup.* C. I. §. 5. p. 400. et ad c. 13, 38. not. 153.

394) Deest v. *ut* etiam in *Erf.*, in 5. *Oxx.* et in Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499., sed iam in *Ascens.* 1511. et deinceps ubique e Codd. suppletum est. Quod manifestum fuit ex frequentissimo omissionum genere mendum, id *Klotzius* in textum denuo reuocauit, atque etiam exemplis quibusdam, haudquaquam, ut opinor, idoneis (*h. sup.* c. 18, 53. et c. 27, 79.), istam suam emendationem defendit in *Praef.* p. XL.

395) Sic *Erf.* et *Oxx.* et Edd. inde a *Ven.* 1472. 1480. 1499. (ubi extat *sponsionem*) meae quidem omnes. *Ernestus* et seqq. restituerunt *sponsionem*, excepto *Klotzio*, quem poenitet tamen *sponsione* edidisse (conf. *Adnot.* ad c. 31, 91.). — Equidem nihil nouauero, sed uidesis quae scri-

ab se illum] *a* se illum: Pk. Mb.[396]) Cap. 32 p 435 v 16

§. 93. qui sine armis] *qui armis:* Omnes. In *T.* pr. m.: qui *armatis.* — 18

uoluerint] *uoluerunt:* Pe. T. Ap. Ma. b.[397]) — 19

hunc uero qui ab iure] *hunc qui a* iure: Pk.

destitutum] Sic omnes.[398]) — 20.

ut qui armatus] *qui autem* armatus: Omnes. — 20 21.

inermis] Sic omnes.[399]) — 22

interdicta] *dicta:* Ma.

ecquid] *et quid:* Pe, k. T. Ap. Ma, b. (quinquies.)[400]) — 23-24

hoc additum] Sic omnes.[401])

psi ad d. §. 91. *h. sup.* p. 521. not. 389.

396) Quemadmodum *h. l.* in caeteris Codd. et in Edd., quod sciam, omnibus legitur *ab se*, ita etiam in c. 45. *pro Tullio.*

397) Sic *Erf.* et *Oxx.*, ut uidetur, omnes. Certe in Edd. meis ante *Lambin.* 1566. non inueni *uoluerint*, quod denuo primus recepit *Or.* 1. suadente *Ernesto*, deinde *Klotz.* seruauit. In sola *Ven.* 1472. inueni compendium illud, e *Waldarf.* enotatum.

398) Idem est in *Erf.* et *Oxx.* et in Edd. meis ante *Iunt.* 1537., excepta *Iunt.* 1515. Quarum in utraque habetur *destitutumque*, et inde ab illa in plerisque. Sed *Ernestus* Codd. lectionem restituit, partim quod ea dicendi figura optimis exemplis constaret (*in Verrem* V, 42, 110. II, 30, 74.), partim quod addito uoc. *que* clausula hexametri nasceretur (Conf. *Martian. Capell.* V, 517.). Quae quum *Beck.*, *Schütz.*, *Leclerc.*, *Or.* essent secuti, contra *Klotz.* adeo contempsit, ut allata falsa dd. Codd. auctoritate alienissimisque quibusdam exemplis, e c. 27, 78. arcessitis, non modo v. *que* reponeret, sed etiam iniiceret, mero errore apud *Or.* 1. omissum esse. Conf. *Praef.* p. XL.

399) *Klotz.* et *Or.* 2. ex *Erf.*: *inermus.* — Vide *sup.* ad c. 12, 33. p. 462. not. 119.

400) Conf. *sup.* ad c. 30, 86. ibique *Or.* 1. in nota aduersus *Huschkium* (ad c. 29. *pro Tullio*) directa.

401) *Erf.*: *in* hoc *sit addictum*, ex quo *Or.* 2. prius: *in hoc sit additum*, tum recte *Klotzio* obtemperauit, qui scripserat: *hoc sit additum.*

Cap. 32. p. 435. v. 23. possederit] Sic omnes.[402])

— 26. §. 94. ego in hoc Caecinam] *in hoc Cecinnam ego:* Pe.

— 27. tametsi] *tamen etsi:* Aq (pr. m.).

— 29. propter usumfructum] Sic omnes.[403])

— 31. quum idem] *eum* idem: Pe, m. T. Ma.

dubium est quin] dubium est *ne:* T. Sed in margine: « *quin.*»[404])

— 32. col. in fundo] *col. fundo:* T. Ap, q. Ma, b.

p. 436. v. 3. §. 95. denuntiabas] *denumptias:* Ma.

— 5. amic. etiam de ipsius C. Aq.] amic. *de his qui de Aq.:* Omnes; modo in Pk. et Ma. *iis* pro *his;* deinde in Pk. post v. *amicorum* est spatium uacuum 5. circiter litterarum, et in margine adscriptum: « Deest aliquid.» — In *Ma.* deest v. *de* ante *amicorum.*[405])

402) Etiam *Erf.* et *Oxx.:* nec tamen omnino contemnendum, quod *Beckius* refert in Ed. *P. Manutii* haberi *possideret.* Conf. *sup.* C. I. §. 2. p. 293. seqq.

403) Mera coniectura *Lambinus* legi iussit *per colonum*, et ita edidere *Oliuet., Lallem.* etc.; tum *P. Faber* maluit haec vv. deleri. — Sed quam illi animo conceperunt iuris necessitatem, prorsus uanam esse solidaeque rationi contrariam, supra docuimus C. I. §. 4. p. 342 — 50. — Quem statim postea *Lallem.* appellat *optimum Cod.*, quo auctore *quia* pro *qui* dedisse se profitetur, eum uereor ut V. D. umquam uiderit.

404) Quod *Beckius* tradidit, Edd. *Ven.* habere « dubium *non* « est », neque in *Ven.* 1483. inuenitur (teste *Or.* 1.), neque in 3. meis *Ven.:* equidem nusqnam inueni nisi in *S. Gryph.* 1536. et *Iunt.* 1537. Fortasse dixerit aliquis, in suprad. lectione Cod. T. latere *dubiumne.* — De interrogatoriis eiusmodi sententiis conf. h. *sup.* ad c. 24, 67. 69.

405) Similis in *Beckii* Codd. uarietas. *Erf.:* *amic. de his de aquili.* — Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499.: *amic. de his qui Aq.*; *Ascens.* 1511.: « amic. *dictis qui de* « Aq. sent. responderant. » — *Iunt.* 1515.: « amic. *etiam* de *ip-* « *siusque* Aq. sent. responderit.» — *Praefixa* habetur in *Ald.* 1519. et deinceps ad hunc usque diem.

responderat] responderat *et ad eum:* Omnes (sed in *Aq.* expunctum τὸ *et.*).[406] Cap. 32. p. 436 v 5.6

Cap. 33.

querar] *tangam:* Pe. — *raro:* Reliqui; sed a sec. m. in *Aq.* quidem expunctum h. v., in *Mb.* autem suppletum *tangam*, ut efficiatur *tangam raro.*[407]) — 8

rogarier] Sic omnes.[408]) — 9.

quod populus] *quo* populus: Pe, k, m. T. Ap. Mb. — 10.

adscriptio] *abscripta*: Pk. — *abscripto:* Mb pr. m.). — *abscriptio:* Ap. — *descriptio:* Pm. T. Aq. Ma, b (sec. m.). — 12.

nisi esset] *si* esset: Pk.

Quae ut sensu quidem uero sit proxima, baud inargute tamen *Or.* 2. «Patet, inquit, v. *etiam* ab «interpolatore esse, et, ut uide«tur, etiam v. *ipsius.*» —Fortasse in ductibus *qui de* latet v. *quidem*, in *his* autem *huius* uel simile aliquid. Quamquam nolim ita b. loci κρίσιν absoluere, ut iubeam scribi: *amic. de huius quidem Aq.*

406) Idem habent 5. *Oxx.*(*Erf.: etaeum?*), et dd. Edd. *Ven. Ascens.* 1511. Tum illos ductus eiecit *Iunt.* 1515., at cum lacunae signo retinuerunt *Ald.* 1519. *Ascens.* 1522. 1527. *Crat.* 1528. — Rursus deleuerunt *Ascens.* 1531. *Heruag.* 1534. et deinceps caeterae meae cum *Lambino*. Sed *Hotomanus*, qui multa h. l. excidisse putabat, proxima sic suppleuit: «et ad eam *rem diem* «*constituerat*, *amicos conuoca*«*rat:*» — quae coniectura non placuit. Mihi probabile est, quod olim *Manutius*, nuper *Beckius* quoque et *Orellius* statuit, ductus illos ex hoc, quod continuo sequitur, *At enim* rel. fortuito quodam errore esse natos.

407) Eadem uarietas est in *Oxx.* — *Erf.: rare.* — Edd. meae ante *Iunt.* 1515.: *raro.* — Est ex illo mendorum genere, quod supra habetur c. 13, 36. c. 17, 50. etc. Conf. not. 138. 209.

408) Etiam *Erf.* cum *Oxx.* plerisque et Ed. *Ascens.* 1511.

Cap. 33. p. 436 v. 13. §. 96. quaero abs te] *quaero te:* Omnes.

— 15. et ea teris quae inter] et ea *fateris* quae inter: Aq (sec. m.).[409]

— 18. modo possit] modo *potest:* Ma.

— 20. 21. Quiritium] *Quiritum:* Pe. T. Ap, q. Ma.

— 23. §. 97. Quum Arret.] *eum* Arret.: Pm.

defenderem] *defendere:* Pm. Ap.

Cotta] *cocta:* Pm. T. Ap, q. Mb. (Sic alias quoque.)

decemuiris] *in* decemuiris: Pm. T. Ap, q. Mb (sec. m.).

— 24 religionem] *religionis:* Pm. T. Ap, q. Ma, b. —[410]) *religionis nomen:* Pk.

409) Praefixa est in *Erf.* quoque, in 5. *Oxx.*, in Cod. *Francii* (*Ox.* T.: *et ea terrisque inter*) et in Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499. (in hac: *terris*). Mox coniecturis aditus fuit. *Ald.* 1519.: *ut in caeteris quae rogaui*, sed ita iam antea *Ascens.* 1511., nec aliter reliquae tres, et *Crat.*, *Heruag.* *Seb. Gryph.* 1536., *Rob. Stephan.* 1543., *Ald.* 1546. (Conf. *Ferratii* Epp. et *Ern.*) — Sed *Iunt.* 1515.: *fateris sed qui; Iunt.* 1537. *Camer.* 1540.: *et fateris sed qui* (conf. *Garaton.*); *Sturm.* 1544.: *et fateris ut in caeteris quae rogaui; Lambin.* 1566.: *ut in caeteris quae rogauit*; *Mich. Brutus* 1584. et *Merouvillius* 1684.: *ut in caeteris quae rogari non possunt.* — Aliorum coniecturae sunt hae: *P. Fabri*: «*at in caeteris quae* «*rogauit?*» — *Graeuius* suasit, ut primo legeretur *et fateris*, deinde vv. *quae rogauit* tamquam spuria eiicerentur, ad extremum vv. *quae inter* retinerentur, simul autem asterisco apposito indicaretur, plura hic excidisse (Conf. *Schütz.*). — *Beckius:* «Mi«hi, cum nullum sit lacunae in «libris uestigium, a Cicerone es«se uidetur: *perspicis hoc nihil* «*esse et fateris*; sed *quae inter* «e supplemento natum est.» — *Or.* 1.: «Locus corruptus potius quam «mancus . . . Exoritur facillima «coniectura: *et fateris. Quid igi*«*tur? Primum* rel.» Quae ut caeteris antecellat, parum certa tamen *Klotzio* et *Or.* 2. merito uisa est, quae in textum reciperetur. Sed fateri debeo, me, quod melius proferam, nihil habere.

410) *Beck.* quum e 5. *Oxx.*

sacramentum nostrum] Sic omnes.[411]) Cap. 33, p. 436, v. 24

et ego] et *cum* ego: Pk. — 25

uehementius] *uehementer:* Pm.

non iudicauerunt] *iudicarunt:* T (suppletum v. *non*). — 26. 27.

postea — iudicauerunt] Desunt in *Ma.* — 27. 28

et con. d. Cotta] *etiam* con. d. *cocta:* Pe. (*cocta* etiam in *Pm.*) — 28.

Sulla uiuo iud.] *sylla iud.*: Pe, m. Aq. — *illa iud.:* Ma. — 28.29.

in eadem causa] in *eandem* causa: Pe. — in eadem *causam:* Ma. — 29

omnes iure] Sic omnes.[412]) — 30

nemini] *meum ni:* Pm. T et Aq (pr. m.). — *meum an:* Aq (sec. m.). — *meum nisi:* Ma. — *memini:* Ap.[413]) — 32.33.

uestrum est] *uestrum:* Omnes.[414]) — 33

hoc mendum affert, scite notat: «manifesto exortum est e terminatione praeced. uocabuli.» Sed nuper *Klotz.*, post *Ascens.* 1511. (ubi etiam, quod praecedit, «*in* decemuiris» habetur) omnium, quod sciam, primus ita edidit, nouamque suam lectionem exemplis defendit, mea quidem sententia alienissimis. — *Praefixa* iam in dd. Edd. *Ven.* extat.

411) Primi *Klotz.* et *Or.* 2. ex *Erf.: nostrum sacramentum.* Valde incertum. Conf. statim *inf.* v. 27.

412) Erf.: *omni iure.* Egregia lectio, quam optimo iure *Klotz.* et *Or.* 2. recepisse uidentur, at apte *ille* defendit in *Praef.* p. XLI.

413 et 414) Pro uulgari Edd. lectione, *dubium nemini uestrum est* (v. *est* ab *Aldo* 1519. uidatur esse suppletum), in *Erf.* habetur: *dubium esse nemini uestrum?*, quod ita *Klotz.* et *Or.* 2. (p. 463.) secuti sunt, ut ediderint: *dubium* est *nemini uestrum. Graeuius*, quo *Erf*ᵗ. illa uerba (parum quidem accurate ab ipso relata) seruentur integra, post ea conicit excidisse v. *potest*; eodemque consilio *Garatonius* quod sequitur v. *certo* mutare tentat in *credo.* Conf. not. seq.

Cap. 33. p. 436. v. 33. **§. 98. Certe] *Cottae:* Pk.[415]**

— 34. **quemadmodum] Deest in Pm.**

— 35. **adimi] *amitti:* Pk.**

— 36. **sint. Aut sua] sint *sint* sua: Pk.**

p. 437. v. 1. **uoluissent] *uoluisset:* Pe (pr. m.). In *Ma.* h. v. deest.**

tum manere] *tamen* manere: Omnes excepto Pk.[416]

415) *Erf.*: *certo.* — *Schütz.* de *Ernesti* coniectura dedit *Ceterum,* qnia particulae *Certe,* ut affirmat, nullns hic locus est: quod, qnum Lexica consulo, uereor nt adeo exploratum sit. — *Klotz.* scripsit *certo*, duobus punctis circumdatis, ut sensu h. uoc. cum praecedentibns coniungeretur. At hac parte mihi uidetur abundare, contra transitio ad ea, qnae sequuntur, talis est, ut particnla *Certe* uel similis quaedam necessario paene requiratur, atqne boe etiam *Garatonii* coniecturae illi, quam modo commemoraui, obstare puto. — *Or.* 2. edidit quidem *Certo quaeri*, sed simul suspicatur, «hic quoque latere il-«lud v. sine ulla dubitatione Tul-«lianum, sed ubique fere cor-«ruptum: *Ceteroqui.*» — Ilind denique summa ratione idem Editor nouauit, ut nouum caput ab hoc v. inciperet.

416) Sic *Erf.* quoque et 5. *Oxx.* et Edd. meae ante *Aldum* 1519. Hic correxit *tum*, quod caeterae meae ante *Lambinum* seruant, exceptis *Iunt.* 1537. *Rob. Steph.* 1543. *Ald.* 1546. Rursns recentiorum maxima pars, uelnti *Grut.*, *Graeu.*, *Ern.*, *Beck.*, *Schütz.*, *Leclerc.*, *Or.* 1., habent *tum;* sed repente *Klotz.* et *Or.* 2. reuocauerunt lectionem illam *tamen*, Codd. quidem anctoritate florentem, at sententiae ratione minime ferendam. Nisi forte credendum est *Hotomani* fabulae (ut credidit cum aliis multis *Iordanus* l. l. p. 5. Conf. *Klotz.* in *Em. Tull.* p. 17. seq.), sic h[s]. l. sensum explicantis: *Legis multam* nihil aliud esse quam *aquae et ignis interdictionem:* hanc nulgo pntari tantnndem ualere atque eiectionem e patria ac ciuitatis ademptionem; id uero falsum esse, dnmmodo res attentins subtilinsque consideretur. Nam tametsi aqua et igni interdictum alicui sit, certaque poena sancitum, si quis eum tecto recepisset, aquaue et igni iuuisset, *tamen* subtili iure ei licuisse in ciuitate manere, dummodo neque aqua neque igni neque tecto uteretur, sed (sunt ipsa Hot[i]. uerba) aëre uesceretur. — Adeo ieiunis cauil-

ciu. potuissent] ciu. *ualuissent:* Pk. — ciu. *uoluisse:* Reliqui,[417]) — sed in *Mb.* sec. m.: *ualuisse.* Cap. 33 p. 437 v 1.

Cap. 34.

dedidit] *dedit:* Omnes praeterquam Pk. — 2

traditur] *detruditur:* Pe, k, m. — *detraditur:* Reliqui. — 4

est eorum] *fit* eorum: Pk.

accipiunt] *accipitur:* Pk. — 5

ut Mancinum] *mancipi:* Pm. T. Ap, q. Mb. — ut *mancipii:* Pe. Ma.

retinet] *retinent:* Omnes excepto Pk.

§. 99. factus non est] *factus est:* Pk. — 8

non esse eum] *eum non esse:* Pm. — 8 9.

peric. noluit] Sic omnes.[418]) — 9

iationibus opinantur usum esse *Tullium!* Neque ed expeliendum ridiculum istum errorem satis fuit quod paullo *inferius*, ne fallere quemquam possit, quid *legis multa* illa seu *uis* significet, disertis uerbis *uincula*, *neces ignominiaeque* nominantur! — Ex quo perspicuum est, quae de similitudine compendiorum *tū* (tum) et *tn̄* (tamen) ac de uitiosa eorum permutatione, in Codd. ubique obuia, VV. DD. disserunt, ea omnia pro lectione *tum* h. l. pugnare. Caeterum tota haec periodus non solum in dd. Edd. *Ven.*, sed etiam in dd. Codd. omnibus speciem praebet uarie corruptam, uidelicet ne nimis dubitemus scripturae ductibus necessitatem sententiae anteponere. — De h. l. cf. *Klotzii Praef.* p. XLI. p. XIV. et *hic sup.* ad c. 7, 21. not. 68.

417) Sic *Erf.* et 5. *Oxx.* — Sed in Edd. 3. *Ven.*, *Iunt.* 1515. et 1537. et *Ald.* 1519. habetur *uoluissent*, in *Ascens.* 1511. *potuisse;* tum *praefixa* in *Ascens.* 1522. 1527. 1531., *Crat.*, *Heruag.*, *Gryph.*, *Camer.* et deinceps: neque nostrates, ut ab ea discederent, Codicum conspiratio mouit.

418) Neque apud *Beckium* neque ex *Erf.* apud *Wunderum* ullam inuenio uarietatem. Verumtamen *Klotzius*, probante *Or.* 2. (p. 463.), edidit *noluerit*, idque *Erf.* auctore fieri professus est.

Cap 34 p 437. v. 10. **incensum uendit] incensum *uendidit:* Pk.**

— 10.11 **is - fuerit - liberetur] *ei* - *fuerunt* - *liberentur:* Omnes; tantum in *Pe.* fuit pr. m. *ei* - *fuerit* - *liberetur*, deinde correctum *fuerint* et *liberentur.*[419])**

— 11 **censeri] *conseri:* Pm. T.**

eum qui quum] *ei* qui *tum* cum: Ma. — eum qui cum *cum:* T. Aq.

ipsum] *iussum:* Ma.

12 **abiudicasse] Sic omnes.[420])**

iisce rebus] *hisce* rebus: Pk. — *uisceribus:* Reliqui; sed in *Pe.* litterae *se* in litura, in *Mb.* autem ad marginem recenter scriptum: « *a* « *uictoribus.*»[421])

Vide eius *Praefat.* p. XXV. et p. XLII. De controuersa illa ratione conf. *h. sup.* ad c. 19, 55. p. 483. not. 228. et h. *inf.* not. seq. — De praeced. vv. *ut liber sit* uide quae contra *Weiskium* disseruit *Rumpf.* l. l. p. 17. seq.

419) Vulgaris illa lectio est etiam in *Erf.* et in *Oxx.* plerisque. Item (modo *ii* pro *ei*) in Edd. *Ascens.* 1511. 1522. 1527. *Ald.* 1519., *Cratand.* 1528., *Iunt.* 1537., *Camer.* 1540., *R. Steph.* 1543., *Ald.* 1546. (in his duabus: *fuerint*), *Lambin.* 1566. — *Praefixa* habetur in Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499., *Iunt.* 1515., *Ascens.* 1531., *Heruag.* 1534. *S.Gryph.* 1536., *Sturm.* 1544. etc., retinetur a *Grutero*, *Graeuio*, *Ernesto* caeterisque recentioribus ante *Klotzium* et *Or.* 2., qui uulgarem Codd. lectionem idonea ratione restituerunt: nam quod *Klotz.* in contextu *fuerint* dedit pro *fuerunt*, ipsum statim poenituit in *Praef.* p. XLII.

420) *Klotz.* et *Or.* 2. ex *Erf.* *abiudicauisse.*

421) Est *uisceribus* etiam in *Erf.* et 6. *Oxx.* In *Ox. T.* extat eadem nota atque in *Mb.* — Mendum illud habetur in Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499. *Ascens.* 1511. Sed *Iunt.* 1515. correxit *hisce*; *Ald.* 1519. et deinceps caeteri: *iisce.* Nuper *Klotz.* et *Or.* 2. dedere *hisce*, admoniti a *Iordano* (l. l. p. 15.), qui sic scripserat: « Illa forma « *iisce* nusquam neque apud Cice« ronem nec apud bonos alios « scriptores reperitur, quia in« conueniens est pronomini *is*, « quod simpliciter demonstrantis « est, uoculam illam, quae uim

adimi maiores] *maiores adimi:* Pk, Ap.[422] Cap. 34. p 437 v 14

§. 100. protulerunt] *proferunt:* Pk. — *profuerunt:* Reliqui.[423] — 15

afferant] *aderant:* Omnes;[424] **sed in *Aq.* expunctum τὸ *r.***

Romana] *ratione:* Omnes.[425] — 15.16

attinet] *pertinet:* T. — 16

Nam quod — quale sit] Desunt in *Pe.* — 16.17.

perspicue intelligi potest quale] *perspicue quale:* T. Ap, q. Ma. — *perspicite quale:* Pm.

perfugium] *profugium:* Omnes praeterquam Aq.[426] — 18.

uertunt hoc est] uertunt hoc *et:* T (pr. m.). At ad v. *uertunt* in margine: *utere* (num *uertere?*).[427] — 19

«pronominis intendit, addere. «Neque *Priscianus* XII, 5, 21. «25. 26. XIII, 3, 9. 10. pronomen «*is* inter ea, quibus *ce* additur, «commemorat.» Contra uix ualebit *Plaut. Merc.* Prol. v. 91.

422) Sic *Klotz.* et *Or.* 2. secundum *Erf.* edidere. Nec aliter habetur in Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499. *Iunt.* 1515.

423 et 24) Sic *Erf.* et 5. *Oxx.* — Edd. 3. *Ven.: profluxerunt — aderant; Ascens.* 1511.: *profuerunt — adderent; Iunt.* 1515.: *protulerit — offerat. In Ald.* 1519., *Ascens.* 1522. 1527. 1531. *Crat.* et deinceps habetur *praefixa*, eamque *Klotz.* seruauit; at *Or.* 2. dedit *proferunt*, propter similitudinem u[i]. *profuerunt.* — Equidem malim retinere *protulerunt*, quod perinde puto potuisse corrumpi in *profuerunt* atque *proferunt* istud, si ita scriptum fuisset.

425) Itidem *Erf.* caeterique Codd. noti, et Edd. meae ante *Lambinum*, exceptis *Iunt.* 1515. 1537. *R. Steph.* 1543. *Ald.* 1546., quae *praefixam* habent, postea perpetuam. Primus *Or.* 2. ex *Ant. Augustini* coniectura dedit *rogatione*, quod *Ursino* placuit, et longe uerisimillimum mihi quoque uidetur.

426) Sic 4. *Oxx.* (non *Erf.*) et Edd. meae ante *Lambinum* omnes exceptis 3. *Ven.* Conf. *Beck.* et *Torrenium* ad *Val. Max.* VII, 3, 9. not. 59.

427) Pro praeced. v. *eo* perseuerat *Orellius* coniicere *ei*, quod non placet. Magis enim conuenit, ut *consilium* urgeatur, quam ut *persona* curiose demonstretur.

Cap. 34 p 437. v. 20. itaque nulla] *ita* nulla: Pk.

reperietur ut apud] *reperietur apud:* Pk. T. (sec. m.). Ap. Mb. — *reperitur apud:* Pe, m. T (pr. m.). Aq. Ma.

— 21 exsilio] *ex illo:* Ma. — *exilium:* Pe (pr. m.).

multatum] *mutatum:* T. Ap, q. Ma, b (pr. m.).[428])

homines] *omnes:* Omnes.[429])

uincula] *uincla:* Pm. T. — *uncula:* Pe (pr. m.).

— 23 ad aram] ad *arma:* Omnes.

uellent] *uelint:* Pe.

— 24 non adimitur his] non adimitur *iis:* Pk. — non *amittitur* his: Pm. — non *adimitis* his: Ap, q (pr. m.).[430])

— 25. sed ab his relinq.] sed ab *iis* relinq.: Pk. — *sed relinq.:* Pm.[431])

— 26.27. denique] Sic omnes.[432])

Cap. 35.

p 437. v. 28. §.101. Non me] *Nonne:* Pm. T. Aq. Ma.

— 30. uestri iudicii] *nostri* iudicii: Omnes praeterquam Pk.[433])

428) *Rumpf.* l. l. p. 18. monet, pro *esse multatum* exspectandum potius fuisse *multari;* considerate tamen censet, nihil esse moliendum.

429) Etiam *Erf.* et 4.*Oxx.* (alius: *omnia*) et Edd. 3. *Ven.*, *Iunt.* 1515.

430 et 31) Primus *Orellius* utrobique desiderauit, deinde etiam recepit *iis* pro *his.*

432) *Io. Bakius* ad II. de LL. 4, 10. p. 479. de ui uocis *denique* diligentissimam instituit disputationem, qua sententiae quandam necessitatem coarguere sibi uidetur, ut in hoc aliisque aliquot locis etiam contra Codd. consensum v. *demum* substituatur, quae h. l. fuerat etiam *Rauii* (l. l. Lib. I. p. 50.) coniectura.

433) Item *Oxx.* uno excepto, et Edd. meae ante *Ald.* 1519. — Nuper *Klotz.* primus lectionem illam *nostri* redintegrauit, atque in *Praefat.* p. XLII. defendit,

quod uos] *quos:* Pk. — *quo* uos: Mb. Cap 35 p. 437 v 30.

arbitrarer] *arbitrer:* Pm. — 31.

ciuit. esse nec] *ciuit. neque:* Pk. — ciuit. esse *neque:* Reliqui.[434] — 32.

hoc quum] *hec cum:* Ma.

§. 102. uos ea de re iud.] *uos de* re iud.: Pe. T. Ap, q. Ma, b. —[435]) *uos iud. de re:* Pm. (In *Ma.* deest seq. v. *non.*) — 37

fuerint] *fuerunt:* Pk.[436]) p. 438. v 1 2.

duodeuiginti] *duodecim:* Omnes.[437]) — 2.

a ciuibus Romanis] a *Ciuitate Romana:* Pe. — In *Pm. Ap. Ma, b.* sic est.: *a. c. r.*[438]) — 3.

illam rationem] *illa ratione:* Aq (sec. m.). — 4.

quereremus] *quaeremus:* T. Ap. Ma, b. — 5.

pudentissimumque] *prudentissimumque:* Omnes excepto Ma.[439])

quinetiam *Orellium* (p. 463.) mouit. Mibi non placet. Conf. *pro Tullio* c. 7.

434) Item 3. *Oxx.* et Edd. meae ante *Ald.* 1519., et ita denuo scripserunt *Klotz.* et *Or.* 2. (p. 463.)

435) Deest v. *ea* etiam in 5. *Oxx.* et in Edd. 3. Ven. et *Ascens.* 1511.; suppletum in *Iunt.* 1515., deinceps ab omnibus seruatum, nuper *Klotzius* eiecit, atque praeter Codd. auctoritatem etiam Latinitatis nescio quam legem et alienissimum quoddam exemplum (*h. sup.* c. 33, 97. *postea re quaesita* rel.) caussatus est in Praef. p. XLII. Non cessit h. l. *Or.* 2.

436) Sic Edd. 3. *Ven.* et *Iunt.* 1515.

437) De celebri h. l. quaestione uide supra Cap. 1. §. 6. p. 405. not. 8.

438) Similis in *Oxx.* uarietas. — In Edd. 3. *Ven.* et *Iunt.* 1515.: *a ciuitate Romana*; in *Ascens.* 1511., *Ald.* 1519. et deinceps: *a populo Romano; Beckius* et Seqq. secundum *Ant. Augustinum* et *Lallemandum* (ad quem de Cod. *Pk.* aliquid h. l. peruenisse uidetur) certissima ratione scripserunt: *a ciuibus Romanis.*

439) Etiam *Oxx.* omnes et Edd. meae ante *Lambinum*, praefixae auctorem. Hanc quum plerique repudiassent, *Ernestus* defendit atque in textum reuocauit, sequentes autem retinuerunt. Nu-

Cap. 35. p. 438 v. 7. 8. **quam uti nunc quum] Haec in *Aq.* a sec. m. sunt expuncta et substitutum: *Qui.***

— 11. **§. 103. neque quidquam] *nec* quidquam: Pk.**

— 11. 12 **derelinquo] Sic omnes.**[440])

— 12 **populique Romani ius] *populique ius*: Omnes.**[441])

per *Klotz.*, nescio qua ratione, Vulgatam restituit, parum resistente *Or.* 2. (p. 463.). — Conf. *pro Quinctio* c. 11, 39. (*h. sup.* p. 225.) et *Zumpt.* ad III. *in Verrem* 68, 159.

440) Neque in aliis Codd. neque in Edd. ullam uarietatem inuenio. Verumtamen quod *Beckio* etc. expeditissimum uidetur, v. *derelinquo* significare *non amplius ago*, equidem molestissime fero, nec fidem habeo *Ernesto*, qui uno hoc loco allato in *Claui* sub h. v. sic interpretatur: «*omitto*, in molliorem partem»; conf. *Eiusd.* notam ad h. l. — Immo uero arbitror, illud uerbum ea indole esse, ut a simplici *relinquo* in duriorem grauioremque partem differat, atque, ut *Forcellinus* habet, significet *prorsus seu in totum relinquere, deserere*; idemque uideo sentire *Zumptium* ad III. *in Verrem* 51. et 13. Sed quam parum huic loco ea uerbi sententia conueniat, quis non perspicit? Quinetiam quae annexa est uoc°. *populi* part°. *qua*, tali natura ac specie esse uidetur, ut multo magis exspectaueris, eam ad coniungenda inter se singula illa substantiua (*communem*) *caussam* et (*populi Romani*) *ius* quam ad coniungendas integras sententias illas, quae uerbis *derelinquo* et *depono* constant, ualere destinatamque esse. Quae quum ita sint, haud dubie probo recipioque *P. Fabri* coniecturam, praestantissimam meo quidem iudicio et leuissimam, uidelicet ut pro *derelinquo* legatur *de reliquo*; quippe ea dicendi figura, *Latina* prorsus ac *Ciceroniana*, etiam huius loci sententiae aptissima uidetur. Quid quod *inf.* unus saltem Codex habet *deponit* pro *depono?* nonne credibile est, illam lectionem ex uetusto quodam exemplari, in quo *de reliquo*, non *derelinquo*, scriptum esset, originem ducere? Ex quo facile coniecerit aliquis, genuina scriptura quum fuisset *de reliquo* et *deponit*, prius irrepsisse mendum *derelinquo*, eoque recepto timidiores quosdam *deponitur*, tum alios audaciores *depono* correxisse. Qua de uarietate uide *inf.* not. 443. — Caeterum quae ante v. *derelinquo Hotomanus* et *Lambinus* explendae, quam putabant, lacunae caussa tentauerunt, ea merito iamdudum reiecta sunt. Conf. *P. Fabri* et *Beckii* notas.

441) Ex *Oxx.* nonnisi duo (χ. et ψ.) afferuntur, ubi desit v.

Cap. 35.

in uestra fide ac religione] in *uestram fidem* ac *religionem:* Pk.[442] p. 438 v. 12.

depono] *deponit:* Ap.[443] — 13

Cap. 36.

uestrique] *uestrisque:* Pm.

ut id non minus in hac causa laborarit] Sic omnes.[444] — 14

nec contenderit] *neque* contenderit: Ap. Mb. — *atque* contenderit: Pm. T. Aq. Ma.[445] — 15

ne ius suum dissolute] ne *nomen dissoluti:* Pe. — *ne dissoluti:* Pk. Ap. Mb. — *ne dissolute:* Pm. T. Aq. Ma. — Sed in *Pm. T. Ap, q. Ma.* inter hh. vv. est spatium uacuum relictum octonarum circiter litterarum, et in *Aq.* vv. *ius suum* ad marginem sec. m. suppleta.[446]

Romani. Deest autem in Edd. *Ascens.* 1511. 1522. 1527., *Ald.* 1519., *Crat.;* contra habetur in 3. *Ven., Iunt.* 1515., *Ascens.* 1531. et deinceps.

442) Item Cod. *Francii;* at in Ed. nulla inueni. Conf. *Garatonii* et *Beckii* notas.

443) Edd. *Ven.* 1472. 1480. 1499.: *deponitur.* Conf. *sup.* not. 440. s. fi.

444) Qua ratione uel auctoritate *Klotzius* scripserit *ut non minus id*, equidem ignoro. — Deinde quod *Hotomanus* putauit, post haec uerba quidpiam deesse, *Lambinus* autem sic correxit, «ut *in* «*eo* non minus *quam* in hac cau«sa laborarit»; acutissime refutauit *P. Faber.* Utique sententia oratoris est apertissima, quippe qui demonstret, non id solum Caecinam egisse, ut *caussam* recuperatoribus probaret, sed etiam ut *semetipsum.* Conf. *pro Q. Roscio* c. 5, 15.

445) Etiam 3. *Oxx.* habent *atque*, item *Ascens.* 1511., mendose quidem, at ut aliquantulum auctoritatis lectioni *neque* inde accrescat. — Pro seq. *aliud* est *aliquid* in Edd. 3. *Ven.* et *Iunt.* 1515.

446) Similis in *Oxx.* uarietas. Edd. 3. *Ven.* = Pk. etc.; at *Ascens.* 1511.: *ne boni uiri officium.* — Praefixa est in *Iunt.* 1515., *Ald.* 1519. et deinceps.

Cap. 35 p 438. v 16. **uereretur] *ueretur:* Pe (sec. m.), m. T. Ap, q. Ma. — *uteretur:* Pe (pr. m.).[447])**

quam ne ab eo] *quam de eo:* Omnes.[448])

— 16 17. **contemptus] *contentus: P*m. Ma.**

— 18. **§.104. q. homini trib.] q. *uirtuti* homini trib.: T. Ap, q (pr. m.). Ma, b. — q. *uirtuti hominum* trib. Pe. — q. *uirtuti hominis* trib.: Pk. Aq (sec. m.). — q. *uirtutis hominis* trib.: Pm.[449])**

— 19 **et spectata] et *expectata:* T.**

— 20 **amplissimis uiris Etr. totius] *amplissimae Etr. nomine* totius: T. — amplissimis Etr. *nomine* totius: Reliqui.[450])**

447) Etiam 4. *Oxx.* babent *uerstur*, quod in Ed. nulla reperio. Si quis nei ob Codd. anetoritatem uel propter consecutionem temporum ita scribere uoluerit, rursus obstabit seq. Imperf. *existimaretur*. In nett. Edd. meis *puncto* significatur, a vv. *Nec minus uersretur* nouam sententiam incipere. — *Lambinus* (1566.) temere correxit *ueritus sit*.

448) *Oxx.* quoque et Edd. meae ante *Ald.* 1546. et quaedam postea. *Graeuium*, qui cum *Oliu.*, *Lallem.* etc. seripsit *quam ne de eo*, et exemplis eum usum v'. *de* defendit, solide refutanerunt *Ern.* et *Beck.* — Fortasse boc mendum ex illo, quod statim sequitur in aliquot Codd., *contentus* (pro *contemptus*) natum est.

449) Eadem fere in *Oxx.* uarietas. Edd. 3. *Ven.* et *Iunt.* 1515. = *Pe; Ascens.* 1511. = *T.* rel.; sed in *Ald.* 1519. et deinceps habetur *praefixa*, excepta *Iunt.* 1537. (quae = *Pk.* rel.). — Verissime *Bsck.* eum *Garat.* aliisque docuit, uetus glossema fuisse «*uirtuti*», inde uaria illa additamenta sensim nata. *Klotz.* nulla ratione reddita redintegrauit lectionem illam *uirtuti hominum*.

450) Sic etiam 5. *Oxx.* — Sed Edd. 3. *Ven.* et *Iunt.* 1515. (sicut *Ox. T.*): *amplissimis uiris Etr.* nomine *totius*; *Ascens.* 1511.: *amplissimis Etr.* nomine *totius; Ald.* 1519. et reliquae meae ante *Lambinum*, tum multae postea: *amplissimum*, *Hetr.* nomine *totius; Lambin.* 1566.: *amplissimum uirum Etr. totius.* Praefixam babent *Ern.*, *Beck.* (cuius uide notam), *Schütz.*, *Leclerc.*, *Klotz.* et *Or.* 2. Ea ita mihi probatur, ut ad nerba quidem, quod proferam melius non habeam, sensu autem aptam ueramque iudicem.

et uirt. et human^s.] et *human^s. et uirt.:* Pm. Cap 36. p. 438. v. 21.
in contraria parte] in *alia* parte: T (pr. m.).
offendendum sit] *ostendendum* sit: Pk.[451] — 22
Sin hominibus] *Si in* hominibus: Pm. T. Aq. Ma. — 23.
ereptum esse uideatis: auct.] *direptum* esse uideatis auct.: Omnes.[452]) — 26.

451) Haud temere *Or.* 2. coniecit *est* pro *sit*. Conf. *sup.* ad c. 26, 74. not. 309.

452) Hunc locum, a nemine, quod sciam, umquam tentatum, una cum vv. praecedd., *Rumpf.* l. l. p. 19. seq. ita emendandum censuit, ut prius pro *is qui arguitur* scriberetur *is arguitur qui*, deinde *uidetis* pro *uideatis*. Nam qui priori loco Vulgatam tueri uelit, «fateatur quoque, inquit, necesse «est, neque rationem reddi posse, «cur Cicero *fecisse fateatur* et co«*netur*, non *fatetur* et *conatur* «scripserit, neque membrorum «concinnitatem hic obseruatam «esse, neque locum denique com«mode posse explicari.» Alteram autem coniecturam quo probet, statuit, Vulgatam «a linguae regu«lis plane abhorrere. Nam si ui«*deatis* optatiuo modo hic usurpa«tum esset; non accusatiuus cum «infinitiuo sed *Ut* cum coniuncti«uo sequi debuisset, et Cicero ita «fere scripturus fuisset: *Videatis* «*quaeso, ut hoc quoque ei uer*«*bum ereptum sit* etc.» Ad quae tametsi uereor ne Vulgatae sectatores illico sint responsuri, salua esse omnia, dummodo sciatur, uerba illa *fateatur, conetur, uideatis* a communi part. *quum* pendere; tamen equidem duplicem illam coniecturam ita reiicio, ut nouum simul scrupulum nonamque coniecturam in medium proferam. Etenim manci aliquid atque inconcinni (quod imprimis molestum est in *peroratione*) haec sententiarum progressio coniunctioque habere uidetur, qua quinque illa uerba *facere*, *uenire*, *doceri*, *quaeri*, *docuisse*, cum annexis orationis membris, omnia pendent a uerbo UIDEATIS — *in fine superioris sententiae collocato.* In qua sententia quum ab eodem uerbo *uideatis* pendeat primus ille Infinitiuus *ereptum esse*, tum abhinc noua quodammodo sermonis inflexione Infinitiuorum haec series continuetur, durissime cadere totamque periodum turbare illud uidetur, quod v. *uideatis* ita est collocatum, ut primum illum Infinitiuum a caeteris abrumpat. Atque ea deformitas, licet fugisse uideatur Editores et Commentatores, adeo manifesta est, ut interpretibus saltem, *Germanice* aliterne hanc periodum uertentibus quasi inuitis se offerret, medelamque, ut ita dicam, extorqueret. Ut ecce *Wolffius:* «da

*

Cap 36 p. 438. v. 28 **possederit]** *possedit:* **Pm. Ap, q. Ma.**

tamen doceri] **tamen** *docere:* **Pm. T. Ap, q. Mb. — tamen** *dococere:* **Ma. —** *cum doceret:* **Pe.**

etiam minus] *tam* **minus: Omnes.**[453]

— 29 **quaeri]** *quaerit:* **Omnes excepto Pk.**

Caecinae fundus sit necne; me tamen id] **Caecinae** *fundus necne si me* **id: Pe (pr. m.).**[454]

— 32. **nostra decisio]** *uestra* **decisio: Pk.**

admoneant] *admoneat:* **Pe, k.**

«. . . ihr auch das Wort selbst «ihm entrissen seht; *da ihr fer«ner erkennt*, dass die Erklärung «der einsichtsvollsten Männer» rel.; — *Osiander* autem: «*da ihr «seht*, dass anch dieser Wort«streit ihm nichts geholfen, dass «die Erklärung der weisesten «Männer» rel. (Conf. etiam *Leclerc.* etc.) — Qui qnod auxilinm huic loco in uernacula tuleruut, si Latine quodammodo nerteris, *hic* uerhum *uideatis*, quod habemus, e fine sententiae in principium transtulit, *ille* uero idem uerhum *uideatis* dnplicanit, ut in fine prioris sententiae, ubi est collocatum, remaneat qnidem, at simul in principio seqnentis senteutiae repetatur, eaque ratione aptum efficiatnr, quod etiam iuferioribns Infinitiuis sententiisque commnne regimen praebeat. Qnid ergo est? Si iam criticam exercere uolumus, qua uia *Osiander* processit, eam nobis non licet inire; sed quid impedit, quin *Wolffium* imitemnr? Atque baec est coniectura mea, ut iteretur v. *uideatis*; quo facto concinniorem reddi totnm hunc sermonem, euidens est. Neminem porro fugit, quam proui fuerint librarii ad omittendum alterntrum nocabulum, ubi idem esset his scriptum: quod mendorum genns in hac ipsa oratione pluribns exemplis declaratur. Cf. uot. 11. 44. 139. 352.

453) Sic 5. *Oxx.* (in sexto est *tam*) et Edd. meae ante *Aldum*, a qno *praefixa* esse uidetur, deinceps ab omnibus seruata.

454) *Bucanani* coniectura *Caecina* et mox *Caecinam* pro *Caecinae*, celebris olim et a *Lambino* etiam iu ordinem recepta, iamdudum explosa et obsoleta est. Videsis Interpp. apud *Garatonium*.

SEMESTRIUM

AD

M. TULLIUM CICERONEM

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De iure caussae Tullianae.

Praeter Editiones commentariis instructas *Maii*, *Peyroni*, *Beieri*, *Huschkii*, *d'Engelbronneri* conferantur:

Ueber Cicero pro Tullio und die Actio ui bonorum raptorum, von *Savigny*, in *Zeitschr. f. gesch. R. W.* Tom. V. p. 123—130.

Iurisprudentia in Ciceronis oratione pro Tullio accuratius exponitur interprete *Car. Beiero*, in *Jahnii Annalibus* Tom. I. p. 214—220.

Prooemium.

In caussis priuatis quam sit difficile, e singulis orationibus quum utriusque patroni defensionem tum uniuersae caussae ius extricare, libris superioribus experti sumus. Nunc autem ea nobis ingredienda est disputatio, in qua praeclare actum esse nobiscum diceremus, si alterutrius patroni defensione uti integra liceret. Nam quum merito laudamus huius saeculi fortunam, quae fragmentorum bonam quandam copiam nobis condonauerit effeceritque, ut summorum uirorum, *Maii* ac *Peyroni*, industria, religione diuinoque merito tam Ci-

ceronianae eloquentiae noua aliquot specimina quam iuris antiqui uberrima quaedam subsidia acciperemus: dissimulari tamen non debet, Tullianae huius defensionis exiguam solum partem nobis esse restitutam, ac propterea tam mutilam nobis quum rei gestae tum disceptationis coram recuperatoribus habitae notitiam comparari, ut totam caussae naturam perspicere et uelut iudicandi munus suscipere hoc certe loco non possimus.

Quocirca quum in superioribus orationibus illud maxime quaesiuimus, quid e communi iuris ratione ad illustrandam caussam, qua de agebatur, afferri posset, nunc res ipsa fert, ut caussam iuris communis potius quam propositae caussae ius inuestigare destinemus, tantoque alacriori studio ei cognitioni operam demus, quanto magis omnium opinione constat, in laceratissimo illo libello ad explorandam obscuriorem quandam iuris partem certissima principia ac fundamenta inesse.

Sed in ea inuestigatione quum, etiam Ambrosianis demum fragmentis in lucem editis, maximo cum fructu elaborassent primarii illi iuris Romani ueluti noui conditores, *Cramerus* et *Sauiuius*; postea, adinuentis amplioribus copiis Taurinensibus, breui illo tempore superuenerunt *Beierus* et *Huschkius:* quorum ille quidem, ut ipsis utar *Huschkii* uerbis, *in his potissimum rebus, quae ad ius ciuile spectant, tam multa male intellexit aut perperam protulit, ut haec pars omnino denuo retractanda uideretur;* hic contra non solum *Beieri* errores refutauit correxitque, uerum etiam rei gestae explicandae, lectioni castigandae caeterisque rebus omnibus egregiam operam nauauit.

Itaque non retexendum hoc opus totumue renouandum mihi proposui [1]), sed ea potius capita selegi, in quibus corrigendum aliquid aut supplendum uidebatur. Qualia quum uix dubitem quin ipse auctor post octodecim annos, si nouarum curarum otium uoluntatemque haberet, nonnulla prolaturus esset, nulla re magis laetabor, quam si in hac mea disputatione uices suas aliqua parte me gessisse iudicauerit.

Haec sciri uolui, quominus uitio mihi daretur, quod non tam de iudicio, in quo M. Tullii caussa uersatur, quam de toto illo iudicii genere latius egi, atque originem, progressionem, omnem denique rationem curiosius exposui, alias uero res breuiter perstrinxi, alias silentio praeterii.

1) Nullo loco numero *d'Engelbronnerum* (M. T. C. orationum pro Tullio, in Clodium, pro Scauro, pro Flacco Reliquiae, Roterodami 1830. 8.), quippe qui etiam quinto anno postea quam *Huschkii* libellus prodierat, pleraque e *Beieri* commentariis exscripserit, de *Huschkio* prorsus ignorauerit.

§. 1.

De actionis iure et formula.

E formula actionis, qua M. Tullius cum P. Fabio expertus est, orator fragmentum hocce exhibet[1]):

Formula M. Tullii et Edictum ex Ulpiano.

QUANTAE PECUNIAE PARET DOLO MALO FAMILIAE P. FABII UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNUM DATUM ESSE M. TULLIO . . .

Adiicit, *iudicium datum esse in quadruplum.*

Rursus in *Digestis* ex *Ulpiani* libro 56. ad Edictum[2]) tale nobis edictum traditur:

Praetor ait: SI CUI DOLO MALO, HOMINIBUS COACTIS DAMNI QUID FACTUM ESSE DICETUR, SIUE CUIUS BONA RAPTA ESSE DICENTUR: IN EUM, QUI ID FECISSE DICETUR, IUDICIUM DABO. ITEM SI SERUUS FECISSE DICETUR, IN DOMINUM IUDICIUM NOXALE DABO.

Iam inter omnes constat, hoc edicto atque illa formula unum ius eandemque actionem contineri; quod mihi quoque persuasum est, ita tamen, ut quae *Ciceronis* aetate genita sunt lucemque primum aspexerunt, non pristino immutatoue prorsus habitu formaque ad *Ulpiani* tempora peruenisse existimem.

Sed quae fuerit eius iuris uicissitudo et a quo principio orta sit illa *actio ui bonorum raptorum*, et no-

1) §. 7. h. or. 2) L. 2. pr. Vi bon. rap.

mine et ratione in *Digestis* caeterisque Iustiniani libris exposita, id uero magnopere quaeritur[3]). Nos autem facilius in fragmentis nostris uestigia antiqui iuris deprehensuri sumus, si prius eius iuris, quod *Gaii*, *Ulpiani* caeterorumque Iurisconsultorum nostrorum temporibus obtinuit, ex uberioribus Digestorum similiumque librorum testimoniis imaginem repraesentauerimus. Formula M. Tullii et Edictum ex Ulpiano.

Est actio, quae uulgo uocatur *ui bonorum raptorum*[4]), praecipue destinata persequendis iis furtis, quae insignem quandam improbitatem in eo habere uidebantur, quod praeter usitatum furum, clam agere solitorum[5]), morem aut *ui* aut *hominibus coactis*, siue armatis siue inermibus, commissa essent[6]). Itaque *in* Actio ui bonorum raptorum.

3) Conferantur Auctores supra nominati, imprimis *Huschkius* in Excursu *De ui bonorum raptorum iudicio*. Praeterea uidesis *Schraderum* ad h. t. Inst., *Reinii* R. Pr. R. p. 352. seq., *J. L. Breitenbach*, Das Verbrechen des Raubes nach R. R. Diss. inaug. Monachi 1839. 8. *Walteri* Gesch. d. R. R. p. 808. seq. *Unterholzneri* Schuldverhältnisse, cur. *Huschkio*, §. 689. T. II. p. 724—26.

4) L. 2. §. 17. h. t. (*Ulpian.*). « Haec actio uulgo ui (Flor.: *tibi*) « bonorum raptorum dicitur ». Conf. L. 1. h. t. L. 1. et passim C. h. t. pr. I. h. t. *Gaii* III, 209. IV, 8. 76. 112. 182. *Paulli* V, 6, 5.

5) Conf. L. 1. pr. De furtis. — (*Paullus*) « Furtum a furuo, id « est, nigro, dictum Labeo ait, « quod clam et obscuro fiat et « plerumque nocte » rel. §. 2. I. De obl. quae ex del.

6) §. 2. I. h. t. « . . . Et gene« raliter dicendum est, ex quibus « caussis furti actio competit in re « clam facta, ex iisdem omnes ha« bere hanc actionem. Conf. L. 5. « pr. De incendio ruina. — *Gaii* III, 209. « Qui res alienas rapit, « tenetur etiam furti: quis enim « magis alienam rem inuito do« mino contrectat, quam qui ra« pit? itaque recte dictum est, « eum improbum furem esse. Sed « propriam actionem eius delicti « nomine Praetor introduxit, quae « appellatur ui bonorum raptorum; « et est intra annum quadrupli « actio, post annum simpli. Quae « actio utilis est, etsi quis unam « rem, licet minimam, rapuerit. » Conf. pr. I. h. t. Ad v. « quis

Actio ui bonorum raptorum.

quadruplum ea actio intra annum dabatur, omissa ilia *manifesti* et *nec manifesti* delicti distinctione, in furti actionibus usitata[7]).

Nec tamen intra *furtorum* genus ea actio Edicto formulaque continebatur, sed, quum tam re quam nomine ad *bona rapta*, hoc est, *ad furta certo quodam modo perpetrata* spectabat, simul etiam damna, quae ad legem Aquiliam genere suo pertinent, si eodem lilo modo data essent, ui sua et effectu uerborumque conceptione comprehendebat[8]): quamquam praeter nominis formam caetera quoque uestigia nos eo ducunt omnia, ut intelligamus, his iam temporibus eam actionem tam in iudiciorum disceptatione quam in prudentium conuersatione multo frequentius ad bona rapta quam ad damna data esse relatam, quinetiam hunc actionis usum iam rariorem, illum uero uulgarem et quasi quotidianum fuisse[9]).

Age uero de uniuerso propositae actionis iure quae praecepta Iurisconsulti nostri dederint, curiosius dispiciamus.

« enim magis . . . inuito domino » conf. ib. §. 195. et *Gellii* XI, 18. extr.

7) pr. I. h. t. « Quadruplum « autem non totum poena est, « sicut in actione furti manifesti « diximus, sed in quadruplo inest « et rei persecutio: ut poena tripli « sit, siue comprehendatur raptor « in ipso delicto siue non » rel.

8) d. L. 2. pr. et passim, L. 4. §. 6. h. t.

9) Neque in h. Titt. *Dig.* et *Cod.* neque apud *Gaium* praeter bona rapta ulla damni dati mentio habetur. — Conf. etiam *Lex Rom. Burgund.* Tit. 8. (De uiolentiis) extr., ubi ea actio sic commemoratur: « Quod si rem mobilem « uel sese mouentem per uim quis « rapuerit, intra annum quadrupli « solutione multabitur, post an« num uero simpli satisfactione « soluetur. »

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta

Praetor dicitur hoc Edicto contra ea consuluisse, quae siue e furtorum siue e damnorum genere ui committerentur[10].

Sciendum tamen est, neque omnia, quae ui facta sunt, ad hoc iudicium pertinere, et interdum etiam sine ui eam actionem competere. Nam quod *hominibus coactis* gestum est, id, quamuis *clam* sit gestum, tenetur[11], et contra, si quis *uim* quidem aut adeo *homines coactos* adhibuerit, at *dolo malo* caruerit, non tenetur[12].

Est igitur tam in bonis raptis quam in damno dato *alterutrum* necessarium, aut *uis* aut *coacti homines*, neutrum autem sufficit, nisi dolus malus in eo quicum

10) L. 2. §. 1. b. t. (uid. inf. not. 33.)

11) L. 2. §. 9. b. t. «*Damni*, «Praetor inquit. Omnia ergo dam«na continet, et clandestina. Sed «non puto clandestina, sed ea «quae uiolentia permixta sunt: «etiam quis recte definiet, si quid «solus admiserit quis non ui, non «contineri hoc Edicto; et si quid «hominibus coactis, etiam si sine «ui, dummodo dolo sit admissum, «ad hoc Edictum spectare.»

12) L. 2. §§. 18. 19. h. t. «Hac actione is demum tenetur, «qui dolum malum adhibuit. Si «quis igitur suam rem rapuit, ui «quidem bonorum raptorum non «tenebitur, sed aliter multabitur. «Sed et si quis fugitiuum suum, «quem bona fide aliquis posside«bat, rapuit, aeque hac actione «non tenebitur, quia rem suam «aufert. Quid ergo si sibi obli«gatam? Debebit teneri (excepta, puto, specie L°. 55. De furtis). — «Vi bonorum raptorum actio in «impuberem, qui doli mali capax «non est, non dabitur, nisi ser«uus ipsius uel familia eius ad«misisse proponantur. Et serui «et familiae nomine noxali ui bo«norum raptorum actione tene«tur.» — §. 1. I. b. t. «Quia «tamen ita competit haec actio, si «dolo malo quisque rapuerit: qui «aliquo errore inductus, suam «rem esse existimans, et impru«dens iuris, eo animo rapuit, «quasi domino liceat rem suam «etiam per uim auferre a posses«soribus, absolui debet. Cui sci«licet conueniens est, nec furti «teneri eum, qui eodem hoc ani«mo rapuit» rei.

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta

agitur accedat. Quinetiam si quis ne rapuerit quidem ipse neque damnum ui dederit, sed alii fecerint, ad hoc ipsum dolo malo collecti ab illo, tamen tenebitur[13]), haud minus quam qui ipse dolo malo siue rapuerit siue damnum ui dederit, licet neminem coegerit, contra fortasse ipse inter coactos ab alio fuerit[14]). Qua parte adeo potest aliquando euenire, ut *ui bonorum raptorum* aliquis rei ablatae nomine teneatur, *furti* uero non teneatur[15]).

Illud non requiritur, uim *personae* esse illatam, neque inutiliter cum eo agetur, qui forte ex domo, in qua nemo esset, rapuerit[16]).

13) L. 2. §. 2. h. t. «Dolo autem malo facere potest, quod «Edictum ait, non tantum is, qui «rapit, sed et qui praecedente «consilio ad hoc ipsum homines «colligit armatos, ut damnum det «bonaue rapiat.» — Pro *armatos* Huschkius l. l. p. 192. haud inepte quidem, at repugnantibus *Basilicis* (T. VII. p. 397.), coniecit *armatue.*

14) L. 2. §. 3. h. t. «Siue igitur ipse quis cogat homines, siue «ab alio coactis utitur ad rapiendum, dolo malo facere uidetur.» §. 4. ibid. «Homines coactos accipere debemus, ad hoc coactos, «ut damnum daretur.» — §. 12. ib. «Si quis non homines ipse «coegerit, sed inter coactos ipse «fuerit, et quid aut rapuerit aut «damni dederit: hac actione te«netur. Sed utrum hoc solum «contineat Edictum, quod dolo «malo hominibus a reo coactis «damnum datum sit uel raptum; «an uero quod dolo malo rei ra«ptum uel damnum datum sit, «licet ab alio homines sint coacti, «quaeritur. Et melius esse dici«tur, etiam hoc contineri, ut om«nia haec contineantur, et quod «ex coactis ab alio damnum da«tum sit; ut et is, qui coegit, et «si qui coactus est, contineri «uideatur.»

15) L. 80. §. 4. De furtis. *(Papinianus)* «Is autem, cuius dolo «fuerit raptum, furti quidem non «tenebitur, sed ui bonorum ra«ptorum.»

16) L. 52. §. 30. De furtis. *(Ulpianus libro 37. ad Edictum.)* Idem libro 38. «Si quis ex domo, in qua «nemo erat, rapuerit: actione de «bonis raptis in quadruplum con«uenietur, *non furti* (Codd.: *furti* «*non*) manifesti, uidelicet si nemo «eum deprehenderit tollentem

In hominibus coactis nec numerus spectatur nec condicio, ut nihil intersit, unus an plures, liberi an serui fuerint, et q. g. s.[17]). Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta.

Iudicium conceptum est in quadrupium; quadruplari autem dicitur *uerum rei pretium*, non incerta quaedam *eius quod interest* aestimatio[18]). Utique hoc praecepto modum potius agenti, *de bonis raptis* praesertim, imponi, quam in *damnis datis* integra rerum pretia iustae damni aestimationi, multo fortasse minori, substitui, manifestum est.

Quadruplo autem non meram poenam, sed etiam rei persecutionem, perinde atque in actione Quod metus caussa[19]), inesse magis obtinuit[20]). Utique in eo similis haec actio est *furti actionibus*, dissimilis uero *actioni legis Aquiliae* et *arbitrariis*, ueluti *Quod metus caussa*, quod nec *confitendo* nec *restituendo* potest quadrupli praestatio euitari.[21])

(Vulg.: *tollenda*).» — De lectione conf. *Huschkius* l. l. p. 206.

17) L. 2. §. 5. h. t. «Neque «additur quales homines; qualescunque igitur, siue liberos siue «seruos. §. 6. Sed et si unus ho«mo coactus sit, adhuc dicemus «homines coactos.»

18) L. 2. §. 13. h. t. «In hac «actione intra annum utilem ue«rum pretium rei quadruplatur, «non etiam quod interest.» Conf. L. 50. pr. De furtis. (*Ulpianus*) «in furti actione non quod inter«est quadruplabitur uel duplabi«tur, sed rei uerum pretium» rei. — Contra: L. 21. §. 2. L. 22. L. 23. pr. §§. 1. 2. Ad. leg. Aquil. — Videsis etiam *Unterholznerum* l. l. not. k.

19) L. 14. §§. 7. 9. 10. Quod met. ca.

20) pr. I. h. t. (conf. *sup.* not. 7.) §. 19. I. De actionibus. L. 1. C. h. t.

21) L. 5. h. t. (*Gaius lib.* 21. *ad Ed. prou.*) «Non prodest ei, qui «ui rapuit, ad euitandam poenam, «si ante iudicium restituat rem, «quam rapuit.» — De *furti* actionibus conf. L. 54. §. 3. L. 48. pr. De furtis; contra de actione *legis Aquiliae:* L. 2. §. 1. L. 23. §. 10. Ad leg. Aquil. *Gai.* IV, 9. 171. §. 1.

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta..

Competit autem haec actio, bonorum quidem raptorum nomine, iisdem fere personis, quae in re clam facta furti agere possunt[22]). Itaque non illud spectatur, an actoris fuerint res ablatae siue ex iure Quiritium siue in bonis[23]), sed sufficit, inter bona eius, quum raperentur, ex facto magis quam certo iure fuisse[24]),

I. De poena tem. litig.; de aetione *quod metus caussa:* L. 9. §. 7. L. 14. §§. 1. 4. 11. Qnod. met. ea. L. 18. pr. De dolo. — Conf. etiam L. 1. §. 5. De publicanis.

22) §. 2. I. h. t. (sup. not. 6.) L. 2. §. 23. h. t. (inf. not. 24.)

23) d. §. 2. et L. 2. §. 22. h. t. (inf. not. 24.) — Nee magis in numero rerum ablatarum urgendum est uocabulum *bona;* nam etiamsi una res rapta sit, uel minima, dummodo mohilis, haee actio competit. *Gai.* III, 209. (sup. not. 6.) pr. I. h. t. L. 2. §. 11. h. t. «Quod ait Praetor *bona rapta*, «sic aecipiemus, etiamsi una res «ex honis rapta sit.» — L. 1. C. h. t. *(Imp. Gordianus.)* «Vi bono«rum raptorum aetionem, quae «cum poena sua retrahit ablata, «potius ad mobilia mouentiaque «quam ad fundos per iniuriam oc«eupatos spectare, explorati iuris «est.»

24) §. 2. I. h. t. «Sane in hae «actione non utique exspectatur, «rem in bonis actoris esse: nam «siue in bonis sit siue non sit, si «tamen ex honis sit, loeum haeo «actio habebit. Quare siue com«modata, siue loeata, siue pigne«rata, siue etiam deposita sit apud «Titium sie, nt intersit eius, eam «non auferri, ueluti si in re de«posita eulpam quoque promisit, «sine bona fide possideat, siue «usumfructum in ea quis habeat, «uel quod aliud ius, ut intersit «eius non rapi: dieendum est, «competere ei hanc aetionem, ut «non dominium accipiat, sed illud «solum, quod ex honis eius, qui «rapinam passns est, id est, quod «ex substantia eins ablatnm esse «proponatnr.» rel. (not. 6.) — L. 2. §§. 22—24. h. t. «In hac «actione non utique speetamna «rem in honis actoris esse: *nam* (sie Cod. meus; Edd. *Romae* 1476. *Lugduni* 1482. et 1513: *Sed.* — Conf. d. §. 2.) «siue in bonis sit «siue non sit, si tamen ex bonis «sit, loeum haec actio habebit. «Quare siue eommodata res sit «siue locata siue etiam pignerata «proponatnr, siue deposita apud «me sie, nt intersit mea eam non «auferri, siue bona fide a me pos«sideatur, siue nsumfrnetum in «ea habeam, uel quod aliud ius, «ut intersit mea non rapi: dicen«dum est, competere mihi hane «aetionem, ut non dominium ae«eipiamus, sed illud solum, *quod* (sic Cod. meus et Edd. *Romae*

dummodo ne plane nihil actoris intersit eas esse ablatas; quo loco etiam facilius est hoc iudicium quam

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta.

1476. *Lugduni* 1482. *Io. Syber* et 1513. *Fr. Fradin.* Conf. d. §.2.) « ex bonis meis, hoc est, ex sub« stantia mea, res ablata esse pro« ponatur. §. 23. «Et generaliter « dicendum est, ex quibus caussis « furti mihi actio competit in re « clam facta, ex iisdem caussis ha« bere me hanc actionem. Dicet « aliquis: Atquin ob rem deposi« tam furti actionem non habemus: « sed ideo addidi, *si intersit nostra* « *non esse raptam:* nam et furti « actionem *habeo, si* in re deposita « culpam quoque repromisi uel « pretium depositionis non quasi « mercedem *accepi.* §. 24. *Utilius* « dicendum est, etsi cesset actio « furti ob rem depositam, esse ta« men ui bonorum raptorum actio« nem, quia non minima differentia « est inter eum qui clam facit et « eum qui rapit; cum ille celet « suum delictum, hic publicet, et « crimen etiam publicum admittat. « Si quis igitur interesse sua uel « modice docebit, debet habere ui « bonorum raptorum actionem.»— Hunc locum (§§. 23. 24.), quem foede corruptum in Editionibus habemus, e *Cuiacii* consilio ita correxi, ut distingnendi interpungendique rationem, praeterea nihil, nouauerim, sedem autem ultii (vs. *habeo, si* et *accepi.* §. 24. *Utilius*) inclinatis typis indicauerim. Qua de re conf. *Cuiacium* ad §. 2. I. h. t. (in Opp. T. I. p.205.) et ad Tit. Cod. Depositi (in Opp. T. IX. p. 321. et T. X. p. 936.) Adde scriptores apud *Schultingium* Not. ad Dig. ed. *Smallenburg.* allegatos. Neque me fugit, *Huschkium* (l. l. p. 205.) etiam grauiorem hanc coniecturam proposuisse: « . . . repromisi. *Si uero* pretium « d. n. q. m. accepi, utilius dicen« dum est» rel. Quod idcirco non placet, quia eam puto Ulpiani mentem fuisse, ut, si quis pretium praemiumue depositi non quasi mercedem accepisset, etiam culpa in depositi actionem ueniret, ac propterea furti quoque is, apud quem depositum esset, agere posset. Dicit autem «*non quasi mercedem*», quoniam, si uera merces interueniret, in locationem tota res transiret. Conf. L. 5. §§. 2. 12. Commodati. L. 1. §. 9. Depositi. L. 14. §§. 17. 3. De furtis. De illo remunerationum genere, quod medium tenet inter meram donationem et iustam mercedem, uidesis L. 19. §. 1. L. 27. L. 34. §. 1. De donationibus. L. 25. §. 11. De hered. pet. L. 52. pr. De donat. int. V. et V. L. 194. De V. S. — Caeterum si cui forte in contextu, qualem nos exhibuimus, in uerbis « Utilius dicendum est » rel. durior esse transitio uideatur, non tam *Ulpianus*, ut opinor, quam *Compilatores* accusandi erunt. Conf. denique *Basil.* T. VII. p. 400.

Actio ui b. r
l Ctorum R
praecepta.

furti actio[25]). Diuersam autem rationem obtinuisse, ubi *de damno dato* ageretur, nemo auctor est.

Post annum, quo experiundi potestas fuit, nonnisi in simplum actio datur[26]). Heredi perinde ac defuncto datur, in heredes caeterosque successores numquam, ne in id quidem, quod ad eos peruenit, quoniam condictio furtiua et reliquae uulgares actiones sufficere uidentur[27]).

Vidcndumque illud est: Si seruus commiserit quod in hoc iudicium uenit, eius serui nomine perinde atque in caeteris delictis noxalis actio datur[28]), ut liberum domino sit aut quadruplum soluere aut seruum noxae dare.

Enimuero non certi serui solum, sed etiam familiae nomine noxale hoc iudicium reddi solet. Quo consti-

25) d. L. 2. §. 24. h. t. Neque inepte *Schultingius* ad h. l., allata L. 1. §. 33. De ui, infert similitudinem interdictorum de ui in recuperandis rebus, quas actor, quum deiiceretur, in fundo habuit. Conf. *h. sup.* Lib. II. p. 298. seqq.

26) *Gai.* III, 209. (snp. not. 6.) pr. I. h. t. L. 2. §. 13. (not. 18.) L. 4. §. 8. h. t. LL. 2—5. C. eod.

27) L. 2. §. 27. h. t. «Haec «actio heredi caeterisque succes- «soribus dabitur. Aduersns here- «des autem uel caeteros succes- «sores non dabitur, quia poenalis «actio in eos non datnr. An tamen «in id, qnod locnpletiores facti «sunt, dari debeat, uideamus. Et «ego puto ideo Praetorem non «esse pollicitnm in heredes in id, «quod ad eos peruenit, quia pu- «tauit sufficere condictionem.» — Conf. L. 111. §. 1. De R. I.

28) L. 2. pr. h. t. (sup. p. 544.) L. 4. C. h. t. (*Dioclet.* et *Maxim.*) «De his, quae seruus alienus «nesciente domino ui rapuisse di- «citur, intra annum in quadru- «plum ui bonorum raptorum, et «post in simplum dominus eins no- «xali actione apnd competentem «iudicem conueniri potest.» — *Gai.* IV, 76. «Constitutae sunt «autem noxales actiones aut le- «gibns ant edicto: legibus, uelut «furti lege XII. tabularnm, damni «ininriae lege Aquilia; edicto «Praetoris, uelut iniuriarum et «ui bonorum raptorum.» Conf. §. 4. I. De noxal. act., ibique *Schraderum*.

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta

tuto in eo quidem est caussa actoris faciiior, quod non necesse habet ostendere, qui sint ex familia homines, qui rapuerunt damnumue dederunt, et quod familiae nomen latius patet, atque praeter seruos, qui uere sunt eius qui conuenitur, etiam omnes comprehendit, qui in ministerio sunt, siue liberos siue seruos[29]): simul autem is quicum agitur hactenus subleuatur, ut etiamsi plures nocuerint, semel tantum quadrupli condemnetur[30]), et, si noxae dare maiuerit, non totam familiam, sed nocentes tantum dare debeat[31]).

Caeterum constat, eum, qui hac actione tenetur, simul etiam publico iudicio lege *Iulia* de ui siue priuata siue publica obstringi[32]). Nec tamen priuata, qua

29) L. 2. §. 14. h. t. «Haec «actio etiam familiae nomine com«petit; non imposita necessitate «ostendendi, qui sunt ex familia «homines qui rapuerunt uel etiam «damnum dederunt. Familiae au«tem appellatio seruos continet, «hoc est, eos, qui in ministerio «sunt, etiamsi liberi esse propo«nantur uel alieni bona fide nobis «seruientes.» Conf. sup. Lib. II. p. 308. in nota. Adde L. 25. §. 2. De sedil. ed. De priore parte d. §. 14. conf. L. 3. §. 2. De publicanis.

30) L. 2. §. 15. h. t. «Hac actio«ne non puto posse actorem sin«gulorum seruorum nomine age«re aduersus dominum eorum, «quia sufficit dominum semel qua«drupium offerre.» Conf. L. 1. pr. §. 2. Si fam. fur. fe. di.

31) L. 2. §. 16. h. t. «Ex hac «actione noxae deditio non totius «familiae, sed eorum tantum uel «eius, qui dolo fecisse comperie«tur, fieri debet.»

32) §. 8. I. De pu. iud. «Item «lex Iulia de ui publica seu pri«uata aduersus eos exoritur, qui «uim uel armatam uel sine armis «commiserint» rei. L. 3. §. 2. Ad leg. Iul. de ui pu. *(Marcianus.)* «In eadem caussa sunt, qui pes«simo exemplo conuocata sedi«tione uillas expugnauerint, et «cum telis et armis bona rapue«rint.» — L. 2. Ad leg. Iul. de ui pri. *(Scaeuola.)* «Hac lege te«netur, qui conuocatis hominibus «uim fecerit, quo quis uerberare«tur pulsaretur, neque homo oc«cisus erit.» (Ad litteram paene iisdem uerbis utitur *Ulpianus* in

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta.

de agitur, persecutio propterea, quod publicae quaestioni praeiudicium fiat, impeditur, quamuis fuerit quaesitum[33]) et secundum quorundam opinionem a *D. Pio*

L. 10. §. 1. Ad leg. Iul. de ui pu. De homino occiso conf. L. 1. pr. §§. 2. 3. Ad leg. Corn. de sica.) L. 3. *(Macer.)* «Nec interest liberos an seruos, et suos an alienos «quis ad uim faciendam conuocauerit. §. 1. Nec minus hi, qui «conuocati sunt, eadem lege te«nentur. §. 2. Sed si nulli con«uocati nullique pulsati sint, per «iniuriam tamen ex bonis alienis «quid ablatum sit; hac lege te«neri eum, qui id fecerit.» — Similiter cum interdictis de ui iudicia publica concurrunt. *Pauli* R. S. V, 26, 3. «Lege Iulia de ui «priuata tenetur qui quem arma«tis hominibus possessione, domo, «uilla agroue deiecerit, expugna«uerit, obsederit, cluserit, idue «ut fieret homines commodauerit, «locauerit conduxerit» rel. L. 5. Ad leg. Iul. de ui pri. «Si quis «aliquem deiecit ex agro suo ho«minibus congregatis sine armis, «uis priuatae postulari possit.» — L. 11. §. 1. De accusationibus. *(Macer.)* «Liberi libertique non «sunt prohibendi, suarum rerum «defendendarum gratia, de facto «parentium patronorumue queri: «ueluti si dicant, *ui se a posses«sione ab his expulsos*, scilicet «non ut crimen uis eis intendant, «sed ut possessionem recipiant.» rel. L. un. C. Quan. ciu. act. crim. praeiud. (seq. not. 33.) L. 3. §. 4. Ad leg. Corn. de sica. *(Marcianus)* «Item is cuius familia sciente eo «adipiscendae reciperandae pos«sessionis caussa arma sumpserit, «... Senatusconsulto poena legis «Corneliae punitur.» — Conf. L. 152. pr. De R. I. *(Ulpianus.)* «Hoc «iure utimur, ut quicquid omnino «per uim fiat, aut in uis publicae «aut in uis priuatae crimen in«cidat.»

33) L. 2. §. 1. h. t. «Hoc edicto «contra ea, quae ui committuntur, «consuluit Praetor. Nam si quis «se uim passum docere possit, pu«blico iudicio de ui potest expe«riri, neque debere publico iu«dicio priuata actione praeiudi«cari, quidam putant. Sed utilius «uisum est, quamuis praeiudicium «legi Iuliae de ui priuata fiat, ni«hilominus tamen non esse dene«gandam actionem eligentibus «priuatam persecutionem.» L. 15. De accusationibus. *(Ulpianus lib. 56. ad Edictum)* «In eum, cuius «dolo malo hominibus coactis «damni quid datum esse dicatur, «non debet cogi actor, omissa acti«one ciuili crimen intendere.» — L. 4. De publ. iud. *(Paullus)* «In«terdum euenit, ut praeiudicium «iudicio publico fiat: sicut in «actione legis Aquiliae et furti et «ui bonorum raptorum et inter«dicto Unde ui et de tabulis testa«menti exhibendis: nam in his

de proprietatis possessionisque iudiciis etiam aliter constitutum[34]). Actio ui b. r. ICtorum R praecepta.

« de re familiari agitur.» — L. 3. De pri. del. *(Ulpianus)* « Si quis « actionem, quae ex maleficiis ori« tur, uelit exequi, si quidem pe« cuniariter agere uelit; ad ius or« dinarium remittendus erit, nec « cogendus erit in crimen subscri« bere. Enimuero si extra ordinem « eius rei poenam exerceri uelit, « tunc subscribere eum in crimen « oportebit.» — L. 7. §. 1. De iniuriis. *(Ulpianus)* « Si dicatur « homo iniuria occisus, numquid « non debeat permittere Praetor « priuato iudicio legi Corneliae « praeiudicari? idemque et si ita « quis agere uelit, *quod tu ueneanum dedisti hominis occidendi « caussa?* Rectius igitur fecerit, si « huiusmodi actionem non dederit. « Atqnin solemus dicere, ex qui« bus caussis publica sunt iudicia, « ex his caussis non esse nos pro« hibendos, quominus et priuato « agamus. Est hoc uerum, sed « ubi non principaliter de ea re « agitur, quae habet publicam exe« cutionem. Quid ergo de lege « Aquilia dicimus? nam et ea actio « principaliter hoc continet, *homi« nem occisum:* non principaliter, « nam ibi principaliter de damno « agitur, quod domino datum est; « at in actione iniuriarum de ipsa « caeda uel ueneno, ut uindicetur, « non ut damnum sarciatur.» rel. L. un. C. Quan. ciu. act. crim. praeiud. (Impp. *Ualens* et *Gratian.* et *Ualent.*) « A plerisque Pruden« tium generaliter definitum est, « Quoties de re familiari et ciuilis « et criminalis competit actio, utra« que licere experiri, siue prius « criminalis siue ciuilis actio mo« ueatur; nec si ciuiliter fuerit « actum, criminalem posse con« sumi; et similiter e contrario. « Sic denique et per uim de pos« sessione deiectus, si de ea re« cuperanda interdicto Unde ui « fuerit usus, non prohibetur ta« men etiam lege Iulia de ui publi« co iudicio instituere accusatio« nem.» rel. — Adde L. 3. C. De lege Aquilia. L. 7. C. Ad leg. Iul. de ui pu. L. fi. De furtis. L. 1. §. 1. De incendio ruina. — Conf. *Huschkium* l. l. p. 188. seq.

34) L. 5. §. 1. Ad leg. Iul. de ui pu. *(Marcianus)* « Si de ui et pos« sessione uel dominio quaeratur, « ante cognoscendum de ui, quam « de proprietate rei D. Pius τῷ « κοινῷ τῶν Θεσσάλων, id est, « uniuersitati Thessalorum rescri« psit. Sed et decreuit, ut prius de « ui quaeratur quam de iure do« minii siue possessionis.» Conf. L. 37. De iudiciis. — Sed recte alii monuerunt, non de *agendi* sed de *cognoscendi* ordine hh. ll. praecepta dari. Conf. etiam L. 1. C. De appellationibus. L. 7. C. Ad leg. Iul. de ui pu., et *Schultingium* in Not. ad Dig. ed. *Smallenburg.* ad d. L. 37. eum scriptori-

Actio ui b. r. ICtorum R. praecepta.

Actio ui bonorum raptorum earum numero est, quibus quicunque suo nomine damnatus pactusue esset, infamia notabatur[35].

bus illic et apud *Hommelium* allegatis. — Caeterum inferius ultro apparebit, cur tam curiose et tot fragmentis in medium prolatis bb. notis 32—34. rationem illam, quae inter publica ac priuata iudicia in hoc iure intercessit, persecuti simus.

35) L. 1. De his qui not. infs. L. 4. §. 5. eod. *(Ulpianus)* «Item «si qui furti, *ui bonorum rapto«rum*, iniuriarum, de dolo malo «suo nomine damnatus pactusue «erit, simili modo infames sunt.» L. 2. C. eod. §. 2. I. De poenis tem. litig. *Gai.* IV, 182. L. 7. De pu. iud. L. 56. Pro socio.

§. 2.

De actionis iure et formula. — Controuersiae.

Quae adhuc in medium protulimus, sunt *Gaii*, *Ulpiani*, *Paulli* de hoc iure praecepta, qualia per *Digestorum* maxime compositores transmissa accepimus. Quae tamen quam procul absit ut ex uetere illo *M. Luculli* edicto eiusue aetatis aut litteris aut usu forensi consulta et exquisita ad Iurisconsultos nostros peruenerint, nihil magis argumento est quam graues eorum, quos nominaui, et aequalium dissensiones, quarum uel in breui illo *Digestorum* Titulo uestigia licet animaduertere. Quid ergo est? quum in interpretando Edicto atque in primariis quibusdam eius iuris partibus uersentur, non potest earum cognitio in exploranda huius iudicii actionisque ratione ac progressione inutilis esse. Alia quaedam, nobis potius dubia atque incerta quam apud Romanos controuersa, eadem disputatione facili negotio coniungentur.

Iam primo loco quod secundum *Ulpianum* supra scripsimus[1]), in hoc iudicio, siue de damno dato siue de bonis raptis agatur, requiri, ut *aut ui aut hominibus coactis* res gesta sit, neutrum autem sufficere, nisi etiam *dolo malo* sit gesta: haudquaquam uidetur omnibus placuisse. Nam statim in L. 4. §. 6. eiusdem ti- De v^a. „dolo malo."

1) p. 547.

De vv. „dolo malo."

tuli *Digestorum*[2]) Iurisconsultus quidam, haud magno certe temporis interuallo ab *Ulpiano* seiunctus, diuersam prorsus tam Edicti quam formulae interpretationem proponit, in eoque maxime consistit, ut uerba «*dolo malo*» a uerbis «*damnum factum esse*» et «*bona rapta esse*» auellat atque cum uerbis «*coactis hominibus*» coniungat; quinetiam insignem quandam inter hoc edictum et alterum illud, quod est *de damno dolo malo in turba dato*, diuersitatem in eo intercedere affirmat, quod ibi ipsa orationis necessitate, deficiente uidelicet alio *uerbo* (quod grammatice *uerbum* dicimus), uocc. «*dolo malo*» cum uerbo «*factum esse*» coniungantur. Cui consentaneum est, una cum vv. «*dolo malo*» etiam vv. «*coactis hominibus*» a vv. «*bona rapta esse*» plane seiungi et solis vv. «*damni quid factum esse*» tota attribui[3]).

2) «Si quis aduentn suo turbam «concitauit uel contraxit, uel cla- «more uel faeto aliquo, nel dum «criminatur aliquem uel miseri- «cordiam prouocat: si dolo malo «eius damuum datum sit, etiam «si uou babnit cousilium turbae «eogeudae, tenetur. Verum est «enim, dolo malo eius in turba «damni quid datum: ueque enim «exigit Praetor, nt ab ipso sit «tnrba eouuocata, sed hoc, nt «dolo alieuius in turba damnum «datum sit. Eritque haec diffe- «rentia iuter boe edictum et supe- «rius, quod ihi de eo damuo «Praetor loquitur, quod *dolo* «*malo hominibus coactis* datum «est, uel raptum etiam non eoactis «bominibus. At hie de eo damno, «quod dolo malo iu turba datum «est, etiam si uou ipse turbam «coegit, sed ad clamorem eius uel «dieta uel miserieordiam turba «coutraeta est, uel si alius eontra- «xit, uel ipse ex turba fuit.»

3) Conf. etiam L. 195. §. 3. De V. S. *(Ulpianus* lib. 46. ad Edi- etum) «...alia autem parte Edicti «(familiae nomiue) omues serui «eontineutur, ut de bominibus «eoaetis et ui bonorum raptorum; «item redhibitoria ... et inter- «dicto Unde ui» rel. L. 2. §. 10. b. t. «Caeterum ueque furti actio «neque legis Aquiliae eontributae «(de hoc uerbo conf. *Sauinium*, «Syst. de R. R. T. v. p. 245. not.

Ex quo perspicuum est, ad damna data difficilius reddi hoc iudicium, ad bona rapta quodammodo facilius. Nam qui de uerborum structura, ut modo dixi, sentirent, necesse est de iure ita statuerint propter *damnum datum* in hoc iudicium uenire neminem nisi qui hominibus coactis damnum dedisset et ad id ipsum dolo malo homines antea coegisset: contra de *bonis raptis* hoc iudicio obstringi, quicunque bona quouis modo rapuisset, ut praeterea neque de *hominibus coactis* neque de *dolo malo* neque de *ui* quaereretur. Quo quidem posteriori loco in uerbis fortasse magis quam in re dissensio uersabatur; quid enim mirum, si ipsi uocabulo *rapere* inesse *uim* quispiam statuerit? [4]) Profecto ne illud quidem plane incredibile est, etiam De vv. „dolo malo"

z.) « sunt in hoc Edicto, licet interdum communes sint cum hoc « Edicto. Nam Iulianus scribit, « eum, *qui ui rapit*, furem esse « improbiorem: et *si quid damni* «*coactis hominibus dederit*, uti- « que etiam Aquilia poterit teneri.» Conf. L. 2. §§. 1. 2. De pri. del. — Sed quam late manauerit illa opinio, in bonis raptis uim solum, non homines coactos spectari, denique omne furtum, dummodo *ui* sit commissum, hac actione ui bonorum raptorum teneri; argumento sunt haec quoque loca: L. 48. §. 7. De furtis. (*Ulpianus* lib. 42. ad Sabinum) « Cum fur rem furtiuam « uendidisset, eique nummos pre- « tii dominus rei per uim extorsit; « furtum eum nummorum fecisse, « recte responsum est: idem etiam « ui bonorum raptorum actione te- « nebitur» rel. — L. 6. §. 2. De re iud. (*Ulpianus*) « Qui indicati « bona auctoritate sua distraxit, « furti actione et *ui bonorum ra-* «*ptorum* ei tenetur.» — L. 91. eod. (*Labeo*) « Si quis, quum sci- « ret quid sibi subripi, non pro- « hibuit, non potest furti agere. « *Paullus:* immo contra; nam si « qui scit sibi rapi, et, quia non « potest prohibere, quieuit, furti « agere potest. At si potuit probi- « bere nec prohibuit, nihilominus « furti aget.» rel.

4) L. 3. §. 5. De incendio ruina. (*Ulpianus* libro 56. ad Edictum) « Aliud autem esse rapi, aliud « amoueri, palam est: siquidem « amoueri aliquid etiam sine ui « possit; rapi autem sine ui non « potest.»

De v. „dolo malo."

dolum inesse quosdam existimauisse, ut adeo negarent *rapuisse* eum, qui forte rem *suam* ab aliquo ui abstulisset[5]).

Verumenimuero quis est *Ulpiani* hic aduersarius atque auctor alterius diuersaeque doctrinae?

Nempe inscriptio d. Legis 4. *eundem Ulpianum* demonstrat, eundemque *Ulpiani librum* 56. *ad Edictum* continet, ex quo d. L. 2. cum priori illa, quam antea proposuimus, iudicii ratione hausta esse uidebatur.

Itaque *Huschkius*[6]), quum in animum inducere non posset, adeo *Ulpianum* nostrum in eodem libro sibi repugnare, negauit, omnia, quae in d. §. 6. disputantur, ab *Ulpiano* profecta esse. Quem ita sequor, ut coniiciam, quae in d. §. 6. inueniuntur contraria illi L. 2., aut ab alio Iurisconsulto esse scripta, tum in componendis Digestis huic §. 6. inserta, aut ab ipso quidem *Ulpiano* ex alio cuiusdam Iurisconsulti libro relata, sed excerpendi ratione in propriam *Ulpiani* sententiam conuersa esse. Denique ne eum quidem plane deridendum esse arbitror, qui sic existimauerit, ipsum *Ulpianum* tali quodam modo uacillasse, ut, si integri eius libri copia esset, multo fortasse minus miraremur.

Ipsa autem, quam demonstraui, dd. fragmentorum dissensio ne nimiam habeat offensionem, optime consulemus, si propositum Edictum agendique formulam cum *Ulpiani* interpretatione, quae in d. L. 2. habetur,

5) Nihil quidem eiusmodi inuenitur in dd. L. 2. §. 18. h. t. et §. 1. I. h. t. (sup. not. 12.) Sed inuenitur in furto tamen, ueluti in L. 21. §§. 3. 4. L 23. L. 46. §. 7. L. 50. §. 2. De furtis.

6) l. l. p. 195.

denuo ob oculos ponamus, et, quam facilem ac paene dicam necessariam praebuerit dissensionibus occasionem, exemplis aliquot doceamus. De vv. „dolo malo."

Ulpianus posteaquam de uerbis illis Edicti SI CUI DOLO MALO HOMINIBUS COACTIS DAMNI QUID FACTUM rel. in §§. 2—6. d. Legis 2. ita disseruit, ut prius vv. *dolo malo*, deinde vv. *hominibus coactis* separatim explanaret, deinceps in §. 7. sic pergit scribere:

« Item si proponas, solum damnum dedisse, non pu- « to deficere uerba: hoc enim quod ait *hominibus* « *coactis*, sic accipere debemus: *etiam hominibus* « *coactis*, ut, siue solus uim fecerit, siue etiam ho- « minibus coactis, uel armatis uel inermibus, hoc « Edicto teneatur [7]).

Ex quo efficitur, ut hac actione teneatur quicunque *aut* dolo malo *aut* hominibus coactis damnum dederit bonaue rapuerit.

Quid autem si quis *ui* quidem, at *sine hominibus coactis* damnum dederit, nonne tenebitur? Utique tenebitur, quia *doli mali mentio* (sic ait *Ulpianus* in seq. §. 8.) *hic et uim in se habet; nam*, inquit, *qui uim facit*, *dolo malo facit* [8]), *non tamen qui dolo malo facit*, *utique et ui facit.*

Audio; prospectum est omnibus, quae ui sunt admissa (etiam sine coactis hominibus), ut teneantur.

7) Genuinam hanc fragmenti lectionem *Sauinius* l. l. p. 127. seqq., *Heisii* coniectura usus, e *Florentinae* et *Vulgatae* mendis indiciisque praeclare restituit, assentiente *Huschkio* l. l. p. 191.

8) Conf. L. 14. §. 13. Quod met. ca. (*Ulpianus.*) « Eum, qui « metum facit, et de dolo teneri « certum est (et ita Pomponius)» rel.

De v° „dolo malo."

Sed in hoc *doli mali* intellectu necesse est fateamur, posse dolo malo damnum dari etiam sine ui. Nonne id saltem, si ne coacti homines quidem interuenerint, horum uerborum laqueos effugiet? Minime. *Non solum* enim, ut *Ulpiani* non sententiam solum sed etiam uerba sequamur, *dolus malus habet in se et uim*, uerum *sine ui si quid callide admissum est*, *aeque continebitur*.

Quo in praecepto si consistamus, iam eo fere nos peruenisse sentiemus, ut quaecunque damna ad *legem Aquiliam* pertinerent, ea etiam in *hac* actione uenirent omnia, dummodo *dolo* nec *culpa* solum peccatum esset.

Sed ea opinio num reapse Iurisconsultorum quorundam iudicio fuerit comprobata, neque negare ausim neque affirmare[9]); tamen illud constat, *Ulpiano* eam non placuisse. Qui contra ob id ipsum, ne eiusmodi exitum habeat praedictorum uerborum interpretatio sua, quod illic sanae iuris rationi creauit periculum, noua iam et longius hercle repetita *damni* definitione laborat ut depellatur. Nimirum in §. 9. *ib.* sic scripsit:

« *Damni*, Praetor inquit: Omnia ergo damna con-
« tinet, et clandestina. Sed non puto clandestina,
« sed ea, quae uiolentia permixta sunt. Etiam quis
« recte definiet, si quid solus admiserit quis non ui,
« non contineri hoc Edicto; et, si quid hominibus
« coactis, etiam si sine ui, dummodo dolo malo sit
« admissum, ad hoc Edictum spectare. »

9) *Senecae* Controu. V, 5. « Lex. « Qui sciens damnum dederit, red- « dat quadruplum; qui insciens, « simplum. » Quae uerba Rhetoris ita *Cramerus* l. l. affert, ut caute tamen adiiciat: Retinuisse (huius iudicii memoriam) et Seneca (hh. vv.) uideri potest; — *nec tamen iusto.*

Profecto hoc quoque *Ulpiani* consilium tale est, ut *Sauinii* illud, quod ad d. §. 7. notauit, argutiori cum Iurisconsultum in hoc Edicto interpretandi ratione usum esse, mihi, quicquid contra dicat *Huschkius*[10]), bis uerum esse uideatur. De vi. „dolo malo.“

Quid autem? obiiciat aliquis, nonne uocabulum *ui* tam in Edicto quam in iudicii formula adscriptum fuisse dicemus? nonne id ipsum ad praecidendas istas ambages efficacissimum, promptissimum et imprimis necessarium fuit?

Respondeo, me in Edicto, quod in d. L. 2. pr. traditur, nil conspicere.

At enim conspicuum est illud uoc. *ui* in ueteri formula[11]) et in nouo huius actionis nomine, quod est Vi *bonorum raptorum*[12]), quinetiam in eo, quod *Ulpianus* ita uniuersum actionis consilium breui comprehendit, ut dicat, hoc Edicto contra ea, quae *ui* committuntur, Praetorem consuluisse[13]).

Nil repugno, nec dissimulabo, mirari me aliquantulum nec satis habere, unde rationem reddam omnibus numeris absolutam, cur uoc. *ui* ex Edicto iudicioque euanuerit: euanuisse tamen credo, nec temere ab *Ulpiano*, quum Edicti uerba referret, nedum a *Triboniano* aut a librariis, omissum esse[14]).

Nam ut nihil dicam de Codicibus mss., nihil de Basilicis, quorum est in omittendo illo uocabulo summa consensio, quid, si ueterem illam uerborum formulam

10) l. l. p. 191.
11) Vide supra p. 544.
12) Vide sup. p. 545. not. 4.
13) Vide sup. p. 547. not. 10.
14) Mecum sentit *Unterholznerus* l. l. p. 725. not. b.

De vv. „ui." « *dolo malo... ui hominibus armatis coactisue*» rel. Ulpianus haberet, quid, inquam, opus fuit tortuosa illa artificiosaque Edicti interpretatione, quam in dd. §§. 7—9. inuenimus, ubi demonstrat, uim non disertis formulae uerbis requiri, sed *doli mali* mentione inuolutam contineri, quin adeo sine ui si quid callide admissum esset, id quoque formula comprehendi, tantummodo supradicta uoc'. *damni* interpretatione effici posse, ut is tamen, qui neque ui neque hominibus coactis damnum dedisset, hoc iudicio liberaretur? Denique diuersa illa, quam e d. L. 4. §. 6. cognouimus, ratio eorum, qui «*dolo malo*» non *damnum datum* sed *homines coactos* esse debere contenderunt, quemadmodum, si vv. *dolo malo* et *hominibus coactis* ad pristinum modum uoc°· *ui* interposito separata fuissent, non modo probari cuipiam sed umquam cogitari potuisset?

Caeterum ne sciatur solum, uoc. *ui* ex Edicto iudiciique formula aliquando eiectum esse, uerum etiam, quid caussae fuerit, intelligatur, inferius, quoad coniectura suppetet, curabimus.

De vv. „armatis. uc." Interea similis quaestio intercedit de *armatorum* mentione, nam eam quoque sequiori aeuo tam ex Edicto quam ex agendi formula elisam fuisse, *Sauinius* existimat[15]; *Huschkius* contra sentit, et hac quoque parte integrum ad *Ulpiani* aetatem Edictum *M. Luculli* iudiciumque peruenisse defendit.[16])

Quorum ille, quum nondum cognitis *Peyroni* curis scriberet, ac propterea in §. 7. *h. or.* «HOMINIBUS AR-

15) l. l. p. 127. — Eandem sententiam sequitur *Unterholznerus* l. l. p. 724.

16) l. l. p. 192.

MATIS COACTISQUE" *Ciceronem* scripsisse coniiceret, in eam opinionem adductus est, ut statueret, exasperandi iudicii tollendaeque defensionis caussa sub Imperatoribus *armatorum* mentionem eiectam fuisse: sed de hac ratione saltem ac consilio omissionis errauisse se, statim Vir summus, ut opinor, perspexit, quum primum sibi persuasit, COACTISUE, non COACTISQUE legendum esse, eamque lectionem non ratione solum sed etiam utriusque Palimpsesti auctoritate ualide constare.[17]) De ui ,,armatis...ue."

17) Nuper etiam *Unterholznerus* (l. l. p. 724.) non argumentis quidem docuit, at uerbo tamen indicauit, in pristinis edicendi agendique formulis scriptum fuisse HOMINIBUS ARMATIS COACTISQUE, non COACTISUE. Itaque operae pretium erit, de ea re paullo accuratius dispicere, quum praesertim etiam promissum (*sup.* p. 337. not. 24.) exsoluamus. Atque illud palam est, uariare *Tullii* scriptionem tam in hac oratione quam in *Caeciniana*, ac modo disiunctiuam particulam *ue* modo coniunctiuam *que* usurpari: ut ecce *coactisue* habes *pro Tullio* §. 7. (in utroque Codice), §. 12. §. 40., eandemque particulam in interdicti disceptatione, *pro Caecina* c. 21, 60. c. 31, 91. c. 32, 92.: contra particula *que* aut similis coniunctio occurrit in *h. or. pro Tullio* §§. 9. 43., *pro Caecina* c. 1, 2. c. 7, 20. c. 9, 23. c. 11, 32. 33. c. 12, 33. 35. c. 22, 63. c. 32, 93. — Sed qui modo ea loca ponderare magis quam numero aestimauerit, statim animaduertet, quae ipsa formulae uerba recitant aut ueram eius uim consulto definiunt, ea omnia disiunctionem habere; ubi uero coniunctio occurrit, ibi non formulam rationemue communem spectari, sed de re potius, quomodo in caussa proposita sit gesta (ut recte *Heinrichius* l. l. p. 66. monuit), aut etiam de ficta caussae figura agi, aut aliam denique caussam adesse, propter quam, salua utique formula *disiunctim* concepta, diuersus sermo facillime intelligatur uel excusetur. Statim in §. 9. *h. or.* quod habetur, «*nihil opus fuisse iudicio de ui coactis armatis*que *hominibus*», quodque uehementer urget contra *Heinrichium Huschkius*, mihi expeditissimum uidetur. Non quo admodum placeat illius defensio, *apte loqui oratorem ad rem, uti in ui illa fiebat plerumque, nempe per homines coactos* et *armatos*; immo quoniam h. l. non edicti actionisue formula dicentis animo obuersatur, sed iudicium magis quid contineat demonstratur: at con-

De uoc. „armatis...ue."

Quippe uoc. COACTISUE non potuisse *exasperandae actionis caussa* omitti, plus quam manifestum est.

Huschkius autem[18]) omnino negat, moueri nos eo oportere, quod uoc. *armatis* in Edicto, ab *Ulpiano* relato, non inueniamus, nam quum solum interpretandi caussa Edicti uerba afferri a ICtis Romanis soleant, mirabile non esse, si permulta, — omnia uidelicet, quae interpretaturi non essent, ab iis omittantur; in transcursu uero et ipsum *Ulpianum* armatorum mentionem facere, uelut in L. 2. §§. 2. 7. h. t.[19]).

tinet hercle *uim coactis hominibus*, continet etiam *uim armatis hominibus*, ut nullam profecto habere possit offensionem, si quando tali modo iudicium *de ui coactis armatis*que *hominibus* appelletur. Deinde nonnunquam negatio, quae uoci *sine* et similibus inest, facit, ut etiam in disiunctiuo iure et formula tamen particula coniunctiua tolerabilis adeoque uerior uideatur; uelut in d. c. 32, 93. «Videtisne, quot de«fensionibus eum, qui sine armis «*ac* multitudine uim fecerit, «uti posse maiores noluerint?»; quamquam hac quoque parte uariatur (d. c. 32, 92. «sine coactis «armatisue hominibus). Quid multa? dandum est nonnihil etiam sermonis quotidiani incuriae, ne ab oratore quidem alienae. Sed quum in omnibus hisce locis coniunctim conceptis nihil remaneat difficultatis, si disiunctiuam formulam statuas (aeque atque in aliis quibusdam, quae alterutrum tantum habent, siue *coactis* siue *armatis*, uelut *pro Tullio* §§. 25. 31., *pro Caecina* c. 8, 23.) contra loca illa, quae *disiunctionem* habent, maximopere repugnent coniunctiuae formulae *armatis coactisque*, deinde quum ipsum actionis ius, ut infra apparebit, uerbis disiunctiuis unice conueniat: neque opportunum uidetur, quod hanc quaestionem quidam in *Paulli* fragmento 53. De V. S., ubi de coniunctorum disiunctorumque *in formulis* permutatione agitur, totam constituerunt, et nimium illud *Huschkii* (ad d. §. 7., l. l. p. 109), qui, dum fatetur, in Praetoris edicto formulaque fuisse *coactisue*, negat in uniuersum multum retulisse, diceretne quis coactis*que* an coactis*ue*, nec putat *Ciceronem* iam cogitate unum alterumue quoque loco posuisse. Caeterum quae mihi sit cum *Huschkio* de interpretatione formulae propositae alia dissensio, inferius aperiam.

18) l. l. p. 192.

19) Vide *sup*. p. 548. not. 13. et

Quae ut fatear dubium quodammodo efficere, uoc. ARMATIS ad *Ulpiani* aetatem saluum peruenerit necne, noua tamen quaedam consideratio me impellit, ut *Sa-uinio* potius credam, illam uocem excidisse. Quippe *actoris caussa* primitus insertam eique, quo iure tunc utebantur, utilem fuisse, partim antea docui, partim mox luculentius apparebit: sed in nouo hoc iure, quod e Digestis modo cognouimus, quaenam potuit caussae figura talis existere, ut uoce illa detracta minus actio ualeret? Certe si in hominibus *coactis* nihil refert, *armati* fuerint an *inermes*, *quoue numero* fuerint, ut uel unus homo sufficere possit, denique *a quo* sint coacti, dummodo is quicum agitur aut ipse dolo malo fecerit aut aliis, ut facerent, auctor fuerit, si ne opus quidem est, hominibus ullo modo coactis, sed satis est, aliquem *solum* quolibet modo aut rapuisse aut damnum ui dedisse[20]: quemadmodum potuit accidere, ut is, qui hominibus armatis damnum dedisset bonaue rapuisset, tamen, nisi etiam uerba ARMATIS HOMINIBUS in formulam adderentur, iudicii laqueos effugeret? De v. „armatis...uo."

Quod si non modo accidere sed ne cogitari quidem facile potuit, num magnopere mirabimur, si abundare illud uocabulum uideri, tum omitti coepit?[21].

Superest notissima illa Iurisconsultorum *de qua-* De quadruplo,

p. 561. sub not. 7. — Conf. tamen etiam L. 15. De accusationibus *sup.* p. 554. not. 33., ubi nulla est *armatorum* mentio.

20) De his rebus omnibus uide sup. p. 548. seq. sub noll. 13—17.

21) Simile exemplum narratur in L. 1. Quod met. ca. Conf. *in Verrem* III, 65, 152. — Verba habes *sup.* p. 311. not. 31., ubi adde *Sen.* de *Benef.* II, 18. s. fi.

De quadruplo. *druplo* dissensio, num meram poenam, an rei quoque persecutionem contineret[22]).

Quo loco nihil habemus ad intelligendam ueram controuersiae naturam utilius quam ineptissimum quendam in *Iustiniani Institutionibus* articulum[23]), in haec uerba conceptum:

« Quadruplum autem non totum poena est, sicut in
« actione furti manifesti diximus, sed in quadruplo
« inest et rei persecutio: ut poena tripli sit, siue
« comprehendatur raptor in ipso delicto siue non.
« Ridiculum enim esset, leuioris condicionis esse eum,
« qui ui rapit quam qui clam amouet.»

Ecce totam controuersiam cum aequissima, si Diis placet, decisione, uidelicet ex altera acie sententia petita, ex altera argumento.[24])

Nam ex quo primum in proposita actione *furta* potissimum spectabantur, *damnorum* exigua ratio habebatur, quid erat paratius, quam hoc iudicium cum duplici actione furti componere et furtorum tria genera, *manifesti*, *nec manifesti*, *uiolenti* cum delictorum poenarumque proportione examinare? Quod quum facerent, nihil quidem offendebantur legitimo illo iure et

22) §. 19. I. De actionibus. « Vi autem bonorum raptorum « actio mixta est, quia in quadruplum rei persecutio continetur, poena autem tripli est.» *Gai.* IV, 8. « Poenam tantum consequimur uelut actione furti et « iniuriarum et secundum quorumdam opinionem actione ui « bonorum raptorum: nam ipsius « rei et uindicatio et condictio nobis competit.» — *Huschkius* l. l. p. 199.

23) pr. I. h. t.

24) Diuersa interpretandi tentamina inuenies apud *Theophilum* ad h. l. et apud recentiores Commentatores Institutionum. Mecum sentiunt *Schraderus* ad h. l. et *Unterholznerus* l. l. p. 725. not. l.

a maioribus tradito, quo grauior furi poena constituta fuit, si in maleficio deprehenderetur quam si non deprehenderetur; sed multo magis etiam furti quotidiani seu clandestini atque uiolenti diuersitas animos occupabat, nec cuiquam dubium erat, quin is, qui ui coactisue hominibus bona rapuisset, multis partibus improbior fur nocentiorque esset quam qui clam furtum, siue manifestum siue nec manifestum, commisisset[25]). De quadruplo.

Atqui furti quotidiani poena est, manifesti quidem quadrupli, nec manifesti autem dupli.

Itaque si statuas, actioni ui bonorum raptorum, quae nullam habet manifesti et nec manifesti distinctionem, rei persecutionem cum tripli tantum poena inesse, necessario consequens est, leuiori aliquando condicione esse eum, qui ui rapuit quam qui clam amouit. Hoc autem ridiculum multis uisum est, ut in d. §pho narratur, et inde maxime nata uidetur esse diuersa illa quorundam opinio, qui ui bonorum raptorum actionem adeo ad naturam actionis furti manifesti redigerent, ut in *poenam* quadruplum illud totum conuerterent, rei uero persecutionem prorsus seiungerent aliisque actionibus adsignarent[26]).

Sed uniuersa haec ratio ac doctrina, quantumuis a quotidiano, qui inualuerat, actionis usu et a furtorum similitudine affluebat roboris atque uigoris, nullo pacto potuit iis placere, qui originem magis iudicii et insitam primitus coniunctissimamque legis *Aquiliae* cognationem considerarent. Quibus de rebus paullo inferius

25) *Gai.* III, 209. (*sup.* p. 545. not. 6.) pr. I. et L. 2. §. 10. h. t. (*sup.* p. 558. not. 3.) L. 14. §. 2. Quod met. ca. Conf. *Schraderum* ad d. pr. I.

26) *Gai.* IV. 8. (*sup.*. not. 22.)

De quadruplo. disputaturi sumus; nunc id solum uddam, fortasse etiam noui illius iuris auctores antiquitatis et historiae auctoritate maiorumque exemplo quodammodo se defendisse, qui, ut *Sauinii* coniectura[27]), ualde probabili, utar, haud absurde monerent, ne furti quidem actionem statim a principio mere poenalem fuisse, sed mutatis demum temporibus et ob nouam quandam utilitatem e *mixta* actione in *mere poenalem* transformatam et *condictione furtiua* extrinsecus adiecta auctam fuisse.

Admonendi denique sumus, caeteros ita ueterem iudicii indolem mixtamque naturam retinuisse, ut contrariam illam, quam uidimus, argumentationem non omnino reiecerint, nec praeclara esse iudicauerint, quae illis absurda et ridicula uisa sunt: immo uaria ipsi quoque remedia, tantum leniora, sanandi corrigendique eius iuris caussa tentauerint.

Ac primo loco apud omnes exploratum fuit, cui bona essent rapta, ei, si raptor deprehensus esset, liberam esse optionem, aut ui bonorum raptorum aut furti manifesti actione experiri[28]). Quinctiam a quibusdam *fictio* potius, dicam, iuris quam *interpretatio* tentabatur eiusmodi, ut omnes, qui rapuissent, *etiamsi non essent deprehensi*, furti *manifesti* tenerentur[29]).

27) *Syst. d. R. R.* T. v. p. 51. Conf. *Gai.* IV, 4.

28) L. 52. § ult. De furtis (*sup.* p. 548. not. 16.) Addesis ea quoque loca, quae simpliciter de concursu actionum furti et ui bonorum raptorum tractant, ueiut d. pr. I. h. t., cum *Gai* III, 209. L. 2. §. 26. h. t. «Rerum raptarum nomine «etiam furti uel damni iniuriae «uel condictione agi potest, uel «certe singulae res uindicari pos- «sunt.»

29) L. 80. §. 3. De furtis. (*Papinianus*) «Cum raptor omnimo- «do furtum facit, manifestus fur «existimandus est.» Ad *interpretationem* spectat quod *Gaius*

Quod quum aliis displiceret[30]), illud tamen obtinuisse uidetur, ut ei, qui furti nec manifesti actione duplum a raptore abstulisset, actio ui bonorum raptorum poenae nomine *in simplum*, aut, si omissa condictione rei persecutionem coniungere uellet, *in duplum* daretur, tum ut ei, qui raptorem deprehensum *ui bonorum raptorum* prius condemnasset, postea liceret *furti manifesti* actione simplum exigere.[31]) De quadruplo.

III, 184. in enumerandis uariis definitionibus furti manifesti habet: «Alii adhue ulterius (manifestnm furtum esse dixerunt) «*quandoque eam rem fur tenens* «*uisus fuerit;* quae sententia non «obtinuit»: — ad *fictionem*, quod *idem Gaius* III, 194. de simili quadam quaestione sic disputat: «Pro«pter hoc tamen, quod lex ex ea «caussa (i. e. furti concepti nomine) «manifestum furtum esse «iubet, sunt, qui seribunt, fur«tum manifestum aut lege aut «natura intelligi: lege id ipsnm, «de quo loquimur, natura illud, «de quo superius exposuimus. «Sed uerius est, natura tantum «manifestum furtum intelligi; ne«que enim lex facere potest, ut, «qui manifestus fur non sit, ma«nifestus sit, non magis, quam «qui omnino fur non sit, fur sit, «et qui adulter aut homicida non «sit, adulter uel homicida sit: at «illnd sane lex facere potest, ut «perinde aliqnis poena teneatnr, «atque si furtum uel adulteri«um uel homicidium admisisset, «quamuis nihil eorum admise«rit.» — *Huschkius* l. l. p. 205. seq. ad d. L. 80. cum alia protulit, quae minus placent, tnm eonieeit, «*faciat*» pro «facit» esse legendum, quod ad sensum eerte uerissimum est. — Conf. *Schraderum* ad pr. I. h. t.

30) d. L. 52. § ult. De furtis. (*sup.* not. 15.) L. 1. h. t. (not. seq.) Quod uero in *Collat. LL. Mos. et Rom.* VII, 5, 3. e *Paulli Sententiis* habetur, «Manifestus fur est «qui in *faciendo* deprehensus est «. . . Nec manifestus est fur, qui «in *rapiendo* quidem comprehen«sus non est, sed eum fecisse «negari non potest», — perperam a quibusdam h. l. affertur, nam pro *rapiendo* nullo dubio legendum est *faciendo*, sicut in *Brsuiario Alariciano*, ubi idem locus (*Paulli* R. S. II, 31, 2.) extat, seriptum inuenimus.

31) L. 1. h. t. (*Paullus*). «Qui «rem rapnit, et furti nec mani«festi tenetur in duplum et ui bo«norum raptorum in quadruplum: «sed si ante aetum sit ui bono-

De quadruplo. Accedit denique seuerissima illorum sententia, qui utriusque actionis, tam *furti* quam *ui bonorum raptorum*, dicuntur integram solidamque persecutionem permisisse.[32])

Sed haec hactenus. Quod si nos, qui *M. Tullii* illius, quem *Cicero* defendit, ius caussamque destinauimus explanare, non *Gaii*, *Ulpiani* et rel. libros commentario instruere, in inferioris huius aetatis iure uario diutius commorati sumus; spero fore, id quod a principio demonstraui, ut, quum ad propositum accesserimus, mox ultro appareat, eam cognitionem neque alienam neque infructuosam fuisse.

«rum raptorum, deneganda est «furti; si ante furti actum est, «non est illa deneganda; ut tamen «id, quod amplius in ea est, con«sequatur.» — L. 88. De furtis. «(*Idem*) «Si quis egerit ui bo«norum raptorum, etiam furti «agere non potest; quod si furti «elegerit in duplum agere, potest «et ui bonorum raptorum agere «sic, ut non excederet quadru«plum.»

32) Auctor est *Sauinius*, Syst. d. R. R. T. v. p. 237—50.

§. 3.

De actionis iure et formula. — Origo.

Videamus igitur, a quibus principiis omnis haec Edicti, iuris iudiciique ratio, qualem adhuc cognouimus, orta sit, et quid forte diuersi habuerit pristinum illud iudicium, quod *M. Lucullus* Praetor anno ab urbe condita 678. circiter[1]) primus composuit, deinde

1) Egregia ratione *Huschkius* l. l. p. 91. ex annis, quibus *M. Lucullus* Aedilitatem et Consulatum gessit (u. c. 675. et 681., *Plinii* H. N. VIII, 7. et *Fast. Consul.*), adhibitis legibus annalibus confecit, eum anno 677. aut 678. Praetorem fuisse. Sed quod addidit V. D., «Magis autem putauerim «anno 677., . . . quia sic cum «fratre . . . excepto consulatu in «honoribus capessendis pari passu «ambulasse deprehenditur», neque argumento neque re et ueritate ualere arbitror, — *argumento*, propter locum *Ciceronis* Acad. pr. II, 1. (Conf. *Drumanni* Gesch. Roms T. II. p. 483. ibique not. 84.), *re et ueritate*, propter *Asconium ad orat. in toga candida* (*Or.* p. 84. Conf. *h. sup.* Lib. I. p. 156. not. 27.), qui haec habet: «Deinde Graeci, qui spoliati erant, «eduxerunt Antonium in ius *ad* «*M. Lucullum Praetorem, qui ius* «*inter peregrinos dicebat.* . . . «Hunc Antonium *Gellius et Lentu*«*lus Censores sexennio, quo haec* «*dicerentur*, Senatu mouerunt» rel. Quorum censura quum nullo dubio ad a. 684. pertineat, annorum ratio *M. Luculli* praeturam ad a. 678. potius quam ad a. 677. refert. Simul autem huius loci testimonio ualidissime confirmatur, quod *Huschkius* (l. l. p. 92.) *iurisdictionem inter ciues et peregrinos* M. Lucullo adsignauit, ut nullo negotio missum faciamus argumentum a V°. D°. ex eo quaesitum, quod alium Praetorem, uidelicet *Cn. Aufidium Orestem, urbanam* prouinciam illo anno 677. tenuisse traditur a *Val. Max.* VII, 7, 6. Caeterum perperam *C. Sellius* (Recup. p. 414. not. 2.) contra *Huschkium* contendit, a. 676. non a. 677. *Cn. Orestem* praetorem fuisse; quippe praetor fuit *D. Iunio Bruto, Mam. Aemilio Lepido*

paucis illis annis *L. Metellus* Praetor, iam tralatitium, *M. Tullio* aduersus *P. Fabium* accommodauit[2]).

Temporum diuersitas

Qua in re statim confitebor, haudquaquam me assentiri *Huschkio*, qui diuersis illis temporibus eorum *facinorum caussarumque* magis quam *iuris Edictique* diuersam formam obtinuisse ratus, e propositae orationis Digestorumque fragmentis, tum coniectura tales et Edicti et actionis formulas restituerit, quales non solum a *M. Lucullo* primum compositas, sed etiam ad *Ul-*

Coss.; is autem annus, nisi in diuersam aeram transeamus (qualis est *Baiteri* in Fast. et Triumph.), sed in ea consistamus, qua cum plerisque, ueluti *Zumptio*, *Orellio* (in Onom.), *Huschkio*, *Drumanno*, semper usi sumus, est ab u. c. 677. non 676. Nisi forte in d. *Valerii Max.* loco ter emendare V. D. uoluit *Marcus* pro *Mamercus* (nam a. 676. Consules habuit *M. Aemilium Lepidum*, *Q. Lutatium Catulum*); quod qua ratione liceat, equidem ignoro. Conf. *Glarean.* et *Torren.* ad d. l. — Sed quae ultro *Sellius* l. l. argumenta protulit, ut probaret, non *peregrinam*, sed *inter ciues* iurisdictionem *M. Lucullum* Praetorem administrasse, ea recte refutauit *Huschkius* in *Richteri* Annal. T. I. p. 907. — Tam de anno quam de prouincia mecum sentit *Drumannus* l. l. T. IV. p. 176.

2) Semel tantum in *h. or.* Praetor, qui inter *M. Tullium* et *Q. Fabium* ius dixerat, nominatur (§ 39.), neque aliter quam simplici cognomine *Metellus*; *Huschkius* autem (l. l. p. 92. seq.), adhibito praecipue *Pseudo-Asconio ad Act. I. in Verrem* c. 9. (*Or.* p. 139.), bellissime extricauit, *Lucium Metellum* fuisse, *Q. Cretici* (Cos. a. 685.) et *Marci* (repetundarum Praetoris a. 685.) fratrem, ipsum postea Cos. a. 686.; quem quum multiplici *Verrinarum* testimonio constet, a. 684. Siciliam prouinciam habuisse, consequens est, praecedente anno 683. Romae Praeturam obtinuisse. Conf. *Drumannus* l. l. T. II. p. 56. N. 32. — Plus arbitror, etiam certissimo argumento exploratum esse, urbanam illam *L. Metelli* sortem non *quaestionem* aliquam, sed *iurisdictionem* fuisse. Nam in *III. in Verrem* 65, 152. haec legimus: «(C. Gallius) postulauit a L. Me«tello, ut *ex edicto suo* iudicium «daret in Apronium QUOD PER UIM «AUT METUM ABSTULISSET; *quam* «*formulam Octauianam et Romae* «*Metellus habuerat* et habebat in «prouincia.» rei.

piani aetatem translatas integras putaremus. Verumtamen tanta est *Viri docti* apud me caeterosque auctoritas, tanta in curandis eiusmodi rebus subtilitas ac peritia, ut quae acutissime excogitauit et ingeniose digessit, ea non ueritate solum, uerum etiam ipso, si quis inest, errore, ad uerum inueniendum summam utilitatem praebere uideantur. Tutissimum igitur erit, a *Viri docti* coniectura proficisci, deinde, quae reprehendam, singillatim aperire. Temporum diuersitas.

Atque in haec fere uerba existimauit *M. Luculli* Edictum conceptum fuisse[3]: M. Luculli Edictum.

SI CUI DOLO MALO ALICUIUS UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNI QUID FACTUM ESSE DICETUR, SIUE CUIUS BONA RAPTA ESSE DICENTUR: IN EUM, QUI ID FECISSE DICETUR, INTRA ANNUM, QUO PRIMUM DE EA RE EXPERIUNDI POTESTAS FUERIT, IN QUADRUPLUM, POST ANNUM IN SIMPLUM CUM TAXATIONE IUDICIUM RECUPERATORIUM DABO, TESTIBUSQUE DUNTAXAT X. DENUNCIANDI POTESTATEM FACIAM. ITEM SI SERUUS UEL FAMILIA FECISSE DICETUR, IN DOMINUM IUDICIUM NOXALE DABO.

Deinde agendi formulam sic:

RECUPERATORES SUNTO. QUANTAE PECUNIAE PARET DOLO MALO NUMERII NEGIDII UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNUM FACTUM BONAUE RAPTA ESSE AULO AGERIO, TANTAE PECUNIAE QUADRUPLUM, DUNTAXAT SESTERTIUM TOT MILLIA, RECUPERATORES NUMERIUM NEGIDIUM AULO AGERIO CONDEMNANTO, SI NON PARET ABSOLUUNTO.

3) l. l. p. 87. seq.

M. Luculli Edictum.

Quodsi seruus uel familia nocuisset, ut cum noxae deditione agendum esset, ab initio loco NUMERII NEGIDII ita:

STICHI, QUI EST IN POTESTATE NUMERII NEGIDII

uel: FAMILIAE NUMERII NEGIDII

et in condemnatione:

T. P. Q. D. S. T. M. R. NUMERIUM NEGIDIUM AULO AGERIO DARE AUT STICHUM [uel: SERUOS EIUS FAMILIAE, QUI EAM NOXAM COMMISERUNT] NOXAE DEDERE CONDEMNANTO, S. N. P. A.

Vi ho. arm. coactisue.

Iam primo loco uerba illa UI et ARMATIS . . . UE, quae in dubium antea uocauimus an ad *Ulpiani* aetatem peruenissent[4]), in ueteribus hisce *M. Luculli*, *L. Metelli* rei. Edictis et in *M. Tullii*, actoris nostri, formula sunt omnium certissima. Itaque de *uerbis* quidem hac parte mihi nulla est cum *Huschkio* dissensio; tantum de *sententia* totius huius articuli UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE uereor, ne parum nobis conueniat.

Nam ille tria haec, *uim*, *armatos homines*, *coactos homines*, adeo disiungit, ut nonnisi singula semper in hoc iudicio requiri statuat[5]); mihi uero persuasum est, posteriora quidem duo inter se disiuncta: at quod praecedit UI cum utroque coniunctum mente Praetoris tunc fuisse. Quid ergo est? Vis in hoc iudicium ita demum uenit, si hominibus aut armatis aut coactis perpetrata esset: quod sine ui gestum est, numquam uenit.

Atque haec interpretatio, ab *Heinrichio*[6]) pridem defensa, quum uerbis Edicti formulaeque longe aptis-

4) *sup.* p. 563. et 564. *seq.*

5) l. l. p. 191.

6) l. l. p. 66.

sima est, tum ipsam quodammodo habet *Ciceronis* auctoritatem[7]. Sed quid haec omnia ad similitudinem illius interdicti de ui hominibus coactis armatisue, quod non uerborum tantum conceptione, sed etiam caussa, origine, aetate, omni denique ratione et consilio adeo propinquum est proposito huic iudicio ac consanguineum, ut ex uno quasi fonte hausta esse uideantur? In quo interdicto quum nemo umquam dubitauerit, quin uerba UI HOMINIBUS COACTIS ARMATISUE ita essent, ut modo indicauimus, intelligenda[8] (nam si quis negaret, necesse est simul fateretur, *nouo* hoc interdicto de ui *uetus* illud ac quotidianum illico inutile effectum esse ac penitus sublatum); quae tandem ratio est credere, in coniunctissima hac actione Praetores iisdem uocabulis ita usos esse, ut diuersum plane ius, consilium uoluntatemque significarent? Vi ho. arm. coactisue.

Venio nunc ad illa uerba Edicti ac formulae, quibus praeter *damna data* etiam *bona rapta* iudicio concluduntur. Bona ue rapta.

Qua parte diuersas habemus summorum Virorum sententias, *Crameri* unam, alteram *Sauinii* et *Huschkii*.

Quorum ille a *quadrupli actione de damno dato* ita separauit *iudicium ui bonorum raptorum*[9], ut existimauerit, in Edicto perpetuo *Saluii Iuliani* non *bina*, quod uulgo creditur, sed *trina* fuisse singula edicta de damno, discreta non solum *re*, sed etiam *auctoribus*, *aetate* ac *duratione*: primum quidem *de ui hominibus*

7) §§. 25. 31. h. or.

8) Conf. *h. sup.* Lib. II. p. 336. seq.

9) Vide notam ad §. 7. *h. or.* (tunc §. 5.) in d. Ed. p. 67. seq.

Bonaue rapta. *armatis coactisue*, alterum *bonorum ui raptorum*, tertium (a proposito nostro magis caeteroquin alienum) *de damno in turba facto*. Quocirca e primi Edicti iudicio, in quo *M. Tullii* caussa uersatur, *bonorum raptorum* mentionem ad exemplum fragmenti illius *Ciceroniani*, quod supra exhibuimus[10]), et allata L. 195. §. 3. De V. S.[11]), prorsus eiecit.

Contra *Sauinio*[12]) (eumque *Huschkius* est secutus[13])) placuit, statim a principio et *de damno dato* et *de bonis raptis* uno Edicto iudicioque comprehensum fuisse, propterea, quod utrumque maleficium peculiari illo modo (quem *ui hominibus armatis coactisue* diximus fuisse) perpetrari soleret, hanc autem nocendi formam, in utrolibet occurreret, seuero iudicio coercere principale totius Edicti propositum esset.

Atque haec uirorum doctissimorum controuersia ita mihi uidetur dirimenda esse, ut neutra opinio omnino abiiciatur. Nam ut credam *Sauinio*, numquam *de damno dato* et *de bonis raptis* bina eaque separata Edicta et iudicia fuisse proposita, quinetiam *Ulpiani*, *Gaii* temporibus ac diu antea coniunctionem illam obtinuisse; in eo tamen *Crameri* potius uestigia sequor, quod nequaquam mihi exploratum est, statim a principio siue Edicto siue iudicii formula iuxta *damnum* ui hominibus armatis coactisue datum etiam *bona rapta* disertis uerbis expressa ac comprehensa fuisse.

Quippe nihil commemoratur praeter *damnum*, non modo in formula, qua *M. Tullius* cum *P. Fabio* egit,

10) §. 1. p. 544.
11) Verba uide *sup*. p. 558. not. 3.
12) l. l. p. 124. seqq.
13) l. l. p. 188.

uerum in tota *Ciceronis* defensione. Quod autem in omnium ore uersatur, *M. Tullio* damnum solum fuisse datum, bona rapta nulla fuisse; idcirco iudicium eum detracta *bonorum raptorum* mentione postulauisse; utique si nullo damno dato bona eius rapta fuissent, de *bonis ui raptis* solum acturum fuisse, uerba *damnum datum* ex Edicti formula omissurum[14]): — id ipsum, ut uerum fatear, minime mihi expeditum est. Bonaue rapta.

Etenim omisso alterutro articulo formula fit angustior; cur igitur a Praetore peteret actor, quod aduersario fortasse, numquam sibi profuturum esset?

Quodsi mihi reponas, eum potius, quicum ageretur, a Praetore, ut alterum e formula eiiceretur, tum petere solitum esse, quum de altero tantum actor in iure questus esset; ne hoc quidem ualde mihi uidetur probabile. Quid enim attinuit petere ut eiiceretur quod uno uerbo suoque iure actor retinere posset? qui ipse quum prius nonnisi de *damno dato* apud Praetorem uerba fecisset, etiam tenacior articuli de *bonis raptis* erit, si quasi ob alterius huius culpae conscientiam is, quicum agitur, in illo remouendo elaboraret, atque captionis quodammodo metum excitaret? Quippe *damnis*, quae in bellis istis priuatis primum quidem obtinent locum, in hoc ipso genere propinquissima sunt ac saepe admixta *furta* et *rapinae*; quae qui de *illis* egerit, haud facile aduersario condonabit, neque ita formulam mutilari gratuito patietur, ut iudici, quum forte disceptatione fuerint patefacta, aestimatione ac condemnatione complecti ea non liceat.

14) Conf. *Sauinius* l. l. p. 126. *Huschkius* l. l. p. 187.

Bonaue rapta. Quocirca quod in *M. Tullii* formula de *bonis raptis* nihil extat, haud leue uidetur adiumentum afferre *Cramero* neganti, ullam hoc edictum actionemque *M. Luculli* bonorum raptorum mentionem habuisse.

At enim, mihi regerat aliquis, si adeo frequens in hoc genere est rapinarum cum damnis datis coniunctio, quae ratio est credere, *M. Lucullum* Praetorem noui illius seuerique iudicii formulam tam inscite composuisse, ut praetermissa bonorum raptorum mentione ueluti data opera omne hoc rapinarum genus excluderet totumque iudicium damnorum datorum terminis circumscriberet?

Qua de re sic mea coniectura fert ut existimem.

Nulla fuit *bonorum raptorum* diserta mentio neque in *M. Luculli* neque in *L. Metelli* caeterisue illius tempestatis Edictis, attamen procul afuit, ut illorum Praetorum quisquam liberatum iudicio excusatumque uellet eum, qui negaret se *occidisse*, *uulnerasse*, aut *ussisse*, *fregisse*, *rupisse*, tantum fateretur, ui hominibus armatis coactisue se quaslibet res *integras saluasque abstulisse*.

Quid enim? si quis centum nummos uel eiusdem pretii rem mihi subripuerit, quid poterit in Latinae linguae indole ac legibus aut in usu sermonis, siue quotidiani siue forensis ac legitimi, inueniri, quod obstet, quin dicam, centum nummorum *damnum* me *passum esse*, uel tantae pecuniae *damnum* illum mihi *dedisse* aut *fecisse*? Quid quod etiam ipsa furti actio sic concepta fuit, ut intenderetur, *pro fure* DAMNUM *decidere oportere*? [15]).

15) *Gai.* IV, 37. 45. L. 61. §§. 1. 2. 3. 5. De furtis. L. 7. pr. De cond. furt. Conf. *Sauinii Syst. d. h. R. R.* T. V. p. 569. seq. — De latiori sensu uerbi *damnum* conf. *Dirksenii Manuale* sub h. v. E

Itaque Praetores in illo iudicio proponendo quum rei gestae formam, h. e. uim hominibus armatis coactisue perpetratam potius spectarent, quam uaria detrimentorum genera persequerentur; de damno aestimando, quadruplicando, sarciendo ita locuti sunt, ut nihil neque ipsi quaererent neque quaeri ab aliis uellent, utrum *corruptum* sit aliquid an *ablatum*, sed tacita uoluntate ea omnia uno DAMNI uerbo comprehenderent. Nec aliter uidentur a principio, recenti praesertim auctorum eius Edicti caussarumque memoria, litigatores, recuperatores caeterique omnes actionis ius et uerba intellexisse. Bona ui rapta.

Sed fugere neminem debet, genuinae huic sanaeque Edicti interpretationi haud mediocre periculum a *lege Aquilia* eiusque actionis et formula et ratione, uti tunc obtinebat, imminuisse.

Nam quum inter omnes constet, non furum ac latronum incursiones, sed hominum nobilium, opulentorum, potentium audaciam et quasi bellandi licentiam *M. Lucullo* caeterisque Praetoribus proponendi huius iudicii caussam fuisse[16]; perspicuum est, multo frequentius quam furta ac rapinas a principio in hoc iudicium uenisse agrorum uastationes, tectorum disturbationes et incendia, caedes uulnerationesque seruorum, denique ipsum illud rerum *ussarum*, *fractarum*, *ruptarum* cae-

multis locis ibi collectis unum exhibeo L. 30. pr. Ad leg. Falc., ubi haec habentur: « . . . mortes « seruorum caeterorumque animalium, *furta*, *rapinae*, incendia, « ruinae, naufragia, uis hostium, « praedonum, latronum, debitorum facta peiora nomina, in « *summa quodcunque damnum* » rei.

16) Conf. *Sauinius* l. l. p. 129.

Bonaue rapta. terorumque damnorum genus, in quo *legis Aquiliae* ius uersabatur[17]), tunc iam quotidiana fori conuersatione expolitum certaque interpretatione circumscriptum ac ualide constitutum.

Quocirca in exercenda moderandaque noua hac de ui hominibus armatis coactisue actione nihil debuit esse paratius quam perpetua quaedam cum *legis Aquiliae* usitatissimo iure comparatio[18]) et similium dissimiliumque exquisitio, quinetiam potuit quibusdam totum illud noui Edicti ius tali forma apparere, ut in eum, qui *ui hominibus armatis coactisue* nocuisset, *uelut e lege Aquilia*, tantum formula partim *faciliori* (utpote detracta *iniuriae* mentione), partim *uberiori* (utpote in *quadruplum* concepta), constitutum esset iudicium.

Tunc autem facillime quispiam tentauerit, etiam uoc. *damnum*, utriusque actionis commune, e *legis Aquiliae* iure interpretari et in proposito quoque iudicio quod *damnum* ueniret, peculiaribus illis *caedis* et *uulnerationis*, tum *ussi*, *rupti*, *fracti* finibus circumscribere.

Quod nullam quidem habere rationem, iam ex eo perspicuum est, quod angusta illa *damni* interpretatio in *legis Aquiliae actione* non ex ipsa ui et indole uoc. DAMNUM, sed ex adiectis illis uerbis QUOD USSERIT, FREGERIT, RUPERIT deriuata est[19]), tum etiam ex eo, quod in multa nocendi genera incidimus, quae uix ICtis nostris, profecto multo minus illius aetatis interpreti-

17) *Gai.* III, 210. 217. pr. §. 13. I. De lege Aquilia. L. 2. pr. L. 27. §. 5. eod.

18) Conf. *h. or.* §§. 9—12. 41. 42.

19) *Gai.* III, 217. L. 27. §. 5. seqq. Ad leg. Aquil. §. 13. I. eod. et ll. a *Schradero* ibi cc.

Bonaue rapta.

bus ad ipsum *legis Aquiliae* ius pertinere uisa sunt, in quibus tamen nullus est dubitationi locus, quin nouum hoc iudicium omni sua indole atque natura aptissimum ac paene necessarium et fuerit et habitum sit; ueluti *greges non furandi animo abacti*, *ergastula liberata* et q. g. s.[20]).

Sed quid disputo? Nihil est tam difficile, quod fidelis caussae patronus officii caussa non suscipiat, nihil tam falsum, quod praestans oratoris ingenium non aliquo ueri splendore imbuat, nihil tam stultum, quod arguendi quadam dicendique arte non possit stulto iudici recuperatoribusue aliquando persuaderi. Ne multa, haud incredibile mihi uidetur, aliquando primis illis temporibus in hoc iudicio *de ui hominibus armatis coactisue* aut accidisse aut prope tamen afuisse, ut eo nomine, quod quis *rapuisset*, contra actorem iudicaretur, quia in *damnum* solum concepta formula esset, nec *damni* loco censeri posset, *quod lege Aquilia non teneretur:* itaque ne eiusmodi errore totum iudicium infirmaretur ac uitiaretur, prudenti consilio Prae-

20) §. fi. I. De lege Aquilia. «...Sed si non corpore damnum «fuerit datum, neque corpus lae«sum fuerit, sed alio modo ali«cui damnum contigerit; quum «non sufficiat neque directa ne«que utilis legis Aquiliae actio, «placuit, eum, qui obnoxius fue«rit, in factum actione teneri; ue«luti si quis misericordia ductus «alienum seruum compeditum «soluerit, ut fugeret.» Animaduertendum est, haec uerba non, ut anteriora huius §phi, e *Gaio* (III, 219.) esse petita. — Conf. L. 7. §. 7. De dolo. (*Ulpianus*) «Idem *Labeo* quaerit, si compe«ditum seruum meum, ut fugeret, «solueris, an *de dolo actio* danda «sit. Et ait *Quintus* apud eum «notans: si non misericordia du«ctus fecisti, furti teneris: si mi«sericordia, in factum actionem «dari debere.» — Adde L. 50. §. 4. De furtis. L. 55. De A. R. D.

Bonaue rapta. tores coepisse in formulam uerba BONAUE RAPTA adiicere. Quodsi quis existimet, non ita multo post illam caussam *M. Tullii* iudicatam haec acta esse, equidem non repugnabo.

Atque hoc est, quod supra dixi, in eo me cum *Cramero* sentire, quod negauit, statim a principio in formula de *ui hominibus armatis coactisue* iuxta *damnum* infuisse etiam disertam *bonorum raptorum* mentionem; caeteroquin *Sauinio* me credere existimanti, de *damnis* ita *datis* et de *bonis raptis* numquam *separata* fuisse *Edicta*, sed *idem* semper ad *utraque* pertinuisse.

Sed iam ad reliqua pergamus.

Formula in familiam concepta. Tertio enim loco in examinandis tribus illis agendi formulis, quas *Huschkius* composuit, quum saepius attentiusque considerarem hanc *M. Tullii* defensionem, iniectus mihi est scrupulus et magna dubitatio, ne insigni quodam uitio laborarent, adeoque a *M. Luculli*, *L. Metelli* ueterumque illorum Edictis magna parte essent alienae et conspicuo temporis interuallo seiunctae. Ut in pauca conferam, operae pretium existimo uidere, ne primis illis temporibus de ui hominibus armatis coactisue *familiae* solum non *suo* nomine dominus conueniri potuerit, *noxae* uero *dationi* aut *iudicio uere noxali* locus omnino nullius fuerit[21]). Quod non

21) *Reinius* l. l. p. 352. et C. *Sellius* l. l. p. 413. seqq. in eo quidem mecum facere uidentur, quod *familiae* mentionem semper in agendi formula infuisse putant, sed in diuersas rursus sententias abeunt, quum ille *noxalem* uocat M. Luculli actionem, hic autem, si recte intelligo, statuit, in *ipsius domini* factum, qui ad uim faciendam familia sua usus esset, actionem directam fuisse.

profiteor quidem argumentatione omnibus numeris absoluta aut ueluti necessaria ratione ad liquidum me perducturum, sed illud tamen studebo, ut planum faciam, si pristini iuris uestigia diligenter sequi uelimus, eo potius esse ueniendum, tum nihil absurdi tale ius habuisse. **Formula in familiam concepta.**

Eius autem cognitionis quum uno tantum fonte (seu *riuulum* dixeris) utamur, ipsis uidelicet hisce *Tullianae* defensionis fragmentis, praesertim iis, quae in §§. 8—13. habentur, age uero uideamus, quid ad propositam quaestionem deriuari inde possit.

Atque illud quidem manifestum est, *Ciceronem* totius iudicii, quod est de ui hominibus armatis coactisue, narrare originem, et, quemadmodum a *M. Lucullo* non solum constitutum, sed etiam, ut ita dicam, mente excogitatum sit, exponere.

Totius, inquam, iudicii: nam in demonstranda illa origine quum uelut a communi omnium legum iudiciorumque caussa et origine proficiscatur, sane non est credibile, *principalem* propositi iudicii *formam* praetermitti, *appendicem* tantum, h. e. *noxalem* quandam iudicii *figuram* spectari.

Neque fugere nos debet, non de ratione *eius* iudicii agi, quod in hac caussa *L. Metellus* Praetor *M. Tullio* accommodauit, sed de *M. Luculli*, superioris illius Praetoris, ratione, qui aliquot annis antea primus omnium opinione *totum* hoc iudicium, non peculiarem quandam figuram, animo conceperat, uerbis composuerat atque in Edicto suo promulgauerat.

Formula in familiam concepta.

Quid igitur ille *M. Lucullus* in constituendo *toto* hoc iudicio spectasse dicitur?

Nihil prius quam *familias.*

Caussam Cicero refert, quae *M. Lucullum* mouerit, refert *finem*, quem assequi uoluerit, refert *uiam*, quam inierit, *remedia*, quae adhibuerit: quibus in rebus omnibus ecce *familiarum* ubique primaria ratio.

Caussam quaeris? «*Multae familiae* dicebantur in «agris longinquis et pascuis armatae esse caedesque «facere; *eaque* consuetudo non solum ad res priuato«rum, sed ad summam rempublicam pertinere uide«batur.»[22])

Scire cupis, quid assequi *M. Lucullus* uoluerit? Nempe «id spectauit, ut homines ita *familias suas* «continerent» rel.[23])

Quid autem de remediis instituendique iudicii consilio ac modo? Existimauit, apud maiores, quum et res et cupiditates minores essent, et *familiae* non magnae magno metu continerentur, praeter legem *Aquiliam* nihil opus fuisse iudicio de ui coactis armatisque hominibus[24]); sed his temporibus propter malam armorum consuetudinem necesse putauit esse, si quid *familia* ui hominibus armatis coactisue nocuisset, et *in uniuersam familiam*, non noxale singulorum nocentium nomine, iudicium dare et recuperatores dare[25]) et poenam grauiorem constituere, et (quo magis appareret, *numquam posse homines seruos iure arma ca-*

22) *h. or.* §. 8.
23) *h. or.* §. 8.
24) *ib.* §. 9.
25) *ib.* §. 10. Conf. §. 41.

pere et manum cogere) illam latebram *damnum* INIURIA tollere.[26]) Formula in familiam concepta

Quibus rebus omnibus consideratis quid tandem dicitur M. Lucullus egisse: Iudicium ita dedit, ut hoc solum in iudicium ueniret, uidereturne ui hominibus coactis armatisue damnum dolo malo *familiae* datum.[27])

Quid igitur est? Si uerum est, quod a principio diximus, *totius* eius iudicii, quod est de ui hominibus armatis coactisue, non *partis* tantum seu *appendicis*, originem ab oratore narrari, tum si in ipsa hac narratione ubique praecipua *familiae* ratio consideratioque habetur; nonne ualde efficitur probabile, a principio totum hoc iudicium neque in id, quod *dominus ipse* admisisset, directum fuisse, neque noxalem consuetamque *singulorum seruorum* nomine adiectionem habuisse, sed in *familiam solam* conceptum eoque tantum nomine constitutum aduersus dominum propositumque fuisse?

Quod si quis negare uolet, certe non ab illius narrationis tenore, sed ab utilitate communi potius et ab iuris quadam necessitate controuersiae materiam petiturus est.

Nimirum quemadmodum credi potest, *M. Lucullum* Praetorem, *qui summa aequitate et sapientia ius dixit*, seuerum illud iudicium ita composuisse, ut, cuiuscunque familia ui hominibus armatis coactisue damnum fecisset, is teneretur, qui ipse fecisset, non teneretur?

26) *ib.* §§. 11. 43. Addesis quod in §. 40. habetur: « Nam cum perfugio nullo constituto tamen haec « scelera *serui* audacissime faciant, « *domini* impudentissime *confitentur*, quid censetis fore » rel.

27) *ib.* §§. 12. 42.

Formula in familiam concepta. Iudicium pu. de ui.

Quo loco uelim in mentem tibi ueniat *publici de ui iudicii.*[28]) Nam quamuis tenui utamur notitia legum de ui eiusque iuris, quo publicum hoc crimen illa tempestate constitutum erat[29]), inter omnes tamen constat, *fuisse publicum de ui iudicium lege constitutum*[30]); nec minus est probabile, talem eius iudicii formam fuisse, ut, quodcunque liber homo ui hominibus armatis coactisue nocuisset, amplecteretur[31]), atque certam

28) Vix puto quemquam fore, qui confugere maluerit ad L.196. pr. De V. S.

29) Conf. *Waechteri* tractatum in N. Archiv d. Crim. R. Tom. XIII. p. 8. seqq. et scriptores ibi allegatos. *C. O. de Madai* de ui pu. et pri. Halis 1832. 8. p. 19. seqq.

30) Legem *Plautiam* de ui tunc obtinuisse, eamque a. u. 665. a. *M. Plautio Siluano* et *Q.* quodam *Lutatio Catulo* tribunis pl. latam fuisse, *Waechterus* l. l. quum ualidis argumentis tum probabili coniectura confirmat. Simul docet, anterioris legis de ui proprie latae uestigium nullum extare, tum eos refellit, qui propter c. 29. *pro Coelio*, ubi *Q. Catulus* legem de ui tulisse dicitur, alteram nouamque legem de ui, *Lutatiam* nomine, a *Q. Lutatio Catulo* Cos. a. u. 676. perlatam esse statuerunt, quippe einsmodi legem *Lutatiam* a Veteribus nusquam commemorari, contra pluribus exemplis declarari, etiam satis diu post hunc annum ex lege *Plautia* semper, neque ex alia lege ulla, de ui actum quaesitumque esse. Videsis *Salust. in Catil.* c. 32. (conf. *Schol. Bob.* ad c. 10, 25. *in Vatinium*, apud *Orellium* p. 320. et *Dionis Cassii* XXXVII, 46.) *C. Salustii*, quae dicitur, in *M. Tullium* declamationis c. 2, 3. *pro Milone* c. 13, 35. *Ascon. ad Milonian.* s. fi. ap. *Orell.* p. 55. *Cic. ad Fam.* VIII, 8, 1. — Praeterea ad legem Plautiam referuntur *Cic. de harusp. resp.* c. 8., *ad Att.* II, 24. — De caeteris legibus de ui, uidelicet de *Pompeia* et *Iuliis* tam Caesaris quam Augusti *Waechterus* tractat l. l. p. 26. seqq. p. 31. seqq. p. 35. seqq. — De illo denique, quod in c. 3. et 9. *pro Caecina* infertur, *capitis iudicio* quaeritur, utrum ad legem *de ui* an ad legem *Corneliam de sicariis* pertineat.

31) *Waechterus* l. l. p. 22. seq. ualde probabili ratione statuit, legem *Plautiam* propemodum eadem atque postea legem *Iuliam de ui priuata* continuisse, quinetiam fortasse usitato more pleraque in hanc ex illa translata fuisse; ut a lege Plautia non sint alie-

haberet *litis aestimationem*, sarciendis omnibus eiusmodi damnis comparatam accommodatamque.

Formula in familiam concepta. Iudicium pu. de ui.

Quinetiam quum legum *repetundarum*, *Seruiliae*, quae dicitur, et *Corneliae* rationem[32]) atque Virorum doctorum coniecturas considero, uix dubitandum esse arbitror, quin *poena* quoque legis in nulla re potius quam *in multiplicata litis aestimatione* fuerit posita.[33]).

na, quae de Iulia *Paullus* V, 26, 3. his nerbis refert: «Lege Iulia «de ui priuata tenetur qui quem «armatis hominibus possessione, «domo, uilla agroue deiecerit, «expugnauerit, obsederit, clause«rit, idue ut fieret homines com«modauerit, locauerit, conduxe«rit; quiue coetum, concursum, «turbam, seditionem, incendium «fecerit; funerari sepelirine ali«quem prohibuerit, funusue eri«puerit, turbauerit; et qui eum, «cui aqua et igni interdictum est, «receperit, celauerit, tenuerit: «quiue cum telo in publico fuerit, «templa, portas aliudue quid pu«blicum armatis obsederit, cin«xerit, clauserit, occupauerit.» Conf. b. Titt. Dig. et Cod. et §. 8. I. De publ. iud. *Isidor.* V, 26. et *Waechterum* l. l. p. 36. seqq. et p. 195. seqq. — Illud uerissime *Waechterus* l. l. p. 23. seq. p. 30. p. 218. seq. negauit, legem *Plautiam* aliamue de ui ullam lege *Iulia Augusti* anteriorem habuisse uis priuatae publicaeque distinctionem.

32) Videsis *Fragmenta legis Seruiliae, ed. Klenze*, cap. 18. et *Klenzium* in *Praef.* p. XII. et in notis ad d. locum (p. 70.) et ad c. 11. (p. 49.) (Conf. *Pseudo-Ascon.* ad Act. I. *in Verrem* c. 13.)

33) *Waechterus* (l. l. p. 222.), me non repugnante, docet, de poena *legis Iuliae de ui priuata* credendum esse *Marciano*, qui in L. 1. pr. b. t. haec habet: De ui priuata a damnati pars tertia bo«norum ex lege Iulia publicatur; «et cautum est, ne Senator sit, «ne Decurio aut ullum honorem «capiat, neue in eum ordinem «sedeat, neue iudex sit» rel. Sed quod simul V. D. l. l. p. 25. et tentat dicere, eandem fortasse antea legis Plautiae duplicem poenam fuisse, id, qua parte ad publicationem bonorum spectat, non solum, ut ipse fatetur, incertissimum, uerum etiam parum uerisimile et uix credibile mihi uidetur. Illud uero omnibus, ut puto, *Waechterus* probauit, aquae et ignis interdictionem a lege *Plautia* prorsus alienam fuisse. — Mentio quaedam eius poenae, *quae est de ui*, at plane incerta, habetur in Epp. *ad Q. fratrem* II, 3, 5.

Formula in familiam concepta. Iudicium pu. de ui.

Quodsi publicum hoc iudicium de ui, ut uulgo placet, non ita diu antea fuit noua lege constitutum, tum si ob similes caussas, quae *M. Lucullum* mouisse dicuntur, etiam magis in publici iudicii poena insignem quandam seueritatem exspectare licet [34]; satis existimabitur credibile, *quadrupli* fortasse, certe non minoris, de ui lites aestimatas illa lege tunc fuisse.

Ne plura: publici iudicii lege satis prospectum consultumque fuit priuatis iis, qui *a libero homine* ui hominibus armatis coactisue damno affecti essent. Quod quum intelligeret *M. Lucullus*, noluit *priuatum* iudicium citra necessitatem *publico* adiicere.

Plus arbitror: Magnopere illis maxime temporibus, ut opinor, uisum est ad utilitatem publicam pertinere, ut quaestiones, de ui praesertim, quomodo erant legibus constitutae, in eos, qui offendissent, etiam exercerentur, neue accusatorum inertia languescerent adeoque plane omitterentur. At priuato homini si optio detur, *publico* an *priuato* iudicio experiri ac damnum suum persequi malit, tum utriusque actionis si eadem fere aestimatio constituatur; profecto, uti sunt homines suae quam publicae utilitatis studiosiores, priuatam actionem, commodiorem sane faciliоremque, prae publicae accusationis ambagibus auide arripient, nec magnopere curabunt, ut quod praeter priuatam satisfactionem publico iudicio inest iuris publici detrimentum aliaue poena, aduersario infligatur.

34) Cum illis, quae in §. 8. seqq. *pro Tullio* habentur, componenda sunt *pro Coelio* c. 29. de LL. III, 18, 42. et similia. *Waechterus* l. l. p. 5. seq. p. 21.

Formula in familiam concepta. Iudicium pu. de ui.

Itaque non solum absurdi nihil habet, quod M. Lucullus *familiae* mentione nouum suum iudicium circumscripsit, sed prudenti consilio id egisse uidetur, ut ne publica de ui quaestio, ualde tunc ac publice necessaria, aut dissolueretur aut priuatis forte praeiudiciis perturbaretur, denique quacumque ratione debilitaretur.

Contra nemini dubium fuit, quin publico iudicio eo solum nomine quisque teneretur, quod *suo ipsius dolo ui gestum esset.*

At hercle nihil fuit potentibus opulentisque hominibus facilius quam seruorum ministerio suum dolum tegere et improbissimum quodque facinus, quod in longinqua fortasse possessione aut instigassent aut seruorum suorum ferocitati permisissent, publici iudicii seueritati penitus subtrahere: quinetiam promptissimum malitiosae uersutaeque potentiae fuit, alienigenas seruos ignotosque adhibere, tum nocentes ex altero fundo agroue in alterum transferre, atque eiusmodi fraudibus *noxalium* quoque actionum effectu solatioque inimicum priuare.

Hoc igitur loco sapienti consilio *M. Lucullus* priuatum suum ac poenale iudicium interposuit; non quo publicam quaestionem periclitaretur ulloue modo deminueret, immo quo efficacissime adiuuaret ac necessario quodam supplemento augeret.

Etenim latebram illam petiit defendentium, imprudentibus sese inuitisque accidisse, quae familia sua ui hominibus armatis coactisue commisisset; atque eos, publico quidem iudicio tutos, priuato tamen ac poenali iudicio alligauit, iustissime ratus, in quotidianis quidem singulorum hominum delictis noxale ius sufficere,

Formula in familiam concepta.

at qui tam negligenter familiam suam contineret, ut adeo cum coactis armatisue hominibus ac uelut agmine quadrato ad uim faciendam imprudente inuitoque se prorumpere posset, eum culpa, his praesertim temporibus, non uacare, neque praeterquam de se queri debere, si, quod *tali modo* familia sua damni dedisset, eo nomine etiam cum poena ac detracta noxae deditione ipse obligaretur.

Atque illud hercle neque mirum est neque inauditum, ex caussa iudicium constitui, quo familiae nomine dominus in solidum ac sine noxae datione teneatur[35]; caeteroquin facili negotio quiuis sibi persuadebit, noxae deditionem, si ad *Ulpiani* modum[36]) intelligatur, uniuerso, quale cognouimus, consilio *M. Luculli* repugnare; contra, si de tota familia dedenda cogites, partim nihil ei quicum agitur profuisse, partim, quae tum inualuit uoc^i. *familiae* interpretatio[37]), ne effici quidem semper potuisse.

35) L. 1. pr. §. 6. L. 2. L. 3. pr. L. 12. pr. §. 1. De publicanis. Utique me non fugit, similem tantum, non eandem esse huius iudicii naturam. Etiam magis differt illud Edictum, quod in Tit. Dig. Si fam. fur. fec. dic. habetur, quippe quod domini non actoris commodum spectet. Videsis L. 1. pr. d. tit. L. 9. De iurisdict. L. 32. Ad leg. Aquil. Conf. tamen L. 2. §. 15. Vi bon. rap. — Addo *Frontin. de Aquaeduct.* c. 129. (p. 198. Ed. Adler) «Quicunque ... riuos, specus ... aquarum publicarum ... ruperit ..., is populo Romano C. millia dare damnas esto .... «*Si* «*quid eorum seruus fecerit, do*«*minus eius H-S. centum millia* «*populo det.*» Ubi nolim tamen spondere, noxae dationem, quamuis in lege non commemoretur, omnino praecisam fuisse. Conf. L. 6. §. 1. L. 4. §. 8. De re iud. L. 1. De noxal. act. L. 20. §. 5. De her. pet.

36) L. 2. §. 16. Vi bon. rap. (*sup.* p. 553. not. 31.)

37) *pro Caecina* c. 19. 20. (*sup.* p. 307. seq. not. 28.) Conf. L. 2. §. 14. h. t. (*sup.* p. 553. not. 29.)

Sed occurretur fortasse nobis a quibusdam quaerentibus, satisne constanter facere uideamur, qui, quum ipsi antea insitam quandam *actionis interdicti*que de ui hominibus armatis coactisue affinitatem statuerimus[38]), tamen in *interdicto* (sicut necesse est) *fateamur*, in *actione* uero *negemus*, tam *domini* quam *familiae* nomine formulam in Edicto propositam fuisse. Formula in familiam concepta.

Quibus ego hoc referam, si non omni parte certum, at forsitan uerisimile:

Pari natura sunt et ueiut sanguine iuncta inter se *interdictum* illud *actio*que in eo quidem, quod unam iniuriae maleficiique formam ac speciem, eam uidelicet, quae *ui hominibus coactis armatisue* committitur, spectant, et communi hac condicione ac formula per idem fere tempus easdem ob caussas sunt constituta[39]). Sed tamen diuersi aliquid necesse est habeant, alioquin non duae actiones essent sed una.

Quid igitur est, quo inter se differant?

Nempe *interdicti* uis et effectus talis est, ut *fundi possessionem actor recuperet;* contra *actione* id agitur, ut *damnum*, quod passus est, *aestimatione facta exactaque sarciatur.*

At quoniam omne eiusmodi damnum, siue e *legis Aquiliae* genere sit, siue *furti* instar habeat, etiam ad *litis aestimationem*, quae publico de ui iudicio continetur, pertinere nobis uisum est; idcirco negauimus, eum, qui iudicio publico conueniri posset, praeterea etiam priuata Praetoris actione teneri.

38) Conf. *h. sup.* p. 577. et Lib. II. §. 3. p. 324. seq.

39) *pro Tullio* §§. 8. 46.

Formula in familiam concepta.

Quid autem? Si quis ui hominibus armatis coactisue de fundo deiectus sit, num ei quoque per iudicium publicum eiusque litis aestimationem satisfieri poterit? Non opinor. Etenim nec credibile est, in iudicio publico ipsius fundi, de quo ille deiectus est, possessionisue fundi certum pretium constitui atque in litis aestimatione computari solitum esse, et uniuersa publici iudicii natura etiam multo minus illud tulit, ut restituere fundum reus siue a Quaesitore siue a consilio iuberetur. Ex quo perspicuum est, quicunque de fundo ui hominibus armatis coactisue deiectus esset, ei, siue publico iudicio experiretur siue non experiretur, utique ad recuperandam fundi possessionem *interdicto* opus fuisse.

Quid mirum igitur, *domini* personam hoc interdicto contineri, illa actione non contineri?

Fortasse illud quoque addendum erit, ne praeiudicii quidem periculum, quod ne publico iudicio fieret, curiosissime uidentur Veteres obseruasse[40]), interdicto affuisse, quum id una formula tam dominum quam familiam procuratoremque *disiunctim* comprehenderet[41]), ac propterea, etiamsi actor uicisset, nihil tamen iudicatum esset, nisi eum quicum agitur non restituisse actorem eo, unde ui hominibus coactis armatisue *aut a se aut a familia aut a procuratore* deiectus fuisset[42]).

Sed satis de hoc loco disputatum est.

40) Quae de illo iure apud Iurisconsultos nostros occurrunt (uid. sup. nott. 32. 33.), ea nonnisi tenues reliquias et uestigia quaedam antiqui rigoris continere uidentur. Conf. etiam *de Inuent.* II, 20.

41) Vid. *sup.* Lib. II. §. 3. p. 324. seq.

42) Priusquam L. 4. De publ.

Ad extremum restat, ut emendandae supra propositae illius formulae caussa hoc admoneam, taxationem fortasse *aestimationi* potius damni quam *quadruplicationi* appositam coniunctamque fuisse[43]. Quadruplicatio

In summa, ut in breue contraham quae de supradictis formulis disseruimus, M. Lucullus *unam* agendi formulam, noxalibus figuris nullis additis, composuisse uidetur, in talia fere uerba conceptam: Summa. M. Luculli formula.

... RECUPERATORES SUNTO. QUANTAE PECUNIAE PARET DOLO MALO FAMILIAE NUMERII NEGIDII UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNUM FACTUM ESSE AULO AGERIO, DUNTAXAT SESTERTIUM TOT MILLIUM, TANTAE PECUNIAE[44]) QUADRUPLUM RECUPERATORES NUMERIUM NEGIDIUM AULO AGERIO CONDEMNANTO, SI NON PARET, ABSOLUUNTO.[45])

Unde quid in ipsius Edicti tenore supra adscripto[46]) mutandum esse censeam, ultro apparebit.

iud. (*sup.* p. 554. not. 33.) mihi opponas, adhibe quaeso illa, quae antea (Lib. II. §. 2. p. 311.) de uaria conceptione interdictorum de ui disputata sunt.

43) *Huschkii* Exc. *de Taxationibus*, l. l. p. 261. seqq.

44) Quod si fortasse cuipiam magis placuerit sic, *tantae pecuniae, duntaxat Sestertium tot millium, quadruplum* non repugnabo.

45) Licet inter Iurisconsultos nostros constet, in quadruplum hanc actionem nonnisi intra annum competere (uide *supra* p. 552. not. 26.), tamen in eo *Huschkii* exemplum secutus sum, quod uerba *in hoc anno* in formula omisi. Nam de ea re credibile est, Praetorem olim, quum de dando denegandoue iudicio ageretur, ipsum statuere solitum esse, nonnumquam fortasse, ubi res postularet, peculiari praescriptione in formulam addita recuperatoribus, ut operam darent, mandasse. Nisi forte a principio ad exemplum interdicti de ui hominibus coactis armatisue (uide sup. Lib. II. §. 3. p. 325.) neque Edicto neque praetoria iurisdictione agendi facultas anno circumscripta fuit.

46) p. 575. seq.

§. 4.

De actionis iure et formula. — Progressio.

Haec igitur habui de pristino *M. Luculli* iudicio consilioque quae dicerem. Sed quum antea cognouerimus nouam eius iuris formam diuersamque illam *Gaii*, *Ulpiani* caeterorumque disceptationem, haud minore rei quam temporis interuallo distantem, iam superest, ut spatium in medio situm ac uicissitudines, per quas ab illo principio ad hunc finem est peruentum, inuestigatione amplectamur. Quam curae partem ad extremum hunc locum idcirco distulimus, quod in coniectura multo magis uersatur quam iustis Veterum testimoniis uliis constat.

Sed quum propter similem testimoniorum rationem etiam superiorem disputationem inuerso temporum ordine instituerimus, haud abs re erit, ita reliqua supplere, ut simul illius summam per indicem repetamus, denique totam eius iuris progressionem ac uicissitudines a principio inde breui enarratione persequamur.

Adiecta vv. Bonaue rapta.

Itaque, ut supra diximus[1]), primum fuit, ut pristinae formulae insererentur uerba illa BONAUE RAPTA; idque tuendi declarandique pristini iuris, non corrigendi caussa factum.

1) p. 577. seqq.

Superuenerunt deinde Imperatorum dominationes cum milite perpetuo caeterisque frenis opulentorum hominum licentiae iniectis[2]). Tum breui tempore sopita erant illa quasi bella incursionesque priuatorum, atque ita constitutum imperium, ut si quid tamen eiusmodi moliretur, longe alio quam iudiciorum priuatorum ordine reprimeretur. Ne multa: cessante necessitate de pristino rigore huius iudicii quod extraordinarium fuit, remissum est; sicut superiori libro apparuit[3]), etiam geminum illud interdicti de ui hominibus coactis armatisue ius iisdem fere temporibus, iisdem de caussis, et simili modo in mitiorem et magis communem consuetamque rationem deflexisse. Temporum mutatio.

Quid igitur est? Illud maxime pristinum *M. Luculli* iudicium habebat extraordinarii, quod propter familiae delictum, nullo suo facinore interueniente, dominus poenali iudicio, detracta noxae deditione, obstringebatur. Quod si, conseruata caeteroquin actione, rescindere atque in communem usitatamque iuris formam redigere uellent, expeditum profecto erat, in proprium ipsius domini nec diutius in familiae dolum dirigere principalem actionem, tum e uulgari poenalium actionum instituto noxales actionis figuras tam familiae quam singulorum seruorum nomine adiungere. Detracta familiae mentio.

Neque nouo eiusmodi iuri tantopere atque antea publici iudicii ratio consideratioque, qualem supra demonstrauimus[4]), obstabat; nam hoc ipsum quum nouis legibus, *Iuliis* praesertim tam *C. Iulii Caesaris* quam

2) *Cramerus* l. l. p. 68. *Waechterus* l. l. p. 217.

3) §. 3. p. 341.

4) p. 588. seqq.

Detracta familiae mentio.

Augusti, ita tum nouatum esset, ut poenas publicas multo magis quam emolumentum eius, qui damnum passus esset, spectaret[5]) (ueterum legum diuersam condicionem fuisse, supra docui): aequum fortasse uisum est, tanto magis etiam priuatae nocentium persecutioni indulgere, tralatitiamque actionem non modo corrigere potius nouisque figuris (tam directis quam noxalibus) augere quam penitus tollere, uerum etiam *praeiudiciali* illo, quod olim fuisset, periculo impedimentoque liberare ac soluere.[6])

Noua actionis utilitas

Age uero de utilitate emendatae huius actionis uideamus quid statuendum sit *nobis*, et quid *Veteres* existimauerint.

Temporibus mutatis, cessantibus priuatis istis quasi bellis hominumque potentium incursionibus ac paene obliuione obsoletis, iam rarior existebat propositi iudicii usus propter damnum *ex legis Aquiliae genere*, quod ui hominibus armatis coactisue datum esset. Contra in dies magis poenale ac seuerum hoc iudicium propter *bona rapta* animis hominum probabatur[7]): non quo ui hominibus armatis coactisue multo saepius *bona raperentur* quam *damnum ex legis Aquiliae genere*

5) Lex Iulia C. Caesaris aquae et ignis interdictionem poenam constituit, *Cic. Phil.* I, 9, 23. eamque lex Iulia Augusti in ui publica retinuit. L. 10. §. 2. h. t., uim priuatam publicatione tertiae partis bonorum puniri iussit, cum additamento illo, quod *sup.* not. 33. e L. 1. pr. h. t. cognouimus. De hisce poenis omnibus, et quemadmodum deinceps exasperatae fuerint, uidesis *Waechterum* l. l. p. 31. 34. p. 221. seqq. p. 226. seqq.

6) Vide supra §. 1. nott. 32. 33. et h. §. 3. not. 40. 103.

7) Vide sup. p. 546. ibique not. 9.

daretur, sed quia, ut supra uidimus[8]), iam existimari iustum, utile ac paene necessarium coeperat, seueriori poena obstringi eum, qui *rapuisset*, h. e. *ui furtum fecisset*, quam eum, qui clam furatus esset, atque, ut ita dicam, intra quotidianum furtorum genus sese continuisset. Nova actionis utilitas.

Itaque qui ita sentiebant, tralatitium hoc iudicium bonorum raptorum nomine non modo conseruandum esse censuerunt, sed etiam id egerunt, ut facilius uberiusque redderent, denique ut omnes, *qui quouis modo ui rapuissent*, uniuerse alligarent. Hoc autem ita se assecuturos esse intellexerunt, si *hominum armatorum coactorumue* clausula et condicione Edictum agendique formulam siue corrigendo siue interpretando liberauissent.

Nec dubito, quin, si praeter *bona ui rapta* nihil ea actio continuisset, simpliciter uerba HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE e formula electuri fuissent. Voc. Vi electum.

Sed ad hoc puto impedimento fuisse damnum illud, quod e *legis Aquiliae* genere actioni inerat, adeoque inde a prima actionis origine primum in formula locum obtinebat[9]).

Quippe hac parte neque communis quaedam ratio neque illius aetatis opinio tulit, ut seueriori iudicio ad persequenda ea, quae *ui*, quam ad ea, quae *clam* gesta essent, opus esse uideretur. Quum enim in *occidendo*, *uulnerando*, *urendo*, *rumpendo*, *frangendo*, in omni denique *legis Aquiliae* genere, semper *uis*

8) p. 569. 9) Conf. sup. p. 579.

Voc. Vi eiectum.

quaedam (longe aliter atque in *furtis*) inesset[10]), quamquam in hisce quoque damnis cogitatione quidem discerni potest quod *ui* (*insigni* quodammodo) et quod *clam* fit[11]): utique ea distinctio minus idonea uisa est, in quo quasi fundamento tota ratio illius iudicii constitueretur.

Satius igitur duxerunt, hac parte *homines armatos coactosue* in formula retinere; quinetiam quod hominibus armatis coactisue damnum esset datum, inter *legis Aquiliae* delicta adeo insigne coepit existimari, ut tum quoque, quum *clam* factum esset, duriori illa propositi iudicii poena dignum uideretur.[12])

Sic mutatis temporibus noua iudicii utilitas in eo cernebatur, ut persequendis *e furtorum genere* iis, quae *ui* duntaxat, *e damnis ad legem Aquiliam pertinentibus* uero iis, quae *hominibus armatis coactisue* commissa essent, accommodaretur; et quae communis primitus fuerat ac duplex tam in *damno dato* quam in *bonis raptis* condicio[13]), quum in *ui* tum in *hominibus armatis coactisue* posita, ea iam ita dirimebatur ac diuidebatur, ut *uis* in *rapina* solum, in *damno* autem *homines armati coactiue* exigerentur.

Quod ut etiam Edicto et agendi formula recte indicaretur, necessarium sane fuit *uim* a *damno* seiun-

10) L. 51. pr. Ad leg. Aquil. (*Iulianus.*) « . . . Occidisse dicitur « uulgo quidem, qui mortis caus- « sam quolibet modo praebuit: sed « lege Aquilia is demum teneri « uisus est, qui *adhibita ui et* « *quasi manu* caussam mortis prae- « buisset; tracta uidelicet interpre- « tatione uocis a *caedendo* et a « *caede*» rel.

11) L. 2. §. 9. b. t. (sup. p. 547. not. 11.)

12) Vide supra p. 547.

13) Vide supra p. 576. seq.

gere, *rapinam* ab *hominibus armatis coactisue*[14]): Voc. Vi eiectum.
idque facillime cessit.

Nam quum nemini profecto dubium esset, quin *uis* ipsi uerbo *rapere* etiam tacite inesset[15]), nihil obstitit, quin hoc uocabulum UI ex Edicto formulaque prorsus eiiceretur.

Rursus in *hominum armatorum coactorumue* mentione, quae uerborum collocatione damno proxime coniuncta erat, nil aliud opus fuit, nisi ut particula quadam inserta transpositaue aut quocunque modo, fortasse etiam mera interpretatione, a uersiculo de *bonis raptis* concepto segregaretur ac *damno dato* applicaretur. Ut ecce quae antea fuisset Edicti formula fere talis:

SI CUI DOLO MALO UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNI QUID FACTUM BONAUE RAPTA ESSE DICENTUR: IN EUM rel.

tunc fortasse sic mutata est:

SI CUI DOLO MALO HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNI QUID FACTUM ESSE DICETUR, SIUE CUIUS BONA RAPTA ESSE DICENTUR: IN EUM rel.

Sed in *actione* antea sic fere concepta:

QUANTAE PECUNIAE PARET DOLO MALO NUMERII NEGIDII UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNUM FACTUM BONAUE RAPTA ESSE AULO AGERIO, DUNTAXAT rel.

uidendum, ne eiectum tunc fuerit uoc. UI, praeterea nihil nouatum.[16])

14) L. 195. §. 3. De V. S. (sup. p. 558. not. 3.)

15) Vide sup. p. 559. ibique not. 4.

16) Ambigui uitandi caussa coniecerit aliquis: DAMNUM HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE FACTUM. Sed si Iurisconsultorum

Eiectum uoc. Armatisve.

Quemadmodum denique potuerit tam ex edicendi quam ex agendi formula eiici etiam uoc. ARMATIS-UE, supra retulimus.[17])

Summa.

Itaque, ut in pauca conferam, quae de agendi formula adhuc disputata sunt, talem fere mutationum seriem haec actio a *M. Lucullo* inde usque ad illud tempus, quo annuis Praetorum Edictis stabilis quaedam Edicti forma successit, subiisse uidetur:

1°. Adiecta uerba BONAUE RAPTA.

2°. Detracta FAMILIAE mentio.

3°. Eiectum uoc. UI.

4°. Eiecta uerba ARMATIS-UE.

Actionis ius.

Sed haec de formulis. De ipso autem actionis iure illud addam, non prius uideri hoc iudicium *famosum* fuisse, quam *furti* ratio prae *damno* praeualere coepisset. Certe famosum esse non potuit, quamdiu nonnisi familiae nomine propositum esset; nam ignominia affici qui *alieno nomine* quauis actione condemnetur, nec rationem habet neque exemplum[18]). Neue te prae-

disceptationem ac dissensionem (conf. sup. p. 557. seqq.) consideres, tum si quae in fine huius §phi dicentur, respicias, utique in eruenda illa agendi formula ei, qui, quod uerisimile est, sequatur, non tantopere nitandum esse ambiguum, existimabis.

17) p. 564. seq.

18) L. 1. De his qui not. infa. «... Qui furti, ui b. r., iniuria-«rum, de dolo malo et fraude *suo* «*nomine* damnatus pactusue erit.» L. 4. §. 5. eod. (sup. p. 556. not. 35.) Conf. L. 14. eod. *Zimmern. Nox. Kl.* p. 121. seqq. — Animaduertendum denique est, pro Edicti uerbis SUO NOMINE in lege Iulia municipali haberi (*furti*) QUOD IPSE FECERIT. Qua de re conf. *Dirksenium* Obss. ad Tab. Heracl. P. II. p. 72. p. 77. p. 79. seq. — De ipsa quaestione, famosum fuerit primis illis temporibus propositum iudicium necne, uidesis *Huschkium* ad §. 5. *h. or.*, l. l. p. 104.

tereat, in lege *Iulia municipali* nondum hoc iudicium inter famosa enumerari.[19]) Actionis ius.

Caeterum admonendi sumus, neque certa quadam lege aut Senatusconsulto id ius correctum finitumque esse, et maiorem sane *Iurisconsultorum* in illustrando emendandoque huius actionis *iure ac ratione* quam *Praetorum* in corrigendo *Edicto agendique formula* industriam fuisse. Progressionis natura.

Atque haec profecto caussa fuit, cur progressio illa, quam certis quasi lineamentis adumbrare conati sumus, non sine magnis contentionibus ac multiplici fluctuatione fieret, atque post finitam quoque in perpetuumque constitutam Edicti formam in nouo hoc iure multae magnaeque uarietates remanerent, nec quidquam paene firmum ac durabile, et a nouis tentaminibus uacuum esset: sicut exemplis illis, quae, in parua quidem fragmentorum copia, ex *Ulpiani* aliorumque Iurisconsultorum libris a principio protulimus[20]), manifestissime declaratur.

19) Conf. *Dirksen.* l. l. p. 72. p. 81. seq. *Schrader.* ad §. 2. I. De poe. tem. litig.

20) Vide sup. p. 557. seqq., ubi etiam nouorum, quae dico, tentaminum praeclarum illud exemplum, in L. 2. §. 7. h. t. obulum, inuenies.

§. 5.

De Argumento orationis.

Mancam mutilamque accepimus propositam orationem, non solum qua parte ratiocinatio et confirmatio continetur, sed etiam in narratione.

Itaque quod in caeteris orationibus moris magis ac consuetudinis quam altioris, ut dicunt, indaginis esse solet, uidelicet ut rem, quomodo gesta sit, breui quodam argumento doceamus; hoc loco summam habet difficultatem, neque e *narrationis* fragmentis nisi adhibita coniectura ac diuinandi quadam arte confici potest.

Huschkius. Hoc autem officio *Huschkius*, meritissimus huius orationis editor et commentator, ita functus est[1], ut libenter fatear, me, quod addam, nihil, quae reprehendam aut corrigam, nonnisi pauca quaedam habere.

Quod quum ita sit, ratissimum duco, ipsum quod V. D. composuit, argumentum (typorum forma distinctis, quae dubitandi materiam praebere uidentur) in medium proferre, tum, quantum opus erit, de meo adiicere.

« M. Tullius habebat in agro Thurino fundum a patre sibi relictum, cui erat adfinis alia possessione C. Claudius senator. Et quamdiu hic quidem uicinum fun-

1) l. l. p. 94—97.

dum possidebat, nulla de finibus agrorum controuersia Buschkius. emergebat. Postea uero fundum suum uendidit P. Fabio, sordido homini, qui pecuniam in Asia et Macedonia nescio quomodo quaesitam in fundo tuto ponere properabat. Emit autem homo non minus stultus quam auarus tam insanis pretiis, ut pecuniam potius abiecisse quam posuisse dici posset. Quod ut ipse sensit, circumspicere coepit, quemadmodum damnum suum repararet. Et primum quidem totius negotii eum poenitebat; fundum ergo iterum proscripsit, emptum autem eum habebat cum Acerronio quodam, honesto, ut uidetur, uiro. Cum igitur nemo ad emptionem accederet, huic socio suo, ut, eodem sine dubio aut maiori quam quo ipse emerat pretio, fundum redimeret, persuasit. Persuasit autem eo facilius improbus homo, quod in tabella proscriptionis alliciendorum emptorum caussa maiorem fundi modum, quam reuera ipsius erat, ut uenalem designauerat, inclusa scilicet centuria quadam Popilliana uel Populiana, quae portio erat fundi Tulliani, sed ita sita, ut inscio ad suum fundum pertinere uideretur. Haec fraus in proscribendo fundo admissa Tullio a procuratore suo mature Romam nuntiatur. *Appellat Acerronium, ibidem tunc agentem.* (Nam Fabius in uilla uersabatur.) *Is a socio se fraudatum ne somnians quidem, tunc sane adroganter, quod commodum fuit, respondit.* At fines Fabius auctor Acerronio nondum demonstrauerat. Mittit igitur ad procuratorem litteras et ad uillicum Tullius, cauerent a fraudibus Fabii, et, si fieri posset, curarent, ne nisi se praesentibus Fabius fines demonstraret. Huic domini uoluntati obtemperantes petunt a

Huschkius. Fabio, ut se, cum fines ostensurus esset, aduocaret. Ille se facturum negauit: Illis absentibus fines demonstrauit. Neque tamen hanc centuriam Populianam uacuam tradidit; nam cum serui M. Tullii tum, cum fines demonstrarentur et traditio perficeretur, eam tenerent, ingredientes facile repulerunt. *Et Acerronius quidem, quomodo potuit, se de tota re excusauit; mox enim socii fraudes perspexit; multumque postea sibi gratulatus est, ubi ex negotio cum homine eiusmodi gesto semiustulatus effugit.* Fabius uero emptori de auctoritate obligatus et acerbe ferens, quod artes suae sibi tam male cessissent, dolo uim addere Tullioque uindicandi sui gratia insignem calamitatem infligere constituit. Adducit igitur in saltum homines electos maximis uiribus, armis instruit, omnique uiolentiae generi adsuefacit; caeterum odium occulens, opportunitates nocendi captaturus. Interim etiam Tullius in Thurinum uenit, sed palam non clam profectus, ut appareat, non insidiarum et rixarum caussa, sed ut suum defenderet a uicini iniuriis, a quo qualia exspectari deberent, res nuper gesta ostendebat, in fundum suum se contulisse. Quo comperto Fabius fraudes suas praeuentas iam intelligens, occasionem non opperiri sed ipsum sibi facere uique aperta aduersus Tullium agere statuit. Cum igitur quodam die seruum M. Tullii in Populiana centuria animaduerteret, quid ei in suo esset negotii, compellat. Servus, si quid uellet disceptare, dominum adiret, respondet. Proficiscitur igitur cum Acerronio (nam is quoque ibi tum erat) ad Tullii uillam Fabius; rem exponit, Tullium suum tenere uociferatur, id se uindicaturum iactat, appellat, ut aut

ipse Tullium deduceret, aut ab eo deduceretur. Tullius se deducturum dicit: uadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea condicione Tullius. Disceditur. Verum enim uero uim istam imaginariam iuris ciuilis praeuenit Fabius solida ui armisque. Proxima enim nocte, iam fere lux cum appropinquaret, ueniunt in aedificium, quod erat in centuria Populiana, serui P. Fabii, introitum sibi ui manuque aperiunt, homines magni pretii M. Tullii adoriuntur, caedem atrocem faciunt, tectum uillamque disturbant. Nunciatur res M. Tullio, qui confestim post patratum facinus, ut testatum fieret, ad amicos mittit, iudiciumque id, in quo Cicero hanc orationem habuit, praeparat.» Huschkius

Iam primo loco, ut ab eo, quod leuius est, incipiam, nondum mihi expeditum est, quod *Tullius* dicitur Romae *Acerronium* appellasse, *hic* autem adroganter respondisse. Nam parum credibile mihi uidetur, Acerronium, quum fundum a Fabio emeret, *Romae*, neque una cum hoc in *Thurino* fuisse. Dubitatio prima.

Quid igitur? num forte *Acerronius*, a procuratore Tullii de falso agri modo proscripto admonitus, *Fabium* appellauit? *hic* autem, quum uiri probi et honesti personam ageret, indignabunde respondit emptori fidem suam in discrimen uocanti? Quo pacto uerba illa, quae inter §. 16. et §. 17.[2]) perierunt, tali fere sententia fuissent:

2) In Codice (Ambrosiano) haec leguntur: «Ac primum quod eum «negotii totius et emptionis suae «poenitebat, fundum proscripsit; «eum autem emptum habebat cum «socio Cn. Acerronio uiro op — (Desunt undecim uersiculi) — «§. 17. . . . . modum proscripsisse. «Hominem appellat. Iste sane «adroganter, quod commodum

Huschkius. Dubitatio prima.

« . . . Cn. Acerronio, uiro *optimo; cui facile per-*
« *suasit, ut fundum iam communem emeret. Quod*
« *ut compertum est, admonetur a procuratore Tul-*
« *lii Acerronius, uenditorem agri falsum* modum
« proscripsisse.

Sed haec incertiora sunt[3]) ac propter illa potissimum, quae sequuntur, a me allata.

Dubitatio altera.

Quippe in *Argumento*, quod exhibui, paullo inferius haec habentur, quae suo loco, sicut conuenerat, litteris inclinatis curaui ut conspicua essent:

« *Et Acerronius quidem, quomodo potuit, se de*
« *tota re excusauit; mox enim socii fraudes per-*
« *spexit, multumque postea sibi gratulatus est,*

« fuit, respondit. Nequedum fines « auctor demonstrauerat. Mittit « ad procuratorem litteras et ad « uillicum Tullius — (Desunt decem uersiculi) — « facturum ne« gauit; illis absentibus fines Acer« ronio demonstrauit: neque ta« men hanc centuriam Populianam « uacuam tradidit.»

3) E multis, quae in utramque partem disputari potuerint, pauca attingam: Quid est quod in oratione sequitur, *Nequedum fines auctor demonstrauerat?* Num forte (sic aliquando mecum cogitaui) hisce uerbis inest (obserua coniunctiuam particulam *neque*), tanto facilius Fabio fuisse, quasi cum indignatione et stomacho emptorem percontantem repellere, quo fines nondum demonstrasset, ac propterea in aperta fraude non deprehenderetur, siue uera essent siue falsa, quae emptori allata interpellandi occasionem praebuissent? Sed fateor, amplam esse dubitandi materiam, ne ad sequentia potius *(« Mittit ad procuratorem »* rel.) illud spectet. — E diuerso non multum obstabit, quod in proposita coniectura uerba *iste* et *auctor* eandem personam demonstrant, nox *iste* autem per se *Fabio* magis quam *Acerronio* conuenit. Non sine caussa denique desiderabitur fortasse sententia illa, quam *Huschkii* supplementum habet, nostrum non habet, uidelicet *fraudem in proscribendo fundo Tullio a procuratore Romam esse nuntiatam;* sed parum sciri potest, num forte alio modo siue in hac siue in proxima lacuna ei rei consultum fuerit.

«*ubi ex negotio cum homine eiusmodi gesto semu-* Dubitatio altera.
«*stilatus effugit.*»

Iam haec an uera sint, omne iudicium uertitur in coniectura, quae tam de uerbis quam de sententia §phl 18, misere mutilatae, capietur. Qui uersiculus [4]) in Codice Ambrosiano (nam in Taurinensi non extat) sic legitur:

«Acerronius quo|modo potuit | sedetorareex | — —
«— — | mine eiusmodi | semustilatus | effugit. | Ad-
«ducit iste in|terea in saltum | homines elec|tos ma-
«ximis ani|mis et uiribus, | et is arma, quae | cuique
«*h*abi|lia (abitalia) atque apta essent, comparat:
«prorsus ut quiuis intellegeret, non eos ad rem ru-
«sticam, uerum ad caedem ac pugnam comparari.»

Ubi lacunam indicaui, reliqua pars folii, quae circiter undecim uersus, undenarum ferme litterarum, continuit, desecta est. [5])

Quid ergo est? *Niebuhrius* e notis SEDETORAREEX, una tantum littera mutata, caeteris in fine adiectis, effecit SE DE TOTA RE EXC*USABAT*, eamque coniecturam, ualde prima quidem facie probabilem, caeteri, uereor ne nimis confidenter, receperunt; nec quidquam aliud deinceps egerunt, nisi ut in supplendis reliquis undecim uersiculis ea diuinando assequerentur, quae cum initialibus proximi folii litteris, uocabulis et sententia («*mine eiusmodi semustilatus effugit*») aptissime coniungerentur atque continuarentur. [6])

4) Continuo excipit uerba illa, quae superius in nota 2 exhibui.
5) Videsis Ed. *Peyroni* p. 46.
6) Beierus: «Acerronius quo-«modo potuit, se de tota re ex-«*cusauit*, *cum primum potuit;* «*Fabio autem statim renuntiauit* «*(maluit enim rei quam existuma-*

Dubitatio altera.

Qua ratione placuit (ut in Argumento Huschkii inuenimus), talem fere Ciceronis hac parte sensum orationemque fuisse:

Intelligere coepisse Acerronium, decipi se a Fabio, contra uere se a Tullio de agri finibus esse edoctum; propterea poenituisse eum quum adroganter antehac recepti Tullii tum uel maxime totius emptionis; duplici illa poenitentia actum Acerroninm primo se apud Tullium de tota illa re comiter excusauisse offensionemque deprecatum esse, deinde Fabio emptionem renunciasse, ac pecuniaria quadam iactura ultro in se suscepta toto negotio sese exsoluisse ac liberauisse. Sic euenisse, ut neque incolumis, neque tamen plane perditus inde euaderet, sed modico detrimento affectus, h. e. *semustilatus*.

Atquin huic coniecturae et interpretationi non pauca uidentur obstare.

Primo loco, ut antea monui, minime constat, in d.

«*tionis facere iacturam), atque* «*ex societate cum homine* eius«modi semustilatus effugit.» — *Huschkius*: «Ac. q. p. s. de tota «re *excusauit apud Tullium; cum* «*Fabio autem socio suo ac uen*«*ditore rerum ad se non perti*«*nentium quid egerit, non com*«*peri; certe uehementer gratulari* «*sibi potest, si ex negotio cum* «*homine* eiusmodi semustulatus «effugit.» — Ante *Maius* vv. «*sedet orare*» retinuerat, quum moneret: «Fuit autem *sedere* «non raro apud Latinos uerbum «supplicantium.» — Ad quae *Heinrichius*: «Sane *sedere* apud «Latinos multorum est, ut cun«ctantium et exspectantium, ut «iudicantium et equitantium, «etiam uincentium (ex uetere «prouerbio, Romanus sedendo «uincit) et si quid aliud facien«tium. Tamen noster uir optimus «nonnisi uitio hic *sedet*, et, dum «integra erat huius loci oratio, «nunc misere lacerata, nisi omnia «me fallunt, *possedit*.» — De syllabis «*mins*» *Maius* coniecerat «*agmine*», *Heinrichius* «*ex dis*«*crimine*».

§. 17. Acerronium dici appellatum esse a Tullio. Qui etiamsi diceretur, haudquaquam apparet, paullo postea, quum fines modo essent demonstrati, de fraude iniuriaue Fabii ei fuisse persuasum, nedum ab emptione eum recessisse. Nam postea quoque (conf. §. 20.[7]) Fabio adfuit, quum is iuris sui uindicandi caussa Tullium conueniret, nec certa siue hoc siue alio loco caussa ulla apparet, cur a toto negotio subito resiluerit, quum praesertim uix dubium sit, quin fines ei ex sententia sint a Fabio demonstrati, comprehensa nimirum non exclusa centuria Populiana[8]); traditio autem, si tamen oratori credendum est neganti, hanc centuriam uacuam traditam esse, sic uideatur processisse, ut aut celaret emptorem de aliena possessione controuersiaque inde oriunda uenditor, aut de iure suo calumniaque Tullii conuinceret, ac tutum bonoque animo esse iuberet auctoris fide, suo periculo rem strenue facilique negotio defensuri. Dubitatio altera.

Quominus denique Acerronium apud Tullium putemus se excusauisse, illa quoque ratio facit, quod, nisi omnem rei gestae ordinem orator narratione sua turbauit, Acerronius hoc tempore, quo fines sunt demonstrati, nullo dubio una cum Fabio in Thurino in re praesenti uersabatur, Tullius uero etiamdum Romae erat, quippe qui, quum modo antea ad procuratorem in Thurinum litteras misisset (§. 17.)[9]), postea demum, multis interiectis, in Thurinum uenisse dicatur[10]).

7) «Rogat Fabius Acerronium, «nam ibi tum erat, ut secum «simul ueniat ad Tullium. Veni«tur.» rel.

8) §. 17. «Illis absentibus fines «Acerronio demonstrauit; neque «tamen hanc centuriam Populia«nam uacuam tradidit.»

9) Vide supra not. 2.

10) §. 19. «. . . agros, uias «denique infestas habebant. Ve«nit in Thyrinum interea Tullius.»

Dubitatio altera

Videndumque imprimis illud est. Parum credibile, nedum certum esse mihi uidetur, quod pro explorato tamen sibi assumunt, prima sequentis folii uerba («..mine eiusmodi semustilatus effugit») cum principio §phi 18. («Acerronius quomodo potuit sedetorareex...») adeo intime cohaerere, ut initium hoc, illa exitum eiusdem rei gestae, uidelicet dissolutae emptionis, contineant. Mitto poscere exempla dictionis «*semustilatum effugere*» pro «*ambustum euadere, discedere*» [11]). Sed hoc neminem praeterire debet, infra, §. 54., Fabium introduci querentem, scruum suum non comparere, casam suam a Tullii hominibus incensam esse. Qua de re uerba se fecisse diserte Cicero ibidem pronunciat. Ubinam fecit? equidem cum Huschkio quaero. Qui quum admittat, in hac fortasse lacuna §phi 18. de ea re Ciceronem egisse, magis tamen putet inter §§. 52. et 53., concedat denique, haud absurde aliquem suspicaturum esse, saepius de illo facto oratorem dixisse: mihi uero tam grauis uidetur illa pars rei gestae fuisse, ut, ubicunque praeterea mentio eius recurreret [12]), tamen in narratione,

11) Germ.: mit einem blauen Auge davon kommen. — Noli mihi afferre Liu. XXII, 40. («Se populare incendium priore consulatu *semiustum effugisse*») et similia, ubi propter adiunctam uocem «*incendium*» ueluti translatus est tropus a uoc. «*semiustus*» atque alienatus.

12) Obiter admonebo, spatium illud, quod est inter §§. 52. 53., minus idoneum uideri, in quo inter caetera, nedum solo, ea disceptatio collocetur. Nam certo quodam ordine progreditur oratio in refellendis aduersarii argumentis, eo fortasse etiam magis, quod hic temere omnia disiecisse ac permiscuisse dicitur (conf. §. 35. cum §. 6.). Itaque primo loco docetur, quaeri non oportere, *iniuria* occisi essent homines necne (§§. 38—46.), secundo, hominem, nisi ob caussam certa lege exceptam, iure occidi numquam posse, eiusmodi uero caus-

quum praesertim altera caussae actio esset, nullo pacto potuisset silentio praeteriri. Plus arbitror. Vix potuit orator, quum primum eam rem in narratione attingeret, paucis uerbis eam absoluere et dimittere. Etenim non solum quo iure esset censenda, sed de ipso facto controuersiam fuisse docemur [13]), nec tamen ita, ut rem totam Cicero simpliciter infitiaretur, sed ut aliter atque aduersarius narrasset, commissam esse contenderet: ut ecce nemo sibi persuadebit, totum illud incendium aut Fabium ementitum esse, aut quasi fictum pernegasse Tullium; ad summum hic negauerit, a suis incensam esse casam, diuersamque incendii caussam attulerit, similiue ratione aduersarii narrationem uariauerit oppugnaueritque. Dubitatio altera.

Enimuero si ponamus, fusius oratorem de illo facto in re narranda disseruisse, necessaria ratione eo adigemur, ut statuamus, in qua uersamur orationis parte, ibi praeter undecim uersiculos, cultro a folio desectos, integrum etiam folium, unum pluraue, desiderari, quae hanc narrationis partem continuerint. Nam quum su-

sam Fabio nullam nec fuisse (§§. 47–52.), nec futuram fuisse (tertio), etiamsi centuria Populiana aedificiumque, in quo occisio est facta, eius esset (§. 53.), aut Tullianorum fraude tam seruus eius disparuisset quam casa conflagrasset (§. 54.), aut ipse reuera metuisset, ne a Tullii familia oppugnaretur (§. 55.). Quarum rerum si consecutio coniunctioque consideretur, uix dubitabitur, quin totum hoc argumentum, quod a casa incensa et homina amisso Fabius petebat, a Cicerone, praeterquam in narratione, in b. §. 54. primum sit prolatum, nec facile erit siue inter §§. 52. et 53. siue in alia parte confirmationis locum inuenire, in quo anterior quaedam eiusdem rei disceptatio apte collocetur.

13) d. §. 54. «Ostendi falsa esse.»

Dubitatio altera. periores quinque huius folii defectus omnes denorum undenorumque uersuum sint, praeter illos autem nulla in narratione nec praecedat lacuna nec postea sequatur, donec in §. 22. tota narratio abrumpatur, non potest incendio illi caeterisque simul gestis alius in narratione locus nisi haec §. 18., de qua agitur, assignari: certe nemini in mentem ueniet, de fine illo (§. 22.) cogitare, ubi iamdudum ad ea peruentum est, quae tempore postrema fuerunt, et quae e rei gestae narratione ad ipsum iudicium caussaeque disceptationem traducere orationem uidentur.

Quibus adhuc disputatis si quid ueri inest, neminem fugit, nihil egisse eos, qui supplementum undecim uersiculorum comparauerint, neque in excogitando eo aliud quidquam egerint, nisi ut haec folia Ambrosiana tertium et quartum siue uerbis siue sententia inter se coniungerent ac continuarent.

Simul autem uerborum «*mine eiusmodi semustilatus effugit*» noua se offert ratio interpretatioque, ne ipsa quidem certa sed in coniectura magis posita, tamen haud indigna, quae cum superiori illa conferatur et contendatur. Nam sic existimo, extrema haec esse uerba illius narrationis, quam de casa incensa ac de omni illo Tullianorum hominum facto, infra (§. 54.) breuissime commemorato, caeteroquin ignoto, orator protulerat. Utique non magis erit mirandum, ex *incendio* semustilatum aliquem *effugisse* quam ex *emptione* uel *societate*, et optime conuenit, quod exinde continuo subiicitur narratio eorum, quae Fabius parauerit, quaeque familia eius ui hominibus armatis coactisque per-

petrauerit [14]); quippe haec facta esse, quinetiam post casam illam incensam et rel. facta, inter litigatores conuenit [15]); at illud maxime quaeritur, an aliqua Tullianorum culpa antecesserit, propter quam uiciscendae propellendaeue iniuriae caussa, denique cum excusatione quadam siue adeo ex iusta caussa facta esse uiderentur: tutissimum igitur in re narranda Ciceroni ac paene necessarium fuit, prius incendium illud et similia ad caussae suae utilitatem cum aliqua specie ueri accommodare, sic demum ad ipsum Fabianae familiae facinus, de quo iudicium erat constitutum, accedere. Dubitatio altera

Haec fere habui de orationis argumento quae dicerem.

14) §§. 21. 22., quibus illa, quae in §§. 18—20. (inde a uerbis «*Adducit iste interea in saltum*») habentur, ueluti praefationis loco sunt.

15) §§. 1. 2.

§. 6.

Defensio in partes locosque digesta.

Orationis structura. Orationis propositae, quatenus e laceratis reliquiis intelligi potest, talis fere structura, dispositio ac confirmatio fuisse uidetur:

Prooemii (§§. 1—6.) triplex est argumentum cum perpetua commemoratione prioris actionis; nam primo (§§. 1. 2.) praedicat, difficiliorem sibi quidem defensionem, faciliorem autem recuperatoribus iudicationem fore propterea, quod de ipsa re, qua de agitur, h. e. de atrocissima caede, quam ut testibus planam faceret, sola antea Tullii cura fuisset, prima actione aduersarius confessus sit, eoque, quia infitiari non posset, confugerit, ut quod improbum utique facinus esset, id iure factum esse defenderet [1]).

Secundo (§§. 3—5.) in memoriam reuocat, priore caussae actione se Fabii famae, ut in pecuniaria disceptatione, more suo benigne pepercisse, Quinctium uero

1) Ἀντίθετον, quo orator hoc loco usus est, partim uerbis partim sensu tale fere fuit: Facile est, contra infitiantem dicere patrono bona testium copia instructo, tamen ipsa infitiatio etiam in apertissima re iudicantibus moram quandam ac religionem inilcere solat. E contrario «*quid est fa*«*cilius, quam de eo, qui confi*«*tetur, iudicare? mihi autem* «*difficile est, satis copiose de eo* «*dicere, quod nec atrocius uerbis* «*demonstrari potest, quam re ipsa* «*est, neque apertius mea oratione* «*fieri, quam ipsorum confessione* «*factum est.*» — Similis quaedam prolusio habetur pro Caec. 1, 3. 2.

M. Tullii existimationem uehementer et improbe laesisse; Orationis structura nunc sibi ac patrono suo imputare debere Fabium, si in hac caussae actione inuicem dolori M. Tullii potius et ueritati quam famae suae consulatur.

Tertio (§. 6.) petit a Quinctio, ne, ut antea fecerit, dicendo diem absumat[2]).

Post illud exordium orator quale sit iudicium, quod Metellus Praetor reddiderit, e formula recitat (§. 7.), ac simul communem eius iudicii rationem ac caussas, propter quas aliquot abhinc annis a M. Lucullo Praetore primum sit compositum et Edicto promulgatum, exponit (§§. 8–12.).

Sequitur narratio (§§. 13–22.), in fine manca, tum partitio, quam praeter pauca eaque incerta fragmenta, a Grammaticis tradita, totam amisimus.

Post eam lacunam in confirmationem incidimus, quae ita reliqua septem folia Taurinensia implet (nam neque haec eam partem excedunt, et Ambrosiana adeo citra eam deficiunt), ut ab initio et in fine manca ac tribus praeterea defectibus (incertum quot foliorum) hiulca

2) De huius rei more et instituto uidesis, quae *Huschkius* ad h. §. 6. disputauit, et loca ab eo collecta, imprimis pro Quinctio 9. 10., tum Gellii XVII. 2, modo semoueas c. 39. pro Cluentio, ab omni ea materia alienissimum. — Conf. *Rein* R. Pr. R. p. 475. *Geib* R. Cr. Proc. p. 147. *Walter* R. R. G. §. 695. — Sic de ea re existimo: A maioribus traditum erat, ut uno die caussa peragi, h. e. tam orari quam iudicari, oporteret. Itaque si tempus deficeret siue ad perorandum siue ad iudicandum, haec ampliandi caussa fuit; ampliationem autem propter ipsam illam rationem semper noua eaque plena caussae actio necessario sequebatur. Illud extraordinarium quidem hac Ciceronis aetate fuit, sed iure tamen fieri potuit, ut dicendi tempus a Praetore praestitueretur. Sed de hisce rebus omnibus, ualde caeteroquin controuersis, non huius loci est copiosius disserere.

Orationis structura. existat, adeoque parum sciri possit, utra pars maior sit, ea, qua utimur, an ea, quae interiit.

Confirmatio. E quibus confirmationis confutationisque reliquiis (§§. 24—55. — Sunt, ut accuratius definiam, quatuor fragmenta maiora, tria, e Prisciano, Rufiniano et Quinctiliano acquisita minora) haec argumenta seu locos dignoscere licet.

Locus primus. Primum contra illud Cicero pugnat, quod Quinctius, quum fateretur quidem de hominibus a Fabii familia occisis damnoque ui hominibus armatis coactisque dato, negauit tamen, dolo malo haec commissa esse. Qua de re in hunc fere modum orator noster disserit: Si qua familia ui hominibus armatis coactisue ipsa damnum dedit, non potest dolo malo carere, nam quocunque caeteroquin consilio fuerit, in eo ipso dolus malus inest, quod uim atque homines siue coactos siue armatos adhibuit. Neque quod in formulam additur DOLO MALO, eo ualet, ut in eiusmodi ui, si ipsa familia, cuius nomine agitur, fecerit, recuperatoribus etiam sit insuper quaerendum, dolo malo fecerit an sine dolo malo; sed eo tantum, ut, etiamsi apparuerit, non factam quidem esse illam uim ab ipsa familia, rationem tamen initam, consilium operamque adhibitam, ut ab aliis fieret, nihilominus iudicio dominus teneatur. Quod si tale esset iudicium, QUANTAE PECUNIAE PARET A FAMILIA P. FABII UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNUM M. TULLIO DATUM rel., Fabius ex ipsa confessione sua nullo dubio condemnaretur: iam in eadem confessione quae ratio est eum absolui propterea, quod Praetor etiam aduersus eos, quorum familia damnum non dedisset, sed, ut ab aliis daretur, dolum adhibuisset, actoribus consuluit,

atque ob eam caussam, neque aliam ullam, his potius uerbis, QUANTAE PECUNIAE PARET DOLO MALO FAMILIAE rel. in componenda agendi formula usus est? Confirmatio. Locus primus.

Nec ratione solum, uerum etiam exemplo consistere hanc suam formulae interpretationem, Tullius contendit. Nam quod in possessionum controuersiis Praetores de ui praeter ueterem usitatamque formulam, quae est UNDE TU AUT FAMILIA AUT PROCURATOR TUUS ILLUM AUT FAMILIAM AUT PROCURATOREM ILLIUS . . . UI DEIECISTI rel., nonnumquam ita interdicant: UNDE DOLO MALO TUO ILLE AUT FAMILIA AUT PROCURATOR EIUS UI DETRUSUS EST rel., non eo consilio fieri, ut ei, qui ipse ui deiecit, defensio paretur dolum malum neganti, qui in ui utique semper inest, sed ut ille quoque teneatur, qui ipse quidem non deiecerit, sed ut ab alio actor ui deiiceretur, consilium inierit [3]).

Caeterum orator, priusquam primum hunc defensionis suae locum relinquat, refellere studet ea quae pro Fabio Quinctius in priore caussae actione contra disputauerat. Quorum omnium tamen inter huius orationis reliquias unum tantum nobis seruatum est, illud uidelicet, quod Cicero prae se fert, Quinctium iniecisse, *nihil posse dolo malo familiae fieri.* Nec difficile hercle fuit, tale argumentum refellere. Nimirum si nihil potest dolo malo familiae fieri, sit tamen iudicium, sicut est, ita conceptum ac circumscriptum, ut praeterquam si

3) De diuersis illis formulis interdicti de ui, de ratione, quam in componendis illis Praetores secuti esse uidentur, quinatiam de simili ista doli mali commemoratione eiusque ui ac potestate supra in Caecinae caussa disputauimus, hh. Sem. Lib. II. Cap. 1. §. 2. pag. 301. seqq.

Confirmatio. Locus primus

dolo malo familiae aliquid factum sit, neque uincere neque condemnari eo iudicio quisquam possit: non illud solum efficietur, nunc male egisse M. Tullium cum Q. Fabio, immo omne illud iudicium, sicut est a M. Lucullo compositum, a caeteris deinceps Praetoribus conseruatum multisque actoribus accommodatum, uanum ineptumque esse, nemini timendum, omnibus inutile. Quod quum nimium sane sit et intolerandum, ipso suo pondere argumentum istud corruat necesse est.

Sed haec omitto. De illo postea nobis uidendum erit, ne forte sensu quodam prorsus diuerso neque adeo absurde Quinctius, quid possit, quid non possit dolo malo familiae fieri, quaesiuerit ac distinxerit, tum quae praeterea contra primum illum Tullianae defensionis locum siue disputauerit siue tamen potuerit disputare; denique an adeo seiuncta ac separata a primo hoc loco ea fuerint, quae postea Cicero refert Quinctium protulisse. Nam illud neminem fugere debet, oratorem nostrum expositis formulae uerbis firmataque, sicut e re esse uidebatur, *doli mali*, quem continent, ui ac potestate (§§. 24—34.) statim (§. 35.) ad ea transire, quibus aduersarius hanc interpretationem oppugnauerat, atque in iis, utcunque leuibus, refutandis aliquantum operae consumere; tum uero quasi caussa iam perorata subsistere, atque reliqua aduersarii praesidia omnia non a superioribus modo separare, sed etiam extra omne hoc iudicium caussamque ablegare. Caussa Tullii, talis fere, puto, hoc loco fuit Ciceronis oratio, tota continetur Praetoris formula, re gesta, aduersarii confessione: de his quum satis dictum sit, reliqua in uestra fide ac religione, non in defensione nostra posita esse, ego

intelligo; et tamen dicendum est ad ea, quae dixit Quinctius; non quo ad rem pertineat, sed ne quid, quia a me praetermissum est, pro concesso putetur[4]). Confirmatio Locus primus.

Qua ratione ductus orator alterum confirmationis locum in eo constituit, ut redarguat, quod aduersarius dixerit oportere quaeri, homines M. Tullii iniuria occisi essent necne. Locus alter.

Negat, eam rem in hoc iudicium uenire, tam ratione quam Praetoris, quinetiam tribunorum plebis, decreto. Certe Quinctium a Praetore postulasse, ut ad *damnum* INIURIA in formulam adderet, quo, si planum facere posset, non esse iniuria M. Tullio damnum datum, sibi potestas fieret. Sed hoc istum non impetrasse, quum Praetor eiusmodi defensionem improbaret, Tribuni quoque auxilium denegarent petenti[5]). Illorum omnium hanc orationem fuisse, quod ui hominibus armatis coactisue familia fecisse diceretur, id tametsi nullo iure fieri potuerit, tamen se nihil addituros. Primum igitur M. Tullium iure suo illud nunc postulare, ut decreto Praetoris, quo litem, qua est potestate praeditus, ordinauerit iudicioque quasi legem constituerit, obtempere-

4) Conf. h. or. §. 37. — Partim similis dicendi figura in re, caussa, ratione admodum diuersa habetur pro Q. Roscio c. 5. «Hic ego si finem faciam dicendi, satis fidei et diligentiae meae, satis caussae et controuersiae, satis formulae et sponsioni, satis etiam iudici fecisse uidear, cur secundum Roscium iudicari debeat. Illa superior fuit oratio necessaria, haec erit uoluntaria: illa ad iudicem, haec ad C. Pisonem: illa pro reo, haec pro Roscio: illa uictoriae, haec bonae existimationis caussa comparata.»

5) De eiusmodi Tribunorum plebis appellatione et intercessione, quinetiam de ipso hoc auxilio, quod pro P. Fabio L. Quinctius aduersus M. Tullii formulam petiit, uidesis, quae supra in caussa P. Quinctii disputauimus h. Sem. Lib. 1. Cap. 1. §. 8. pag. 139. seqq., tum 144. seqq.

Confirmatio. Locus alter. tur; quod si fiat, non posse neque a defensoribus disceptari, iure an iniuria a P. Fabii familia commissa ista ac perpetrata sint, neque a recuperatoribus quaeri. Quinetiam recte ac sapienter ita esse decretum. Nam talem esse huius iudicii indolem et rationem, ut de damno, quod datum sit, non adeo quaeratur, quam de modo et actu, quo sit datum. Ubi nihil, inquit, agitur nisi damnum alteri ab altero datum, sicut est in legis Aquiliae actione, ibi Praetores, quoniam tam iure quam iniuria damnum dari potest, in iudicii formulam addunt exceptionem INIURIA, qua, qui iure suo damnum dederit, aduersus actorem se tueri possit. At ubi de ui et de hominibus armatis agitur, sicut in hoc iudicii genere, quo Tullius cum Fabio consistit, usu uenit, ubi aedificiorum expugnationes, agri uastationes, hominum trucidationes, incendia, rapinas, sanguinem intelligunt non solum propter damnum reique priuatae detrimentum, sed etiam propter reipublicae salutem seuerum iudicium postulare: ibi sane non est mirandum, satis habuisse eos, qui hoc iudicium dederunt, id quaeri, utrum haec tam atrocia facta essent necne; non utrum iure facta an iniuria; cum primo nollent eos, qui armis quam iure agere maluissent, de iure et iniuria disputare, tum uererentur aut ipsi iudicare, posse homines seruos iure arma capere et manum cogere, aut recuperatoribus eiusmodi scrupulum inilcere, aut scutum tamen, utcunque inhabile, in iudicio iis dare, quos propter haec arma in iudicium uocauissent. Ad extremum similitudinem orator demonstrat noui illius interdicti, quo in eadem maleficii forma, quae ui hominibus coactis armatisue committitur, ad possessiones recuperandas deiectis ita maxime con-

sulatur, ut, quam uetus illud et quotidianum interdictum de ui habet exceptionem *Cum ille possideret, quod nec ui nec clam nec precario ab aduersario possideret,* ea omittatur [6]), eoque consilio defensio tollatur admodum similis ei, quae in proposito hoc iudicio, si ad damnum INIURIA adderetur, reo pararetur: ex quo satis apparere, Praetores, quum per hos annos noua haec et quasi gemina agendi genera constituerent, non illud egisse, ut quando ui et armis siue possessiones expugnatae, siue damna data essent, apud iudicem quaereretur, eorum, qui eiusmodi aliquid passi essent, iustae an iniustae antea possessiones fuissent, aut damna iure an iniuria accepta; sed ut, quaecunque improbis eiusmodi facinoribus admissa essent, seuero maturoque recuperatorum iudicio, spe defensionis nulla relicta, restituerentur, sarcirentur, plecterentur. Confirmatio. Locus alter.

Quid ad haec Quinctius?

Nempe unum idque satis certum (ac praeterea nihil, ut puto) habuit, quod reponeret, uidelicet iniuriam dolo malo contineri, nec posse, cui de dolo malo dicere, defendere, quaerere liceat, de iniuria non licere: nam iniuria quidem damnum dari posse sine dolo malo, sicut in legis Aquiliae iure, quo praeter dolum etiam culpa uno iniuriae uerbo comprehendatur, manifestissime appareat; contra dolo malo damnum dari nullo modo posse, quin iniuria detur: at iudicium hoc, quod agitur, conceptum esse in damnum dolo malo familiae P. Fabii datum. Ergo ad rem pertineat, iure an iniuria

6) De illorum interdictorum ratione et formulis, et quae de hisce similis fuerit disceptatio, uide supra ad A. Caecinae caussam, h. Sem. Lib. II. Cap. 1. §. 3. p. 326. seqq.

Confirmatio. Locus alter. datum sit, necesse esse; nam si iure M. Tullio damnum datum sit, non posse dolo malo familiae P. Fabii esse datum. Nescio, num forte etiam adiecerit Quinctius, hanc ipsam caussam fuisse, cur diserta iniuriae mentio in iudicii formula a Praetore caeterisque sibi non concederetur.

Qualis si reapse hac parte Quinctii sermo fuerit, neque alium, ut antea dixi, mihi effingere possum; manifestum sane est, totum hunc defensionis locum ad priorem illum, ubi de sententia uerborum *dolo malo familiae* quaerebatur, recurrere, adeoque ab illo suspensum teneri, ut secundum utrum illic sententiam dederis, eum hic quoque uincere oporteat. Nimirum si ex formulae sententia, quod ui hominibus armatis coactisue damnum ab ipsa familia sit datum, ita demum in hoc iudicium ueniat, si etiam dolo familiae datum sit; tunc merito Quinctius postulat, ut praeter rem gestam de dolo, tum propter dolum etiam de iure et iniuria audiatur: ex aduerso, si uerum est, quod Cicero defendit, hoc iudicio contineri primo omne damnum ui hominibus armatis coactisue ab ipsa familia datum, tum praeterea, quodcunque non a familia quidem sed ab aliis ita datum sit, rationem tamen ineunte familia et instigante, h. e. dolo malo familiae: tunc sane si quid ipsa familia damni ita dederit, nihil attinet siue de dolo siue de iure et iniuria quaerere.

Nobis autem iam satis est, intimam hanc affinitatem, qua alter defensionis Tullianae locus cum priore coniungitur, demonstrasse; nam quantum re et ueritate ad uniuersum caussae ius uterque ualuerit, nonnisi coniunctim

explorari posse perspicuum est. Qua de re inferius ex proposito[7]) tractabimus. Confirmatio. Locus alter.

Tertius defensionis locus ille est, quo orator docet, etiamsi in damno ui hominibus armatis coactisue a familia dato quaeri liceret, iure an iniuria datum esset, tamen frustra Quinctium elaborasse, ut aliquid planum faceret, quo Tullium eiusmodi damnum iure passum esse cuiquam persuaderi posset. Locus tertius.

Nam quod primum legem de XII Tabulis recitauerit, qua liceat furem noctu occidere, quinetiam luce, si telo se defendat, tum de legibus sacratis illam, quae iubeat impune occidi eum, qui Tribunum plebis pulsauerit; id sane ad hoc iudicium non pertinere, quia nemo dicat, seruos M. Tullii aliquem Tribunum plebis pulsauisse aut furatum domum P. Fabii uenisse. Sin autem propterea illas leges aduersarius recitauerit (nam anterius istud cauillandi magis quam arguendi caussa se obiecisse, Cicero uix ipse dissimulat), ut doceret, non uisum esse maioribus tam indignum facinus hominem occidi; adeo nihil eum egisse, ut etiam magis inde appareat, quam noluerint, nisi cum pernecesse esset, hominem occidi, quam certis legibus hanc necessitatem definiuerint ac circumscripserint, nec nisi iure constituto posse quemquam impune occidi censuerint; quippe qui adeo si quis quem imprudens occidisset, huiusce rei ueniam non dederint, sed poenam ac piaculum statuerint.

7) Vide quae supra praefati sumus h. §pho p. 620. — Qua parte si quam modo demonstraui affinitatem inter ea, quae de *dolo malo* et quae de *iniuria* Quinctius disputauit, cum intenta illa Ciceronis cura, ut alterum ab altero disiungeret, conferas, fortasse tibi in mentem ueniet, quae alio loco (h. Sem. Lib. II. pag. 416.) de hoc artificii genere, a Nostri moribus haud alieno, significaui.

Confirmatio Locus tertius.

Alterum, quod orator hoc loco refutandum sibi proposuit, aduersarii argumentum, quoad per Codicis lacunas legere licet, tale fuisse uidetur, ut aedificium illud cum tota centuria Populiana, ubi situm esset, Fabii fuisse diceret, propterea autem quo iure ii essent, qui in alieno deprehenderentur, eo iure caesos Tullii seruos censendos esse contenderet.

Qua parte statim hercle praesto est orator noster, qui clamet, inauditum esse hoc tale ius, quo impune occidere liceret, quem quis in suo deprehendisset. Arguit a minori, tali fere modo: Non potuisti tectum, quod in tuo aedificatum haberet Tullius et suum esse defenderet, eo insciente aut per uim demoliri uel disturbare, nisi ut interdicto *Quod ui aut clam* exploratissimo iure te alligares [8]): quod quum ita sit, iam ipse, inquit, sta-

8) De hoc iure adhibenda sunt, quae in L 1. Quod ui aut clam, ex *Ulpiani* libro 71. ad Edictum, extant: »Praetor ait: *Quod ui aut clam factum est, qua de re agitur, id, cum experiendi potestas est, restituas.*« §. 1. Hoc interdictum restitutorium est, et per hoc occursum est calliditati eorum, qui ui aut clam quaedam moliuntur: iubentur enim ea restituere. §. 2. Et parui refert, utrum ius habuerit faciendi an non: tamen tenetur interdicto propter quod ui aut clam fecit; tueri enim ius suum debuit, non iniuriam comminisci. §. 3. Denique est quaesitum, an hoc interdicto utenti exceptionem possit obiicere, *Quod non iure meo receperim*; et magis est, ne possit: nam aduersus uim uel quod clam factum est, nulla iusta exceptione se tueri potest. — Quibus cognitis, noli tamen, quaeso, praeterire, quae supra h. Sem. Lib. II. Cap. 1. §. 3. pag. 329. in nota 7. cum monuimus tum ex eodem Digestorum titulo allatis L. 7. §. 3. et L. fi. §. 2. confirmauimus. Ac prioris quidem fragmenti uerba ibi recitauimus; in hac autem L. fi. §. 2., ex *Venuleii* libro 2. Interdictorum, habentur haecce: »Si ad ianuam meam tabulas fixeris, et ego eas prius, quam tibi denunciarem, refixero; deinde inuicem interdicto Quod ui aut clam exegerimus: nisi remittas mihi, *aut* (nullo dubio legendum: ut) absoluar, condemnandum te, quasi rem non restituas,

tue, quam uerum sit, cum paucas tegulas deiicere familia tua non potuerit, maximam caedem sine fraude facere potuisse! Caeterum Tullii, non Fabii esse cum tota illa centuria Populiana solum, in quo aedificium hoc situm fuisset, et hoc loco demonstrat[9]), et superius in narratione contenderat[10]), denique uberiori, ut uidetur, oratione (quam in lacuna desideramus) modo confirmauerat[11]).

Confirmatio Locus tertius.

Tertium est, quod Cicero refert, Fabium iniecisse, seruum quendam suum, quum nouissime cum seruis M. Tullii uisus esset, non rediisse, quinetiam aliquam casam suam ab his incensam esse; ad quae bifariam, sicut antea fere, Cicero respondet, ueritate falsa esse, idque iam antea se ostendisse, ratione autem plane futilia,

quanti mea intersit: aut exceptionem mihi profuturam, *Si non ui nec clam nec precario feceris.*«

9) Conf. h. or. §. 53. ». . . aedificium . . ., quod esset, quemadmodum tu uis, in tuo« rel.

10) Ibid. § 10. »Est in eo agro centuria, quae Populiana nominatur, quae semper M. Tullii fuit, quam etiam pater pos*sederat*. . . . §. 17. Illis absentibus fines Acerronio (Fabius) demonstrauit, neque tamen hanc centuriam Populianam uacuam tradidit. ... §. 19. ... cum ambularet in agro, animaduertit in hac ipsa centuria Populiana aedificium non ita magnum seruumque M. Tullii Philinum ... §. 21. ... ad illud aedificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, serui P. Fabii . . . ueniunt«, rel. Videsis etiam h. supra in Argumento pag. 605. seqq.

11) Vide h. or. §. 53., initio mutilam: »tamen uerum factum esset ..., tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo seruos M. Tullii occidere non potuisti« rel. Ubi uerissime *Huschkius* inter alia haec adnotat: »Neminem autem fugit, Quinctium ita quoque se defendisse, ut centuriam Populianam Fabii fuisse diceret, et inde concluderet, quidquid in suo Fabius, eiusue iussu familia ipsius, fecisset, iure factum uideri oportere. Quae quidem argumenta Cicero sic refellerat, *primum ut centuriam illam Fabii fuisse negaret*, . . . deinde, ut etiamsi Fabii fuisset, tamen« rel.

Confirmatio. Locus tertius neque ad caussam quicquam ualere. Nam ut reapse quidam ex M. Tullii familia hominem illum antea aliquando occidissent, aut casam illam incendissent, uix iustam hanc caussam fuisse, ut iam grauius expostularetur aut corium peteretur, nedum ut familia concideretur: ad summum usitato iure, noxali legis Aquiliae iudicio, experiundum Fabio, damnumque, quod passus esset, persequendum fuisse.[12])

Quarto et postremo Noster aduersario exprobrat, quod uel eo confugerit, ut diceret, oppugnatum sese M. Tullii seruos ultro uenturos fuisse, adeoque coniectura magis et quasi diuinatione quam certa non modo defensione sed etiam oratione in caussa perdita uteretur. Illius uero propositi neque consilium neque caussam neque utilitatem reperiri posse neque uestigium ullum adesse. Denique ut maxime Fabius metuerit, ne oppugnaretur, neminem umquam statuisse nec concedi cuiquam posse, ut cum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur[13]).

Atque haec quidem ab oratore nostro de tertio illo aduersarii loco, quo damnum iure Tullium passum esse defenderat, disputata sunt. Quae si probe consideremus, nonne fatendum erit, uerissima esse atque aptissima, quibus quatuor illa Quinctii argumenta infirmarentur singula et plane diluerentur? Ecquid in unoquoque reliquum fuit Quinctio, in quo non modo consisteret, sed omnino repugnaret?

Aduersarii defensio. Audio fateorque. Nec tamen in animum mihi inducere possum, Fabii defensorem in caussa siue iusta siue

12) h. or. §. 54. 13) ibid. §. 55.

iniusta plane delirauisse. Memini me legere, in eiusmodi disceptationibus aliquando quae singula forte parum quemquam moueant, uniuersa certe inter se connexa atque coniuncta aliquantum ualere. Quam ob ipsam rem quibus contra disputandum est, quid est usitatius, quam ut, caussae magis quam ueritati consulentes, coniunctissima diuellant, atque, ueluti fascibus frangendi caussa dissolutis, disiecta argumentationis membra facili negotio conficiant, quibus uniuersis, aptis inter se et cohaerentibus, uix resistere se posse intelligant. Quid quod oratorem nostrum in ipso hoc stratagemate alio loco [14]) deprehendimus? Aduersarii defensio

Ne multa. Sic existimo, Ciceronem, quo usus est arguendi consilio, ut nullo iure damnum Tullio datum esse doceret, in medio hoc artificii genere uersatum esse. Quinetiam eo me uestigia ducunt, ut uerear (sicut superius indicaui [15]), ne in anterioribus quoque orationis partibus, ubi de doli intellectu atque de iniuria (in iudicium haec ueniret necne) agebatur, callidius ille aduersarii defensionem quam uerius repraesentauerit.

Quid ergo est? Audiamus Quinctium, qui, nisi tota res me fallit, in defendenda Fabii caussa tali fere consilio et ratione usus est [16]):

14) h. Sem. Lib. II. pag. 416.

15) h. in nota 7.

16) Audax negotium ac paene temerarium aliquis dixerit, e miseris Tullianae defensionis reliquiis etiam aduersarii orationem extricare uelle adeoque certa quadam imagine repraesentare. Sed neminem praeterire debet, plerasque scribi orationes, ut ipse auctor noster tradit (in *Bruto* 24. et saepe alias, conf. *Ellendt.* in Prolegom. ad Brutum, ubi addesis *Ascon.* ad Milon. p. 42. ap. Orell.), habitas iam, non ut habeantur, denique hanc quoque Tullii defensionem ab oratore ad libri modum exaratam atque in publicum editam fuisse. Qua in re necessaria debuit scriptori cura esse,

Aduersarii defensio

Agitur cum P. Fabio (sic fere dixit Quinctius aut potuit tamen dicere), *Quantae pecuniae pareat dolo malo familiae eius M Tullio ui hominibus armatis coactisue damnum datum esse.*

Iam fatetur Fabius, a familia sua damnum Tullio esse datum, fatetur ui hominibus armatis, quinetiam consulto[17]*: at dolo malo familiae datum esse, hoc uero pernegat, eaque defensione actionem uestram ego a Fabio depello.*

Tu quidem contendis, non posse dolum malum abesse, ubi ipsa familia ui hominibus armatis coactisue damnum dederit, tum doli mali mentionem nonnisi actoris caussa in iudicium additam esse, quo magis etiam ea, quae non ab ipsa quidem familia, sed consilio tamen et opera, h. e. dolo malo, familiae ab aliis ex isto genere facta essent, includerentur[18]*).*

Quorum utrumque falsum esse arbitror nec difficile ad refutandum.

Ac primo parum uidetur ipsis formulae uerbis conueniens esse ista interpretatio tua. Nam quum omne damnum, quod ui hominibus armatis coactisue datur, nullo discrimine, ab ipsa familia an ab aliis detur, amplectantur, simul autem dolo malo familiae *datum esse, diserte requirant, haud ambigue sane*

ut orationis libellus a legentibus intelligeretur; id autem assequi non potuit, nisi primaria aduersarii argumenta, utcunque dispersa, lacerata, debilitata, orationi suae intexeret, eaque ratione nobis quoque ad propositum auxiliaretur. Caeteroquin ex aliqua parte tantopera curamus, quid potuerit aduersarius dicere ac quid dixerit; et in explananda eiusmodi caussa aliquando res ita fert, ut ficta oratione magis quam iusta disputatione proficiamus.

17) Conf. h. or. §. 24. sq. et §. 34.

18) Vide h. sup. pag. 618. sq.

demonstrant, in utroque genere (siue familia siue alii fecerint) aut dolo aut sine dolo familiae eiusmodi damnum dari posse [19]. Aduersarii defensio

Sed mittamus uerba, rationem sequamur. Tune putas, siue Lucullum, siue Metellum, quorum ille primus composuit hoc iudicium, hic Tullio aduersus Fabium postulanti accommodauit, siue alium Praetorem aut Iurisconsultum adeo coecum fuisse futurumue esse, ut, quemadmodum tu uis, urminem umquam hoc iudicio absolui posse, neque ullam omnino defensionem aduersus quadrupli actionem relinquendam ei esse statuat, cuius familia ui hominibus armatis coactisue alicui damnum dedisset?

Est hominum animis insitum et ueluti natura comparatum, uim ui repellere, arma armis licere [20].

19) Conf. L.3.pr. De sepul. uiol. (*Ulpianus* lib. 25. ad Ed. Praet.) Praetor ait: Cuius dolo malo sepulcbrum uiolatum esse dicetur, in eum in factum iudicium dabo, rel. §. 1. *ibid.* Prima uerba ostendunt, eum demum ex hoc plecti, qui dolo malo uiolauit: si igitur dolus absit, cessabit eiusdem personae. Igitur doli non capaces, ut impuberes, item omnes, qui non animo uiolandi accedunt, excusati sunt.

20) Conf. L. 45. §. 4. Ad leg. Aquil. *(Paullus)* »... Vim enim ui defendere omnes leges omniaque iura permittunt«, rel. L. 1. § 27. De ui. *(Ulpianus)* »Vim ui repellere licere, Cassius scribit: idque ius natura comparatur. Apparet autem (inquit) ex eo, arma armis repellere licere.« L. 3. De I. et I. *(Florentinus)* »Ut uim atque iniuriam propulsemus: nam iure hoc euenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur: et cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.« L. 4. Ad leg. Aquil. *(Gaius)* »itaque si seruum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero: nam aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Conf. etiam loca sup. L. II. Cap. 1. §. 2. not. 41. pag. 315. sq. laud. — Quibus tamen omnibus longe anteponenda, quae in *Miloniana* 4, 10. legimus: »Est enim haec, iudices,

Aduersarii defensio

Hoc ius, a maioribus quoque traditum[21]*, callida ista tua formulae interpretatione funditus euertitur. Nondum de Fabii caussa disputo, nondum de iure ac necessitate illorum armorum nostrorum loquor; tantum de nouo isto iure, M. Tulli, queror, quod statuis, nemini umquam impune armis uti licere. Quod si ita est, quaero, si in fundum tuum te absente aliquis, a nemine lacessitus, cum manu armatorum hodie possidendi, rapiendi, nocendi caussa irrumpat, tum uillicus tuus cum familia arma capiat, proelium committat, aggressosque ita repellat, ut ex iis aliquot uulnerentur, caedantur; an tu hoc iudicio, quod est de ui hominibus armatis coactisue, scuto, uti dicis, nullo relicto, constitutum, propter eiusmodi damnum in quadruplum tenearis? Quid enim? Si quis ita tecum agat, nonne clamabis, iustam caedis caussam tuis fuisse, dolum malum abesse, etiam in ui hominibusque armatis non de omni damno, sed de eo solum, quod dolo malo datum sit, iudicium consistere? Quod si me consentiente omnibus tam doctis quam indoctis facili negotio probaturus est, fatearis tamen necesse est, ne in eiusmodi quidem damno omnem omnino excludi defensionem, quinetiam aliquando contingere, ut, quod de dolo malo in hoc iudicium addi*

non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus: ut, si uita nostra in aliquas insidias, si in uim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis.«

21) *Cic.* ib. 2, 6. »Obsecrabo uos, iudices, si caetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque uitam ut impune liceat defendere.«

solet, pro eo quicum agitur, non pro actore ualeat. Aduersarii defensio

Tu ad originem huius iudicii nos reuocasti atque ad rationem, quam M. Lucullus olim in componendo eo secutus esset. Malam hominum illam consuetudinem nimiamque licentiam, ex bello diuturno ac domestico natam, demonstrauisti, familias armatas, caedes creberrimas nullaque religione commissas. Docuisti, non adeo de damno, quod alicui daretur, sollicitos fuisse Praetores, quam de modo et actu, quo daretur, de ui et armis uidelicet, quae ut seuero maturoque iudicio coercerent et comprimerent, multo magis illos spectasse quam ut damni sarciendi nouam rationem inirent.

Quae ut concedam esse ueritate certa omnia atque ad augendam huius iudicii seueritatem idonea, tamen uel ipsa nos hortantur modum obseruare. Quid ergo est? Magnam certe utilitatem habet, a ui et armis deterrere homines atque ad iuris potius disceptationem traducere: at qui ui et armis ab aduersario ultro petitur, si eum quoque iudicii metu impedias, quin ob sui suaeque rei defensionem etiam ipse ui et armis utatur; tum non metu comprimis audaciam, immo praemio ornas, quum inermem aggredienti aduersarium tradis, facinorisque fructum citra periculi discrimen constituis [22]*.*

At enim ubi ui hominibus coactis armatisue alter

22) Haud procul ab hoc argumento distant, quae Cicero loco modo (not. 20.) laudato pergit dicere: » Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, quum ei, qui exspectare nelit, ante iniusta poena luenda sit quam iusta repetenda.«

Aduersarii defensio *alterum de fundo deiecerit, ita interdici solet, ut detracta communi illa usitataque exceptione* Quod nec ui nec clam nec precario actor ab altero possederit, *omni modo is quicum agitur restituere iubeatur*[23]). *Certe simillimum et quasi geminum eius iudicii, quo nos consistimus, illud interdictum est, siue caussas, siue originem, siue utilitatem spectemus*[24]). *Videas tamen, quaeso, ne in mea caussa meisque praesidiis cum hoc argumento tuo uerseris. Nam in ipso illo interdicto, quod tamquam seuerissimum, ut est, mihi obiecisti, solet tamen postulante eo, quicum agitur, id ipsum* Quod tu prior hominibus armatis non ueneris, *a Praetoribus excipi*[25]). *Do tibi atque ultro concedo, malum facinus esse, si quis odii lucriue caussa siue ob alias cupiditates armis quempiam petat, quinetiam iuris obtinendi caussa qui ui et armis egerit, quum iure iudicioque experiundi copia esset, difficilem habere excusationem: at illud mihi uideor tam ratione quam exemplis docuisse, esse tamen magnas quasdam iustasque caussas, propter quas etiam ui et armis alterum alteri nocere, quo iure utimur, nullo dubio liceat.*

Quae cum ita sint, non potuit hercle M. Lucullus Praetor, quem summa aequitate et sapientia ius dixisse uere praedicas, in componendo hoc iudicio id agere, ut, si quae familia ui hominibus armatis coactisue alicui damnum dedisset, de eo dominus omni

23) Vide supra Lib. II. Cap. 1. §. 3. pag. 324. seqq.

24) Vide sup. h. Lib. III. Cap. 1. §. 3. pag. 577. et 593.

25) De hac exceptione supra disputatum est, h. Sem. Lib. II. Cap. 1. §. 3. pag. 329. seqq.

modo exclusaque omni defensione in quadruplum tene-retur. Debuit in iudicium suum eius caussa quicum agitur aliquid addere, quo eiusmodi caussae, si quando adesset, probandae illi copia daretur. Atqui addidisse eum uidemus uerba illa DOLO MALO, *quibus, dummodo plane et sine captione intelligantur, amplissime ei rei consuluit, quum omnes sciant, quod ex iusta caussa fit, id dolo malo factum esse nullo iudice iudicari posse.* Aduersarii defensio.

Ergo quum scripsit Praetor quae certissima ratione debuit scribere, quae tandem ratio est credere, ea mente eum scripsisse, ut hanc ipsam rationem prorsus negligeret adeoque repudiaret?

Tu putas, actoris caussa illud de dolo malo in formula esse adiectum: certe posteaquam docui, inesse aliquando defensionem iustam eique quicum agitur perquam necessariam, possim illud tibi concedere, quum praesertim eiusmodi actoris utilitas a proposita caussa alienissima sit. Caeteroquin nihil repugno, eadem formulae uerba modo actionem modo defensionem adiuuare posse. Quid autem si ostendam, nullam esse siue tamen perexiguam istam, quam demonstras, actoris utilitatem, neque omnino operae pretium fuisse propter eam doli mali in formula mentionem inserere?

Nolo in eo commorari, ut latius exponam, cuius consilio et opera effectum sit, ut alii damnum culpam darent, aut qui, quemadmodum dixisti, adeo homines siue seruos siue liberos ad hoc coegerit uel conduxerit, eum propter illum dolum ipsum uideri damnum dedisse, ac propterea quouis iudicio teneri,

Aduersarii defensio.

quod diserta nulla doli mali mentione in eum tantum, qui damnum dedisset, conceptum esset: itaque caussam nullam fuisse, cur Praetores propter eiusmodi dolum familiae disertam doli mali mentionem in formulam adderent [26]).

At illud quaero, quomodo tandem dolo malo familiae fieri possit, ut ab aliis ui hominibus coactis

26) L. 169. pr. De R. I. (*Paulus*) »Is damnum dat, qui iubet dare«, rel. L. 152. §. 1. end. (*Ulpianus*) »Deiicit et qui mandat.« L. 15. §. 8. De iniuriis. (*Ulpianus*) »Fecisse conuicium non tantum is uidetur, qui uociferatus est, uerum is quoque, qui concitauit ad uociferationem alios, uel qui summisit, ut uociferentur.« — L. 3. §. 10. De ui. (*Ulpianus*) »Cum procurator armatus uenit, et ipse dominus armis deiecisse uidetur, siue mandauit, siue (ut Iulianus ait) ratum habuit. §. 11. *ibid.* Hoc et in familia dicendum est: nam cum familia sine me armata uenit, ego non uideor uenisse, sed familia, nisi iussi uel ratum habui. §. 12. *ibid.* Hoc interdictum etiam aduersus eum proponitur, qui dolo malo fecit, quo quis armis deiiceretur«, rel. L. 1. §. 1. De eo p. quem fa. er. (*Ulpianus*) »Fecisse autem dolo malo non tantum is putatur, qui suis manibus uel per suos retinuerit; uerum qui alios quoque rogauit, ut eum detinerent uel abducerent, ne iudicio sistat; siue scientes siue ignorantes, quid esset, quod comminiscere-tur.« — Ne plura. Quae Quinctio oranti hoc loco tribuimus, ea uerissime *Huschkius* ad §. 27. h. or. (vs. »Nemo enim potest haec iudicare, qua in re familia non interfuisset, in ea re eam ipsam familiam ui armatis hominibus damnum dedisse«) allatis modo dictis aliisque testimoniis statuit et naturali et ciuili rationi consentanea esse. Quinctiam in eo ualde Huschkio assentior, quod existimat, non id, quod Cicero dicit, in caussa fuisse, ut praetores eo, quo factum est, modo edicerent, (»uereor, inquit, ne quod hic asserit, magis caussae quam ueritati inseruiuerit«), sed ut demonstrarent, non omne omnino damnum, et ne omne quidem iniuria datum, sed id solum, quod dolo malo factum esset, acri iudicio se uindicaturos esse, ideo eos dolum malum huic edicto inseruisse. Verumtamen cum dubitatione aliqua neque tanquam primarium Quinctio subministraui illud argumentum, quippe quod, si recte se habent, quae superius, h. Sem. Lib. II. pag. 311. seq. 387. seq., de formulis cum concipiendis

armatisue homines caedantur aliudue damnum detur [27]). *Mala consilia ab uno paucisue oriuntur. Hi fere solent alios secum ad caedem seu quoduis maleficii genus trahere. Itaque saepe accidit, ut paucorum consilio et opera uniuersa quaedam familia, tam seruorum quam mercenariorum, arma capiat atque in caedes, uastationes, rapinas, incendia, denique in pessima quaeque facinora, prorumpat. Huic malo M. Lucullus caeterique Praetores hocce iudicio suo consuluerunt. Sed quis umquam fando audiuit, uniuersam aliquam familiam collatis consiliis de caede facienda damnoue dando ita coniurauisse, ut alios quidem homines, extraneos et alienos, ad nocendum impelleret, ipsa uero in perpetrando flagitio non interesset. Profecto quod tali modo ui hominibus armatis coactisue damnum culpam* dolo malo familiae *alicuius datum sit, exemplum nullum inuenies. Non possunt igitur eiusmodi caussae figuram in mente habuisse Praetores, quum de dolo malo uerba illa in formulam insererent, nec potest horum uerborum ista interpretatio tua uera esse* [28]). *Sed ut eueniat*

Aduersarii defensio

tum interpretandis, atque de eius artis principiis et progressione exposuimus, hac caussae Tullianae tempestate nouum fortasse et quasi praematurum fuerit.

27) Ecce locus ille in Quinctii defensione, quem tantopere Cicero, sicut supra pag. 619. retulimus, exagitauit, atque, ut ad absurdum perduceret, elaborauit in h. or. §. 35. 36. Qua parte quemadmodum arguerit Quinctius, diuersas confestim coniecturas proponemus, ut, dum meliorem capias, tua sit optio.

28) *Huschkius* ad h. or°. d. §. 35. talem illius argumenti speciem repraesentauit: »Familiae enim, inquit, appellatione (Quinctius) dicebat, non singulos homines, sed corpus quoddam hominum demonstrari, quod ipsum corpus, cum affectu careat, non magis posse dolo malo facere,

Aduersarii defensio.

semel aliquando rarissimum illud, quod tu finxisti, tritum hercle est, et iam a Theophrasto traditum, iura in his, quae ἐπὶ τὸ πλεῖστον, non quae ἐκ παραλόγου accidunt, constitui solere; τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται[29]).

Antea dixi, etiamsi fortasse, quemadmodum tu uis, pro actore illa doli mali uox in hoc iudicio ua-

quam omnes uniuersitates.« Qua de re V. D., etiam Nostratium considerata disceptatione, ut pauca exhibeam, ita fere disserit: »Populi, municipum, curiae, ciuitatis, collegii et similium appellationum duplex est significatio, iuris altera, altera facti. Si ius intuemur e. g. in ciuitate, fieri non potest, ut ipsa ciuitas delinquat; nam cum ciuitas iuris caussa constituta sit, ubi ii, qui iuris tuendi gratia colere, iniuriam fecerunt, id, quod fecerunt, ciuitas fecisse dici non potest; alioqui iuris uocabulum iniuriae mancipearetur. Sed si factum spectamus, saepissime tam uniuersitates delinquere quam singulos homines uidemus, neque id mirum, cum hominum uniuersitates et ipsae sint homines communis rei caussa sociati, et tam communis quam priuatae utilitatis caussa peccari possit. Hinc iniusta bella, metus a collegiis illati, iniqua decreta, iudicia, leges. At uero quando ius, quando factum spectabimus? Respondeo, ius in iure ciuili, factum in iure gentium.. Praeterea quoties in iure ciuili solum factum demonstratur, quod fit exempli caussa in omnibus praetorum edictis, quibus in factum actiones constitutae sunt, etiam legio aut ciuitas aut collegium dolo malo facere dici poterit, utputa si curia aliquem metu coegerit. Tunc enim non curia quidem, sed singuli ... quod metus caussa actione tenebuntur; sed tamen uerum est, metum illatum et praetoris edictum commissum esse. (L. 9. §. 1. Quod met. ca.) Iam igitur quid dicemus de familiis delinquentibus? Etiam hae naturaliter delinquere possunt, ut omnes uniuersitates, et cum praetoris edictum specialiter de damno, quod dolo familiaa fiat, scriptum sit, etiam actio eo nomine erit. Quod eo magis dubitari nequit, quoniam familiae appellatione in huiuscemodi edictis ne significetur quidem quaedam iuris caussa constituta uniuersitas, sed omnes alicuius domini serui, L. 195. §. 3. De V. S. Apparet igitur, calumniosum fuisse hoc Quinctii argumentum.«

27) L. 3. L. 6. De LL. Conf. L. 4. L. 5. L. 10. eod. L. 64. De R. I. L. 3. extr. Si pars hered.

leret, tamen uerborum coniunctionem, aliarum actionum exempla, denique ius et aequitatem postulare, ut etiam defensio ei quicum agitur inde parari possit. Iam docui, isto tuo sensu, si curiosius attendamus, nullam siue perexiguam tamen fore illius clausulae utilitatem. Tu igitur ipse statue, quae ratio sit meum sensum repudiare, in tuo perseuerare! Aduersarii defensio

Unum mihi superest, ut ad illud argumentum tuum respondeam, quod ab interdicto de ui petiisti. Refers, aliquando Praetores ita interdicere, ut unde de dolo malo aduersarii *actor aut familia aut procurator eius ui detrusus sit, exceptis excipiendis, eo restitui iubeatur*[30]*). Quid postea? Demonstras, in illa quoque formula dolum malum idcirco additum esse, quo magis is quicum agitur tum quoque teneretur, quum consilium iniisset, ut ab aliis actor deiiceretur; neminem auditurum esse illum, si ui se deiecisse confiteri, dolo malo negare uoluerit.*

Iam ecce tibi concedam, in illa interdicendi forma adiectis de dolo malo *uerbis, nullam ei quicum agitur defensionem parari, si ipse aduersarium ui deiecerit. Quid ita? Tu dicis, quoniam in ipsa ui dolus insit, nec possit qui ui deiecerit, sine dolo malo deiecisse. Vehementer erras. Inest in illa quoque interdicti formula, sicut ipse significasti, usitata exceptio* Cum actor possideret, quod nec ui nec clam nec precario possideret. *Hac exceptione diserte declaratur, quando ius sit aduersarium ui deiicere, et (quod necessario consequitur) quando dolo malo ca-*

30) Vide supra p. 619.

Aduersarii defensio.

reat, qui ui alterum deiecerit. Quippe uocis dolo malo potestas definita et quasi circumscripta est certa illa iustaque exceptione, qua qui se potest tueri, illius uocis auxilium non desiderabit.

Caeterum in eo, qui non ipse actorem deiecit, sed sciens prudensque curauit, ut ab aliis deiiceretur, talem illius uocis potestatem esse, ut etiam eo nomine obligetur, non repugno.

Verumtamen nego, te isto interdicti exemplo proficere quicquam posse.

Nam ut maxime illa formula, quam attulisti, ita sit concepta, ut in ea quod inest de dolo malo, actorem magis quam eum quicum agitur adiuuet: illud dico, ipsam formulam, sicut est inserto dolo malo insignis, origine, ratione, effectu totam esse ob defensionem eius quicum agitur comparatam constitutamque. Utique non uulgaris est nec quotidiana haec interdicti forma, qua per hos annos demum ipse dixisti Praetores intercedere. Alia est a maioribus tradita, quae, sicut itidem fateris, hodie quoque obtinet. Ea sic est composita, ut Unde tu aut familia aut procurator tuus actorem aut familiam aut procuratorem eius ui deieceris, adiectis quas nosti exceptionibus, eo restituere iubearis. Sic agere solemus, sic Praetores interdicere, nisi certa quaedam et singularis caussa existat, quae ab usitato hoc et quotidiano genere anocet. Nec solet eiusmodi caussa in eo occurrere, qui ipse aduersarium deiecisse dicitur. Sed ubi aut familiae aut procuratoris nomine cum aliquo interdicendum est, intellexerunt, durum aliquando et iniquum esse, si propter uim se imprudente

inuitoque ab illis commissam, ex qua fortasse neque possideat neque fructum quemquam ceperit, actorem, unde deiectus sit, eo restituere iubeatur. Qua parte iustam domino defensionem, qua iniuriam a se depelleret, tribuerunt, quum nouam illam interdicendi formulam, in dolum domini, non in merum familiae procuratorisue factum conceptam, composuerunt ac deinceps, ubi res ferebat, accommodauerunt 31).

Aduersarii defensio.

Quid ergo est? Potest istius tuae formulae beneficio dominus, quicum familiae procuratorisue nomine interdicitur, de ui confiteri, de dolo malo suo negare et ita sponsione liberari: iam uos, recuperatores, statuite, utri caussae illud interdicti exemplum plurimum conferat!

Redeo ad illud, cuius confirmandi caussa haec omnia a me disputata sunt, perseueroque contendere, magnas esse quasdam iustasque caussas, ex quibus etiam ui hominibus armatis coactisue alterum alteri damnum dare liceat, siue, quod tantundem ualet, in eiusmodi quoque damno aliquando de iure et iniuria quaeri oportere.

At enim, Hic te, inquis, teneo: id ipsum a Praetore postulasti, ut ad modum iudicii, quod ex lege Aquilia est, ad damnum adderet INIURIA, *et, quum haud impetrares, tribunos plebis frustra appellasti!* 32)

Age sit ita factum: quid caussae meae officiat, non intelligo. Postulaui exceptionem INIURIA, *quo Fabio res cautior esset. Quam si impetrassem, quanto*

31) De uniuersa illa interdicendi uaria ratione uberius disputauimus supra Lib. II. Cap. I. §. 2. pag. 304. seqq.

32) Vide supra pag. 621. seq.

Aduersarii defensio

uerborum impendio utrinque pepercissemus! Praesagiens animo diuinam tuam doli mali interpretationem, secutus sum illud interdicti exemplum tuum; firmissimo illi scuto, quod in doli mali condicione mihi esset, adiicere nolui alterum praesidium de iniuria exceptionem. Hanc non impetraui. Sed quae caussa fuit tam Metello Praetori quam Tribunis plebis, cur denegarent? Qua in re narranda malim hercle ueritatis quam caussae studium te tenuisset! Nempe talis fere in decernendo illorum oratio fuit, Quod dolo malo ui hominibus armatis coactisue familia fecisse diceretur, id quoniam iure fieri non potuerit, ideo se nihil addituros [33]. *Certe quod dolo malo fit, id iure fieri non potest, quoniam dolus malus iniuriam continet, nec potest dolo malo fecisse, qui iure suo fecit* [34]. *Statuerunt igitur illi, superuacaneam esse iniuriae adiectionem: non quo uetarent* **Fabium** *de iure et iniuria disputare, sed quoniam intelligebant,*

33) Verborum leuissima, sententiae graui diuersitate Cicero (h. or. §. 40.) illam, quam demonstrat Praetoris ac tribunorum plebis in decernendo orationem fuisse, sic prodidit: »quod ui hominibus armatis coactisue familia fecisse diceretur, id *tametsi* nullo iure fieri potuerit, *tamen* se nihil additūros.« Nonne magis est simile ueri, integra illos formulae uerba recitasse, quam de *dolo malo* ista omisisse? tum nonne magis humanum, denegare iniuriae exceptionem petenti, *quia nihil ei prosit*, quam *tametsi nihil aduersario noceat*? Caeterum illud nimium arbitror, si quis conliciat, ita Praetorem INIURIAE exceptionem denegasse, ut de *dolo malo* in formulam de suo addiderit, quum iudicium, sicut in Albo Praetoris propositum esset, neutrum haberet.

34) Conf. L. 55. De R. I. (*Gaius*) »Nullus uidetur dolo facere qui suo iure utitur.« — Quin adeo *Paullus* in L. 151. eod. »Nemo, inquit, damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet:« quod non tam huius loci caussa affero, quam ut ad illa adhibeatur, quae supra §. 2. p. 562. ad L. 2. §. 9. Vi bon. rap. disputata sunt.

cui **dolum malum** *familiae liceat redarguere*, *et non* Aduersarii defensio.
posse **iniuriam** *non licere.*

Posteaquam satis, ut opinor, docui, in damno illo, quod utcunque ui et armis M. Tullio datum esse a P. Fabii familia ultro confessus sum, meo iure tamen ac pace Praetoris mihi licere illud quaerere, dolo malo familiae iniuriaue datum sit necne: illud profecto non timeo, quod uarie antea tentauisti, ut diceres, etiamsi in caeteris damnis aliquando de iure et iniuria disputari possit, diuersam tamen ac plane singularem caussam esse, ubi homo esset occisus. Ac prius quidem omnino contendisti, malum semper facinus esse hominem occidere [35]*. Deinde quum adeo sacratas atque* XII. *Tabularum leges tibi opposuissem, quo tandem intelligeres, sic etiam a maioribus traditum esse, ut aliquando tamen id ipsum, quo tantopere commoueri te simulas, impune fieri liceat* [36]*; eo confugisti, ut ipsas illas leges, quoniam certis ex caussis hominem occidi permitterent, argumento esse defenderes, idem ex aliis caussis non licere, denique nisi certa lege et*

35) Rursus Quinctius, dummodo aliquot annis posterius caussam orauisset, quam praeclaro auctore usus fuisset! Quippe *Cicero* in defendendo Milone (cap. 3.) sic disserit: »Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quae primum iudicium de capite uidit M. Horatii, fortissimi uiri; qui, nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem esse interfectam fateretur.«

36) *ibid.* 3, 9. »Quod si XII. Tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune uoluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, quum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?«

Aduersarii defensio.

iure constituto hominem occidi semper nefas esse [37]). *Itane uero? Cedo mihi istas leges, quibus tot ingenui ab urbe condita ad hanc diem iure caesi sunt iudicati!* [38]) *Immo uero satis habebo, si tu mihi de Aquilia aliaue lege certam formulam recitaueris, quam secuti in seruis hominibus occisis quotidie iudices iniuriam abesse pronunciant, ac propterea eum quicum agitur iudicio absoluunt.* [39])

Exemplis nunc uti uidelicet mihi necesse est earum rerum atque Annales nostros et magistratuum iudiciorumque commentarios excutere! [40]) *Non oc-*

37) *ibid.* 3, 8. »An est quisqnam, qui hoc ignoret, quum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ae iure factum esse defendi? Nisi uero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, quum a C. Carbone, tribuno plebis, in conciona seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure caesum uideri. Neque enim posset aut Abala ille Seruilius aut P. Nasica aut L. Opimius aut C. Marius, aut, me Consule, Senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici nefas esset. Itaque hoc, iudices, non sine caussa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi caussa matrem necauisset, uariatis hominum sententiis, non solum diuina, sed etiam sapientissimae deae sententia liberatum.«

38) Ibid. 4, 9. »Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, uerum etiam necessarium, quum ui uis illata defenditur. Pudicitiam quum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo est, cui uim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille summus uir scelere solutum periculo liberauit.« — Adde quae superius attuli in notis 35 et 37.

39) Conf. L. 4. Ad leg. Aquil., supra not. 20. laud. — L. 45. §. 4. eod. (*Paulius*) »Qui, cum aliter tueri se non possunt, damni culpam dederint, innoxii sunt«, rel.

40) Complura modo e Miloniana (capp. 3. 4.) attulimus, in nott. 35. 37. 38. De quibus aliisque conf. in Verrem I, 27. 29. V, 36, 94. *Liu.* III, 48. et Epit 58. 59. 61. 69. 86. *Val. Max.* VI, 1, 2. 12. 3, 6. IX, 10, 2. *Oros.* V, 20.

currit unicuique uestrum aliud alii in omni genere exemplum, quod testimonio sit, non e legitimis solum quibusdam uerbis aptum pendere ius[41]), *quod de homine occidendo constituatur, sed ita nobis esse maiorum prudentia ius constitutum, ut, quemadmodum superius demonstraui, nisi ob grauem iustamque caussam uetemur quidem hominem occidere*[42]); *at quales sint eiusmodi caussae, id uero iudicantium fidei et religioni totum permittatur considerandum atque e rei gestae proprietate diiudicandum.*[43]) Aduersarii defensio.

41) Etiam hac parte Cicero inuenit, quo Milonem tueretur, quum (l. l. 4, 11. post uerba, quae sup. in not. 22. exhibui) haec dixit: »Etsi persapienter et quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi; quae non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi caussa uetat: ut, quum caussa, non telum quaereretur, qui sui defendendi caussa telo esset usus, non hominis occidendi caussa habuisse telum indicaretur. Quapropter hoc maneat in caussa, iudices; non enim dubito, quin probaturus sim uobis defensionem meam, si id memineritis, quod obliuisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.«

42) *Cic. de Inuent.* II, 42, 124. »relatio criminis, ut in eo milite, qui, *quum communis lex omnium hominem occidere uetaret*, tribunum militum suum, qui uim sibi afferre conaretur, occidit.« — de Off. III, 4, 19. »Saepe enim tempore fit, ut, quod turpe plerumque haberi soleat, inueniatur non esse turpe. Exempli caussa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest maius esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit quamuis familiarem? Populo quidem Romano non uidetur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat.«

43) Hoc loco, priusquam Quinctium sinam ad reliqua pergere, palum figo terminumque pono. Nam quae adhuc ei tribui, ea, ut in singulis dubitationi locum relinquam, in uniuersum tamen ex animi sententia arbitror recta atque uera iuris ratione constare. Denique uersabantur illa in iure communi omnia; qua parte perinde fere nostra interest, quae potuerit orator uare dicere ac quae reuera dixerit, intelligere. At reliqua, quae sequuntur, rem gestam spectant, eaque cum exponenda tum

Aduersarii defensio.

Venio tandem, recuperatores, quo me iamdudum exspectatio uestra uocat, et quo statim a principio me contulissem, nisi uera iuris, iudicii formulaeque ratio et sententia ab illorum argutiis tuenda mihi prius ac uindicanda fuisset. Caeteris caussa oranda esse solet, mihi prius dimicandum fuit, ut caussam orare liceret. Iam breuis erit oratio. Caussam demonstrabo, quae P. Fabii familiam coegerit arma capere. Tantam fuisse tamque iustam docebo, ut quodcunque damnum passus sit Tullius, dolo malo atque iniuria uacuam fuisse illam luculenter appareat. Quippe pro domino ob iustam rei familiaris defensionem Fabii serui arma ceperunt, quo Tullianorum uim armatam ac quotidianas insidias depellerent coercerentque.

Teneo quidem te iactare, illa nocte Fabii familiam, nemine tum lacessente, ultro oppugnatum ad uillam uenisse, Tullii seruos, qui ibi mansissent, non modo oppugnantes, sed ne repugnantes quidem oppressos necatosque esse [44]).

ad iuris effectum perducenda tota continentur. Itaque quoniam neque rei gestae ueritatem explorare neque integram Quinctii narrationem disputationemque cognoscere possumus, quinetiam in Tullianae orationis lacunis multa nobis interuersa sunt eorum, quae Cicero ex aduersarii defensione seligenda sibi tradendaque lectoribus suis putauit: hoc certe loco nihil est, quod fide nostra recipiamus; id unum relinquitur, ut uestigia, quae extant, curiosius persequamur, disiecta colligamus, denique, quum Quinctianae defensionis solidam et expressam effigiem obtinere non possimus, umbram tamen et imaginem quandam repraesentare studeamus. Qua in re amplificandi ueniam ita datam esse putaui, ut ad infinitam fictionem tamen non descenderetur; propterea deprecor, ne, si parum Fabii caussa tibi probetur, inopiam defensionis et ieiunitatem reprehendas, neue ad condemnandum Fabium nisi ampliata caussa descendas.

44) Conf. h or. §§. 21. 34. 55.

Verumtamen quemadmodum in iusto bellorum genere non in eum populum caussam belli ac culpam conferre solemus, qui inter medias belli uicissitudines uno quodam proelio prior in aciem copias eduxerit signaque canere iusserit, sed in eum profecto, qui prior pacem ruperit, arma intulerit atque cum exercitu fines alterius ciuitatis superauerit; sic etiam in hominum priuatorum controuersiis, si quando in agris longinquis et desertis ad uim et arma uentum est, atque in eiusmodi hostilitate per aliquod temporis spatium utrinque perseueratum, non conuenit ad instar eorum, quae in praediis urbanis et suburbanis, ubi paratissimum est magistratuum iudiciorumque auxilium, accidere solent, ex unius diei horaeue euentu de ui et armis, quo iure censeantur, statuere. Aduersarii defensio.

Quibus praemissis iam rem, uti gesta sit, cognoscite.

Aliquot abhinc annis fundum in agro Thurino P. Fabius emit de C. Claudio Senatore, uiro honestissimo[45]*). Eius autem fundi, qua confinis est M. Tullii fundus, extrema pars est centuria illa Populiana, de qua mox controuersia incidit*[46]*). Quum primum ea res in iudicium uenerit, tabulis ac testibus Fabius docebit, ita se emisse, ita emptionis tabulas confectas, ita ab auctore fines demonstratos sibi esse, ut illa centuria fundo haud dubie contineretur; denique etiam uacuam a C. Claudio sibi traditam esse*[47]*). Quod de toto fundo aduersarius affirmauit, exustis omnibus*

45) Ibid. §. 14.

46) Ibid. §. 16.

47) Haud dubie Fabius illam centuriam suam esse contendebat: *ibid.* §§. 20. 53., neque uerisimile est, alio illum quam emptionis suae iure stetisse.

Aduersarii defensio.

uillis incultumque tunc uenisse[48]*, in Populiana saltem illa centuria uerum est. Quapropter non est mirandum, Fabii deinceps possessionem, quibus rebus maxime cerni solet praedii possessio, habitationibus uidelicet et cultura, minus conspicuam in illa centuria fuisse, ut solo agri aspectu facile dubitari posset, a Fabio an a Tullio uicino ea possideretur. De illo certe constat, ne apud Tullium quidem certam eius centuriae possessionem fuisse, priusquam Fabius fundum suum, quibus finibus emerat, iisdem, Populiana igitur comprehensa centuria, proscripsisset*[49]*. Tum uero trepidare Tullius. Cupide magis quam honeste centuriam illam occupare. Sermonem ut cum uicino nullum conferre. Quum satis curasset, ut in tuto sibi possessio esset*[50]*, iam possessorem palam se iactauit ostentauitque. Casam inaedificauit*[51]*, praesidium imposuit, uim et arma parauit. Deinde curauit, ut uillicus denunciaret Fabio, ne absente se Acerronio fines demonstraret. Quam arrogantiam quum merito contem-*

48) ibid. §. 14.

49) ibid. §. 16. 17.

50) Ita loco modo laudato narratur, Tullii procuratore et uillico absentibus contra quam fortasse denuntiatum erat, Fabium Acerronio fines demonstrasse, — *neque tamen hanc centuriam Populianam uacuam tradidisse*; ut dubitari uix possit, curauisse illos antea, ne *posset* Fabius, si uellet, illam centuriam uacuam tradere. Voluisse autem eum, si potuisset, satis probabile est.

51) Conf. h. or. §. 19. »(Fabius) *animaduertit* in hac ipsa centuria Populiana aedificium non ita magnum seruumque M. Tullii Philinum.« — ibid. §. 53. »tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo seruos M. Tullii occidere iure non potuisti, uerum etiam si tectum hoc insciente aut per uim demolitus esses, *quod hic in tuo aedificasset* et suum esse defenderet, id ui aut clam factum iudicaretur« rel. Nolo tamen pro certo affirmare, siue Tullianos tunc demum tectum illud aedificasse, siue Quinctium tamen ita dixisse.

psisset Fabius [52], *ac suo iure fines a Claudio uenditore sibi antea demonstratos etiam Acerronio emptori demonstrasset, ecce tum omnes copias iste educit, excubias uigiliasque agit, totam illam centuriam custodibus adeo obsidet, ut, nisi pugnare omnino Fabius uellet, uacuam tradere eam Acerronio non potuisset* [53]. *Neque intra suos fines centuriamue Populianam, de qua controuersia erat, expeditionem continet. Quum castra et uelut praetorium in illa casa locasset, erumpere inde solebant custodes illi et ultra eam centuriam longe lateque fundum Fabii infestum habebant. Belligerantium more qua poterant hosti nocebant, pensi nihil eis erat* [54]. *Casa quaedam Fabio fuit in ea fundi parte, de qua nihil ambigebatur. Eam nullo lacessente, et nescio propter quam belli utilitatem, furtim incenderunt* [55]. *Ne insidiis quidem abstinuerunt. Quippe per illud tempus seruus quidam Fabii, qui sanus uigensque e uilla mane exierat, non rediit. Fugae nulla suspicio. Re explorata apparuit, eum cum Tullii seruis illa die, postea a nemine uisum esse; ut dubium nemini sit, quin ab his captus et occisus sit* [56]. *Quinetiam pridie quam in discrimen tandem uentum est, certus Fabii uillico nuncius alla-* Aduersarii defensio.

52) Conf. h. or. §. 17.

53) Videsis quae de d. §. 17. hic superius in nota 50. habentur.

54) Quae Fabius Tullianis, ut statim apparebit, obiecit mala et facta et destinata, ea uix credibile est, Quinctium patronum seiuncta prorsus inter se et disiecta protulisse, immo genere quodam, atque uno certoque auctorum consilio nullo dubio ea comprehendit audientiumque animis obtulit.

55) Vid. h. or. §. 54. »At casa mea incensa est a tuis.« Conf. sup. pag. 612.

56) h. or. §. 54. »At seruus meus non comparet, qui uisus est cum tuis.« Conf. *Huschkii* notam ad h. l., ubi perinde ac nos antea (in not. 54.) fecimus, hoc crimen

Aduersarii defensio *tus est, nouam ex illa casa expeditionem parari et quam primum istos cum omnibus copiis oppugnatum uenturos esse*[57]). *Quid multa? Quaecunque moliebantur, ex illa casa quasi ex arce quadam, unde in totam regionem dominarentur, erumpebant; eodem, quicquid perpetrassent, aut si quid sibi acciderat, se recipiebant*[58]). *Iam eo uentum erat, ut, dum in casa illa homines Tullii considerent, Fabio in omni fundo suo, qua centuria illa, de qua sola controuersia est, adiacet, ab istorum incursionibus insidiisque neque hominum neque rerum quidquam tutum esset. Itaque familia Fabii', quo ipsa cum agris, aedificiis, pecoribus caeterisque rebus salua esse posset, dominumque a quotidianis damnis detrimentisque saluum, uti debuit, praestaret, intellexit, nisi perpetuae quodammodo militiae se addiceret, nihil sibi reliquum aliud esse, nisi ut hostium illam manum et quasi praesidium*

Quinctii ad generalem illam defensionem refertur, qua dixerit, *Fabii familiam, quum istos Tullii seruos trucidaret, magis suae salutis tutela, quam in alienam incursione usam esse.*

57) b. or*. § 55. »At enim oppugnatum me fortasse uenissent.«

58) Huius fere loci fuit, etiam ad illa repondere, quae in b. or*. §phis 18 et 19. Cicero bis uerbis Fabio esprobrauerat: »Adducit iste interea in saltum homines electos maximis animis et uiribus, et iis arma, quae cuique habilia atque apta essent, comparat: prorsus ut quiuis intelligeret, non eos ad rem rusticam, uerum ad caedem ae pugnam comparari. Breui illo tempore Q. Catí Aemiliani, hominis honesti, quem uos nostis, duo homines occiderunt; multa alia fecerunt, passim uagabantur armati; non obscure, sed ut plane intelligere uiderentur, ad quam rem parati essent; agros uias denique infestas habebant.« — Quae dubitari non potest quin generatim ob necessariam Fabii aduersus Tullianos tutelam acta esse Quinctius defenderit; sed de illa caede caeterisque quum plane nihil sit compertum, mera quadam fictione abstinendum putaui.

a ceruicibus sibi depelleret, atque casam ipsam, oppugnatorum suorum insidiatorumque receptaculum et latebram purgaret, denique quotidianis insidiis et uexationibus aliquando solidam uim opponeret, quo tandem ipsa cum domino sine armis uiuere et pace frui posset. Aduersarii defensio

Hoc consilio casam expugnauerunt, noxios, qui eam obtinebant, Tullii seruos oppresserunt, repugnantesque occiderunt. Deinde curauerunt, ne deinceps aedificium praesidio armatorum posset munimenta praebere[59]*. Quod quum faciebant, nihil tamen rapuerunt neque abstulerunt, casam ipsam, re peracta, statim reliquerunt, centuriae illius Populianae ne glebam quidem occupauerunt, nec quemquam inde deiecerunt*[60]*: ut quiuis intelligere posset, nihil, de quo iuris controuersia esset, eos affectasse, sed illud solum, necessitate cogente, egisse, ut ea, quae nemine contradicente domini essent, salua tandem ei custodire atque uitam securam nec precariam ab istis retinere sibi liceret.*

Sed haec hactenus. Nihil attinet ad perorationem Conclusio.

59) Haec ita Cicero, b. or. §. 21., narrat: »Proxima nocte (postquam Fabius cum Acerronio Tullium in uilla conuenerat) iam fere quum lux appropinquaret, ad illud aedificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, serui P. Fabii frequentes armatique ueniunt; introitum ipsi sibi ui manuque patefaciunt; homines magni pretii seruos M. Tullii nec opinantes adoriuntur, quodque facile factu fuit, neque tam multos neque repugnantes multi armati paratique occidunt; tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent, ne, si quem semiuiuum ac spirantem etiam reliquissent, minor iis honor haberetur; praeterea tectum uillamque disturbant.«

60) Haec uera esse, Ciceronis silentium in d. §. 21. declarare uidetur.

Conclusio usque ulces Quinctii agere, cui uereor ne iam in re, uti gesta esset, narranda multo etiam minus quam in exponenda iuris ratione satisfecerimus. Hoc unum antea suscepimus, ut uestigiis argumentisque diligenter conquisitis ostenderemus, Quinctium in caussa Fabii defendenda non meras tamen nugas egisse. Quod ut praestaremus, quum iustae defensionis imaginem quandam (sine umbram dixeris) repraesentare studuimus, illud quoque menti obuersabatur, quod statim a principio huius libelli[61]), copiarum subsidiorumque penuriam excusantes, iudicandi munus uerecunde deprecati sumus. Quid igitur est? Cui religio est iudicare, ei dubitandi certe uenia debetur, et si quis summum in administranda iustitia gradum, qui iudicis est, obtinere non potest, non uetabitur hercle in inferiori consistere, atque, ut contra quem Cicero dixerit, is ne inauditus condemnetur, curare.

Reliquum est, ut fatear, haud magis me scire, uter uicerit, Tullius an Fabius, quam utrum uincere oportuerit. Quod si quis probabilius fortasse reputauerit, secundum Ciceronis clientem iudicatum esse, concedam, argumenta quaedam inueniri posse, genere quidem similia atque in P. Quinctii et A. Caecinae caussis superius demonstrata sunt[62]), at numero et pondere aliquanto etiam infirmiora ac rariora, denique tam longe repetita, ut uix operae pretium sit, in examinanda illa coniectura diutius commorari[63]).

61) b. sup. p. 542.

62) Conf. sup. Lib. I. p. 168. Lib. II. p. 430.

63) Iam quum ad finem primi huius capitis, quod est de iure caussae Tullianae scriptum, peruentum sit, uariis de caussis admonitum tamen lectorem uelim, ita casum tulisse, ut priora quinque huius libelli folia sexennio ante quam reliqua typis absoluerentur.

CAPUT II.

De uarietate lectionis in oratione pro M. Tullio, cum contextu castigato.

In superioribus duabus orationibus ad criticam recensionem conquirenda fuit materia e magna copia cum Codicum manu scriptorum tum Editionum, tribus quatuorue hisce saeculis typis excusarum, atque res ita ferebat, ut quae manu essent exarata exemplaria, ea paene omnia uix maiore quam unius saeculi interuallo uetustissimarum Editionum aetatem antecederent. Harum uero Tullianae defensionis reliquiarum plane diuersa caussa est. Quae quum ex aliquot foliis antiquissimorum Codicum palimpsestorum erutae, nostrisque demum diebus in lucem sint editae, critici laboris nihil mihi superfuit, nisi ut tredecim illa folia (quatuor Ambrosiana, Taurinensia nouem) denuo inspicerem, lectionemque meam cum anterioribus curis tam ipsorum meritissimorum illorum inuentorum, *Maii* ac *Peyroni*, quam secundorum Editorum, *Beieri*, *Orellii*, *Huschkii*, conferrem atque contenderem. Prooemium.

Cuius suscepti primum illud in fructu reputo, ut amplissimum dicam testimonium cum de horum ingenio atque industria, tum de illorum ardore, dexteritate,

Prooemium. perseuerantia, summaque fide ac religione; deinde ut *Peyroni*, uiri illustrissimi, eximiam illam humanitatem comitatemque, qua me in secundis hisce curis agendis adiuuare dignatus est, pio gratoque animo commemorem. Utique si noui quantulumcunque mihi contigit ut extricarem, uel hoc illorum maxime laudi contribuet, quippe qui ita caetera rexerint, constituerint, ordinauerint, ut post eorum messem qui ad spicas legendas ueniret, omnem operam industriamque in certa eaque pauca orationis loca, soluto caeteroquin animo, conuertere, ibique cum oculorum aciem tum mentis cogitationem totam impendere posset.

Illud uehementer mihi dolendum fuit, quod, quum octo abhinc annis Athenaei Taurinensis thesauros *Peyrono* duce adirem, primum folium cum exordio huius orationis e scriniis aberat, neque a Praefectis Custodibusue, anxie perscrutantibus omnia excutientibusque, tum reperiebatur, ut uix dubitaretur, quin a sacrilega quadam manu auersum ablatumque esset.

De reliquo pretiosarum illarum membranarum usus summorum Virorum beneficio, Praefectorum tam Mediolanensium quam Taurinensium, quos honoris caussa commemoro, paratissimus mihi fuit. Medicamentis chemicis denuo adhibendis nulla offerebatur occasio, quum a primis inuentoribus antea ita essent infusa, ut aut salutaris effectus etiamdum duraret, aut spes proficiendi quicquam prorsus nulla relinqueretur. Membranas denique Taurinenses magis conseruatas saluasque, neque adeo, ut in Ambrosianis magna ex parte apparuit, lauationibus corrosas inueni.

De uniuersa illarum membranarum natura et forma,

de origine et aetate, de scripturae figura et habitu, de foliorum ex utroque Codice seruatorum dispositione, atque si quae sunt alia critici laboris ex hoc genere fundamenta ac subsidia: de iis rebus omnibus ita tractauerunt Doctores illi, quos modo laudaui, *Peyronus* imprimis, tum *Huschkius*, ut mihi, quod adderem aut corrigerem, ne tantulum quidem reliquerint [1]). Prooemium

Unum hoc restat, ut, posteaquam in superioribus libris, ad Quinctianam uidelicet et Caecinianam, uarietatem tantum lectionis e Codicibus atque Editionibus in medium protuli, meaque adnotatione illustraui, iam caussam probem, cur in hac Tulliana ab instituto de-

1) Videnda prius *Peyroni* de Bibliotheca Bobiensi Commentatio, d. Augustae Taurinorum IV. Kal. Inn. MDCCCXXI., pag. III—XXXVII.; *Eiusdem* ad Fragmenta Orationum Ciceronis Praefatio p. 1—10.; Inuentarium librorum monasterii S. Columbani de Bobio, quod renouatum fuit in 1461. p. 1—68., cum Adnotationibus p. 69—228.; imprimis autem utilissima illa totius orationis ad utrumque Codicem repraesentata imago, p. 37—62., cum scripturae specimine in tabula adiecto: — quae continentur, una cum contextu orationis critice castigato, p. 98—109., atque Adnotatione perpetua, p. 149—68., in praestantissimo illo libro, complurium reliquiarum antea ineditarum thesauro, qui inscriptus est: *M. Tullii Ciceronis Orationum pro Scauro, pro Tullio et in Clodium Fragmenta inedita, pro Cluentio, pro Caelio, pro Caecina etc. Variantes lectiones, Orationem pro T. A. Milone a lacunis restitutam ex membranis palimpsestis Bibliothecae R. Taurinensis Athenaei edidit et cum Ambrosianis parium orationum fragmentis composuit Amedeus Peyron* etc. etc. *Stuttgardiae et Tubingae* 1824. 4°. — Paullo postea accessit Erratorum index, quatuor paginis absolutus, cum Editoris subscriptione: *Dabam Taurini die VIII. Februarii MDCCCXXV.*: quod cum supplementum sit admodum necessarium ac parum diuulgatum, ex eo quae propositam spectant orationem, suo quidque loco, in adnotatione commemorabo. Addenda denique *Huschkii* nostri Praefatio ad h. orationis recensionem, in *Imman. G. Huschkii* Analectis litterariis, Lipsiae 1826. 8. p. 79—97.

Prooemium. flexerim, atque integrum orationis contextum proprio Marte repraesentauerim. Nimirum *Orellii* Editionem, quam antea in accommodanda lectionis uarietate secutus sum, nunc relinquendam censui, partim propter Beieriana illa supplementa, magna ex parte parum probabilia, in contextum ibi recepta, partim quia Orelliana recensio secundis curis a superstitibus beati Editoris amicis aucta et emendata propediem est in lucem proditura. *Huschkii* uero recensionem, in patrui *Analectis litterariis* reconditam, non adeo putaui omnibus praesto esse, ut ad eam lectionis uarietatem satis commode referrem. Quarum rerum omnium quum etiam in *Peyroni* atque *Beieri* editionibus una alteraue obstare uideretur, malui integrum fragmentorum contextum, meo iudicio castigatum, exhibere, tum criticam adnotationem consueto more subiicere.

M. Tullii Ciceronis

Orationis pro M. Tullio

quae extant.

Incipit Taurinense Fol. I. 1. *Antea sic hanc causam adieram*, **Reciperatores**, *ut nunquam dicturos* [2]) aduersarios arbitrarer, tantam

2) Sic primos tres uersus *Peyronus* suppleuit. Simul adnotauit: »Has uoces *(Antea sic hanc causam)* uidere mihi uideor in prima linea. Saltem prima littera *A* certissima est.« Itaque retinui uerba illa, quum *Huschkius* scribere maluit: *Actionem priorem sic* rel. — Inspiciendi primi huius folii, sicut antea dixi, copia mihi non fuit.

caedem et tam atrocem ad familiam suam pertinere. Taurinense Fol. I.
Itaque animo soluto a cura et a cogitatione ueneram, quod intelligebam, facile id me testibus planum facere posse. Nunc uero posteaquam non modo confessus est uir primarius L. Quin*ctius* - - - - - -[3])
*la*borabam, ut quod arguebam, id factum[4]) esse ostenderem; nunc in eo consumenda est oratio, ut ne aduersarii, quod infitiari nullo modo potuerunt, cum maxime cuperent, id cum co*n*fessi[5]) sunt, meliore loco esse uideantur.

2. Itaque tum uestrum difficilius iudicium[6]), mea facilis defensio fore uidebatur. Ego enim omnia in tes*ti*-*bus* - - - - - - -[7]) quid est facilius, quam de eo, qui confitetur, iudicare? mihi autem difficile est, satis copiose de eo dicere, quod nec atrocius uerbis demonstrari potest, quam re ipsa est, neque apertius oratione mea fieri, quam ipsorum confessione factum est.

3. Cum in hac re, quam commemoraui, mihi mutanda

3) Desunt h. l. uersus sex. Merito *Beierus* uidetur *Peyroni* supplementum reiecisse, tum *Beieri Huschkius;* cuius ad sententiam quidem probabilis coniectura est haecce: »Quinctius, *sed et iuuari hac confessione causam suam putauit, uideo aliam mihi defensionis uiam esse ineundam. Antea enim in eo* laborabam«, rel. — Apte attulit *pro Caecina* 2, 4. Conf. *Plinii Ep. IV*, 9. *Rem manifestam infitiari augentis erat crimen, non diluentis.*

4) Sic Codex, non *fabtum*. Conf. *Peyroni* Corrigenda.

5) Cod.: comfessi.

6) Cod. DIFFICILLIUSDIUDICIUM.

7) Desiderantur septem uersus, quorum *primus* syllabam exhibet TES. — *Beieri* commentum, lacunam partim e *Cluentiana* 1, 4. explentis, *Huschkius* refutauit. Nec probantur mihi quae *Peyronus* subiecit: »in testibus *ponebam, quorum ipse consensus quasi conflatus iudicandi moram uobis iniiciebat. At confessio aduersarii in me rei difficultatem transtulit. Etenim* quid,« rel. Nimirum qui potest consensus testium in id, quod aduersarius ultro confitebatur, iudicandi moram recuperatoribus iniecisse?

Taurinense Fol. I. ratio defensionis - - - - - - - [8]) minus diligenter illius existimationem, quam rem M. Tulli uiderer defendere. Nunc, quoniam Quinctius ad causam pertinere putauit, res ita multas, falsas praesertim et inique confictas, proferre de uita et moribus et existimatione M. Tulli, multis de causis mihi Fabius debebit ignoscere, si minus eius famae parcere uidebor quam antea consului.

† Explicit Taurin Fol. I. 4. Pri†*ore* ——————————————— [9])

† Incipit Ambrosianum Fol. I. †ore putauit ad officium suum pertinere, aduersario nulla in re parcere; quid me oportet Tullium pro Tullio facere, homine coniuncto mecum non minus animo quam nomine? Ac mihi magis illud laborandum uidetur, Recuperatores, ut quod antea nihil in istum dixi, pro-

8) Desunt septem uersus. Sententia satis certa. Quae ut intelligatur, uerba e *Peyroni* coniectura, sicut est ab *Huschkio* emendata, adiicio: »*tum erga P. Fabium paulo temperanda est nimio illa lenitas, qua anteo famam illius tonto cum studio uel dissimulando uel excusando foueram, ut non*« rel. — *Beierus* sic restituerat: »*est, tum obliuiscendum parumper in P. Fabio illius lenitatis meae, qua usus priore actione animum a laedendo reuocorom ipse et reflexeram, ut non*« rel.

9) Desunt uersus sex cum 108. circiter litteris. Praeterea quanto in singulis Ambrosiani Codicis foliis litterarum numerus (circiter 1700.) excedit folia Taurinensia (quae circiter 1550. continent), i. e. circiter 150. Nam quod inde a uerbis *ore putauit* sequitur folium Ambrosianum, baud dubie in integro Codice alterum buius orationis fuit. Sic *Huschkius* in Praemonitis ad b. or. pag. 84. probabili admodum calculo confecit, uniuersam banc lacunam non multum infra trecentas (supra indicaui circiter 258,) litteras esse. Quae in Codice Taurinensi, uersibus octonarum denarum fere litterarum, 14. circiter uersus impleuerunt. — Sententiae exiguus biatus. Caeterum caute *Huschkius*, posthabitis tam *Peyroni* quam *Beieri* supplementis, eam solum sententiam uerborum coniectura explere studuit, cuius postrema uerba sunt *ore putouit* rel., in talem uidelicet modum: »*Nam si L. Quinctius, dicens pro homine a se alienissimo, uulgari tantum quorumdam patronorum more putauit*« rel. — *Beierus* in textu posuit baec: Pri-

bare *possim*[10]), quam in eo reprehendar[11]), quod hoc tempore respondeo. Ambros. Fol. I

5. Verum et tum id feci, quod oportuit, et nunc faciam, quod necesse est. Nam cum esset de re pecuniaria controuersia, quod damnum datum M. Tullio diceremus: alienum mea natura uidebatur, quidquam de existimatione P. Fabi dicere; non quia[12]) res postulare non uideretur. Quid ergo est? Tametsi postulat causa, tamen, nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere. Nunc, cum coactus dicam, tamen id ipsum[13]) uerecunde[14]) modiceque[15]) faciam, tantum ut, quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione Fabius iudicare, nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat.

6. Unum hoc abs te, L. Quinti, peruelim impetrare (quod[16]) tametsi eo uolo, quia mihi utile est, tamen abs te idcirco, quia a*equ*um[17]) est, postulo), ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut *h*is[18]) aliquid ad iudicandum relinquas. Namque antea non defensionis tuae modus, sed nox tibi fine*m*[19]) dicendi fecit. Nunc si tibi placere potest, ne idem facias, id abs te postulo.

ore actione omnis aculeos orationis meae reconditos habui; sed quoniam ipse Quinctius in actione illa priore putauit rel.

10) Sic e *Crameri* coniectura iam *Beierus*, *Huschkius* et *Orellius* ediderunt. Codex:

PROBAR ∘∘∘∘∘ UMQUAĪNEO

incertis ductibus intermediis.

11) Codex: *repraehendar*. Conf. *Beieri* et *Huschkii* notas.

12) Cod.: *quin*. Conf. *Beierum*.

13) Cod.: IDSUM.

14) Sic Codex. — Quod apud *Peyronum* extat *uerumde*, typothetae debetur.

15) Cod.: *modique*. Cf. Beierum.

16) Videntur duae litterae hic additae fuisse, quibus eruendis etiam remedium chemicum adhibitum est. Certe nihil desideratur.

17) Cod.: *aecum*.

18) Cod.: *is*.

19) Cod.: *fine*.

Ambros. Fol. I. Neque hoc idcirco postulo, quod[20]) te aliquid censeam praeterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere, uerum ut semel unaquaque[21]) de re dicas; quod si facies, non uereor, ne dicendo dies eximatur.

† Incipit. Taurin. II. Pergit Ambros I. 7. Iudicium uestrum est, Recuperatores, QUANTAE † PECUNIAE PARET DOLO MALO FAMILIAE P. FABI UI HOMINIBUS ARMATIS COACTISUE DAMNUM DATUM[22]) ESSE M. TULLIO. Eius rei taxationem nos fecimus[23]); iudicium datum est in quadruplum.

8. Cum omnes leges omniaque iudicia, quae paulo grauiora atque asperiora uidentur esse, ex improborum iniquitate et iniuria nata sunt; tum hoc iudicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam constitutum[24]) est[25]). Nam cum multae familiae dicerentur in agris longinquis et pascuis armatae esse caedesque[26]) facere, cumque † ea consuetudo non solum ad res priuatorum, sed ad summam rempublicam pertinere uideretur: M. Lucullus, qui summa aequitate et sapientia[27]) ius dixit, primus hoc iu-

† Explicit Ambros. I. Incipit II. Pergit Taur. II.

20) Sic certissime Codex, non *quo*. Conf. *Peyroni* notam.

21) Sic Codex distincte, tantum in syllaba QUA litterae U et A, usitato compendio, ductibus finitimis in unam contractae sunt. — *Maius: unaque aliquid.*

22) Cod. Taurin.: *datum*, Ambros.: *factum*: — utroque nihil distinctius. Hoc *Peyronus*, illud *Bsierus*, *Huschkius*, *Orellius* receperunt. Quos eum sequar, magis est, ut etiam supra, pag. 595., in formula DATUM pro FACTUM scribatur. — Caeterum conf. L. I. pr. De his qui effud. »QUANTUM EX EA RE DAMNUM DATUM FACTUMUE ERIT rei.

23) Cod. Ambros.: FECIM'.

24) Ambros.: CONST TITUTUM; nam litteram T non solum in uersu inferiori, ubi plane conspicua est, sed etiam in fine superioris comparere mihi uisum est.

25) Post hoc uocabulum puto in Ambrosiano scriptum fuisse NA, i. e. NAM, tum in sequenti uersu repetitum.

26) Taurin.: CAEDESQUAE.

27) Ambros.: ADRAPIENTIA, tum

dicium[28]) composuit, et id spectauit, ut homines[29]) ita familias suas continerent, ut non modo armati damnum nemini darent, uerum etiam lacessiti iure se potius quam armis defenderent. Taurin. Fol. II. Ambros. Fol. II.

9. Et cum sciret[30]), de damno legem esse[31]) Aquiliam, tamen hoc ita existimauit[32]), apud maiores nostros, cum et res et cupiditates minores essent, et familiae non magnae magno metu continerentur, ut[33]) perraro fieret, ut homo occideretur, idque nefarium ac singulare facinus putaretur, nihil opus fuisse iudicio de ui coactis armatisque hominibus; quod enim usu non ueniebat, de eo si quis legem aut iudicium constitueret, non tam prohibere uideretur[34]) quam admonere.

10. His temporibus cum ex[35]) bello diuturno atque domestico res in eam consuetudinem uenisset, ut[36]) homines minore religione armis uterentur, necesse putauit esse, et[37]) in uniuersam familiam iudicium dare, quod[38]) a familia factum diceretur; et reciperatores dare, ut

11. quam primum res iudicaretur; et poenam grauiorem constituere, ut metu comprimeretur audacia; et illam latebram tollere DAMNUM INIURIA, quod[39]) in

a superne puncto deletum, a adiectum.

28) Taurin.: IUDIUM.

29) Ambros.: OMNIS.

30) Ambros.: SCIRENT.

31) Sic uterque Codex caeterique editores: errori tribuendum quod apud *Huschkium* habetur *esse legem*.

32) Taurin.: *existumauit*.

33) Sic Ambrosianus; in Taurinensi particula excidit.

34) Ambros.: *uidetur*.

35) Taurin.: *et*.

36) Taurin.: *in*.

37) In Ambrosiano deest *et*.

38) Sic uterque Codex, eamque scripturam, nullo dubio genuinam, efficaciter *Huschkius* defendit aduersus coniecturas *si quid* (*Heinrichii*) et *si quod* (*Maii*). Neque ad formulae instar debuit haec sententia a *Beiero* et *Orellio* excudi.

39) Aduersante Codicum consen-

Taur. II. Ambros. II. aliis [40]) causis debet ualere et ualet [41]) lege Aquilia, id ex huiusmodi damno, quod ui per seruos armatos datum esset † - - - - 12. - - - [42]) ipsi statuerent, quo tempore possent suo iure arma capere, manum cogere, homines occidere. Cum iudicium ita daret, ut hoc solum in iudicium ueniret [43]), uidereturne ui hominibus coactis armatisue damnum dolo malo familiae datum [44]), neque illud adderet [45]) INIURIA, putauit se audaciam improborum sustulisse, cum spem defensionis nullam reliquisset [46]).

† Explicit Taurin. II. Pergit Ambros. II.

13. Quoniam quod iudicium et quo consilio constitutum sit, cognostis [47]), nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breuiter uobis demonstro, attendite.

14. Fundum habet in agro Thyrino M. Tullius paternum [48]), Reciperatores, quem se habere usque eo non

su *Huschkius* poscit: *ut quod*, — neque id infirmis argumentis. Illud adiicio, hanc columnam in Ambrosiano pessime esse habitam et iam profecto minus quam antea legibilem.

40) Ambros.: *illis*.

41) Sic etiam Ambrosianus, non UALERET. Conf. *Peyroni* Corrigenda.

42) Ubi Taurinense folium alterum excurrit, ibi in Ambrosiano Codice septem uersus sequuntur, quorum praeter paucas ac distantes inter se litteras nihil legi potest. Sententiam deperditorum hisce uerbis *Huschkius* demonstrat: »... datum esset, *quodque iure umquam dari posse ne putari quidem deberet, iudicio eximeretur, ne facinorosi homines* ipsi statuerent«, rel.

43) Codex: *uenire*. — Nec memini, in sequenti initiali U *(uidereturne)* me conspicere ullum signum litterae T, quod alioquin Codicis indoli (conf. not. 21.) maxime conueniret.

44) Recte *Huschkius* reprehendit *Beierum*, uel hoc loco formulam agendi cernentem.

45) Cod.: ADERET.

46) Cod.: *relinquisset*.

47) Codex ita distinctis uersiculis: COGNOO TIS.

48) *Quinctilianus* in *Inst. orat.* *IV*, 2, 131.: *sicut pro Tullio Cicero, Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum.*

moleste tulit, donec uicinum eiusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre[49]) mallet quam iure defendere. Nam P. Fabius nu†per emit agrum de C. Claudio senatore, cui fundo erat adfinis M. Tullius, sane magno, dimidio fere pluris incultum[50]) exustis uillis omnibus, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis pretiis ipse Claudius *emerat* - - - - - - - - - -[51])

Ambros. II.

† Explicit Ambros II. Incipit III.

15. clam circumscripsisse isti a consulari Macedonia et Asia. Etiam[52]) illud addam, quod ad rem pertinet. Imperatore mortuo pecuniam[53]), nescio quomodo quaesitam, dum uult in praedio ponere, non posuit, sed abiecit. Nihil adhuc m - - - - - - - - - -[54]) am calami-

49) Sic Codex, non *proferre*. Conf. *Peyroni* Corrigenda.

50) Sic Codex, uidelicet INCULTŪ. Nam haec lineola uix ullo dubio conspicua est, modo partim tecta Seduliano textu.

51) Versus, qui a syllabis NIUS incipit, ultra non legitur, ac praeterea desunt integri uersus decem, inferiori folii parte cultro desecta. Quae VV. DD. supplendi caussa excogitauerunt, ea, excepta prima uoce *emerat*, incertissima mihi uidentur. *Beierum* apte refutauit *Huschkius*, qui haec composuit ipse: ».. Claudius *emerat. Verum tamen rem sic tuto seruare uoluit; ex quo enim sub L. Octauio proconsule meruerat sic, ut augendae rei negotiando operam dare posset, iam saepius homines uidebantur se* clam circumscripsisse« rel. Conf. etiam quae de probabili deperditorum sententia *Heinrichius* disputauit ad h. l.

52) Cod.: ETIA. — Non conspicuo m finale, quod plane lineam excessurum fuisset. Ne lineola quidem, usitata eius litterae nota, oculis cerni potest, quamquam fortasse non defuit.

53) Cod.: *pecunia*.

54) Ecce alter defectus, is quidem decem uersuum, propter caussam sup. in nota 51. allatam. Parum feliciter *Beierus* sententiam, ut de uerbis taceam, restituit hoc modo: »Nihil adhuc *magnopere miror, quod stultitia sua impeditus, quoquo modo posset, se expedire uoluit. Illud uero mirari satis non queo, illud indignor, quod suam stultitiam* calamitate uicinorum«, rel. *Maius: stultitiam suam* calamitate rel. Caute *Peyronus*: »Perplacent ista, at

Ambros. Fol. III.

tate[55]) uicinorum corrigit et quod stomachum[56]) suum damno Tulli *ex*plere[57]) conatus est.

16. Est in eo agro centuria, quae Populiana[58]) nominatur, Reciperatores, quae[59]) semper M. Tulli fuit, quam etiam pater pos*sederat*[60]) - - - - - - - - - - -[61]) posita esse et ad fundum eius conuenire. Ac primum quod eum negoti totius et emptionis suae poenitebat[62]), fundum proscripsit; eum autem emptum habebat cum socio Cn. Acerronio uiro op*timo* - - - - - - - - - - -[63])

17. modum proscripsisse. Hominem appellat. Iste sane adroganter, quod commodum fuit, respondit. Neque dum fines auctor demonstrauerat. Mittit ad pro-

ego legi *calamitatem*, neque in contextu mutilo quidquam muto.«

55) Cod.: *calamitatē*, h. e. calamitatem.

56) Cod.: st*h*omacum.

57) Sic *Maius*, *Cramerus* cum *Heinrichio*, *Peyronus*, *Huschkius*, qui etiam ostendit, caussam nullam fuisse, cur *Beierus* illo reiecto substitueret *repleret*. Nam in Codice initiales duae illae litterae non sunt legibiles.

58) Cod.: Popilīana. Qua de re uideslis *Huschkium* ad h. l. et in Addendis p. 374.

59) Codex QUI continere dicitur: sed una haec littera finalis nunc plane illegibilis est, incertaque I an E. Adeo uereor, ne quod pro I legerunt, posterior ductus sit praecedentis litterae U: cui fortasse breuissimis duabus lineolis in dextram porrectis τὸ E (sicut saepe in hoc Codice plures litterae communibus ductibus iunguntur) agglutinatum fuerit.

60) Syllabam SE mihi uisus sum in extremo hoc uersu, ultra terminum proiectam, conspicere, magis aliquanto caeteris euanidam.

61) Rursus undecim uersus duodenarum circiter litterarum desiderantur. Ad sententiam probabile hocce *Beieri* supplementum: »pater possederat *sine ulla unquam controuersia. Iste demum uicinus nouus improbae spei eo securior, quod M. Tullius abesset, coepit inhiare, cum ei centuria Populiana uideretur satis commode* posita esse«, rel.

62) Cod.: *paenitebat*. Conf. *Beieri* notam.

63) Desunt undecim uersiculi. *Beierus:* »uiro optimo. *Is Romae uersabatur, quum subito nuntii M. Tullio ueniunt a uilla, P. Fabium fundi illius finitumi maio-*

curatorem litteras et ad uilicum Tullius ----------[64]) facturum negauit; illis absentibus fines[65]) Acerronio demonstrauit: neque tamen hanc centuriam Populianam uacuam tradidit. Acerronius, quomodo potuit, se de tota re ex[66]) -----------[67]) † Ambros. Fol. III. † Explicit Ambros. III.

18. † mine eiusmodi semustilatus effugit[68]). Adducit iste interea in saltum homines electos maximis animis et uiribus, et iis[69]) arma, quae cuique habilia[70]) atque apta essent, comparat: prorsus, ut quiuis intellegeret, non eos ad rem rusticam, uerum ad caedem ac pugnam comparari. † Incipit Ambros. IV.

19. *B*reui[71]) illo[72]) tempore Q. Cati Aemiliani, ho-

rem, quam ipse nuper cum Cn. Acerronio emisset, modum proscripsisse.« — *Huschkius:* »uiro optimo: *cum igitur nemo emere uellet, huic socio fundum impegit. Is tum Romae agebat, cum Tullio nunciatur, nouos uicinos maiorem, quam ipsorum esset, fundi* modum proscripsisse.« — Nos de supplendae huius lacunae ratione supra egimus pag. 607. sq.

64) Decem hosce uersus tali modo *Huschkius* suppleuit: »Tullius; *cauerent finiumque demonstrationi interessent, admonet. Hi Fabium adeunt, et, cum fines demonstrarentur, se aduocaret, uerecunde petunt: at ille se* facturum negauit*a* rei.

65) Vix dubito, quin FINIA fuerit scriptum, quamquam paullo superius in h. §pho distincte legitur FINES.

66) De proximis hisce uerbis cum *Niebuhrii* coniectura uide quae supra disputauimus pag. 608. sqq.

67) Desiderantur undecim uersus, primus non legibilis, praeterquam quod in fine haud dubie litterae UM conspiciuntur, reliqui decem cultro desecti. De supplendi coniecturis et quanto fortasse maior sit lacuna, supra pag. 609. seqq. disputatum est.

68) De his uerbis uide supra l. mo. l.

69) Cod.: IA.

70) Cod.: *abitalia.*

71) Non legitur B initialis, ex more lineam egressa, ut opinor.

72) Recte Codicis eam lectionem ab *Crameri* coniectura ILLI *Huschkius* defendit. De sermonis figura uidesis nostra ad c. 7, 19. *pro Caecina*, h. sup. pag. 291. not. 26. Ad exempla ibi allata adde: *pro Cluentio* c. 7. *extr.*, *in Verrem II.*, 26. *de Oratore I.* 37.

Ambros. Fol. IV. minis honesti, quem uos nostis, duo homines occiderunt; multa alia fecerunt; passim uagabantur armati; non obscure, sed ut plane intelligere uiderentur, ad quam rem parati essent, agros, uias denique infestas habebant. Venit in Thyrinum[73]) interea Tullius. Deinde iste paterfamilias Asiaticus, beatus nouus[74]) arator et idem pecuarius, cum ambularet in agro, animaduertit in hac ipsa centuria Populiana aedificium non ita magnum, seruumque M. Tulli *Philinum*[75]).

20. Quid uobis, inquit[76]), 'stic negoti immeo est? Seruus respondet pudenter, at non stulte, dominum esse ad uillam, posse eum cum eo disceptare, si quid uellet. Rogat Fabius Acerronium, nam ibi tum erat, ut secum simul ueniat ad Tullium. Venitur.[77]) Ad uillam[78]) erat Tullius. Appellat Fabius, ut aut ipse Tullium deduceret aut ab eo deduceretur. Dicit deducturum se Tullius; uadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea condicione Fabius. *Mature*[79]) disceditur.

21. Proxima nocte iam fere cum lux adpropinquaret, ad illud aedificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, serui P. Fabi frequentes[80]) arma-

73) Cod.: *Tyrinum.*

74) Sic Codex; non NOUS. Conf. *Peyroni* Corrigenda.

75) Cod.: FILIUM. Sed in §. 22. habetur: »*Philinus, quem antea nominaui.*«

76) Cod.: INQUID.

77) Parua est inter litteras T et R membranae lacuna, scripto haud dubie uetustior. Cui ductus illi duo, quibus U littera constat, ab utroque latere circumdati esse uidentur.

78) Cod.: UILLA, quoad oculis cerni potest.

79) Optime haec *Peyroni* coniectura ductibus in Codice conspicuis conuenit.

80) Sic Cod., non FREQUE TES. Nam in fine prioris uersus supra E ad dexteram certissime conspicitur lineola illa, quae litteram M significare solet. Quae in sequenti uersu parua extat membranae lacuna, ea uetustior est scripto, ut paullo superius et saepe alias.

tique ueniunt; introitum ipsi sibi *ui* [81]) manuque patefaciunt; homines magni pretii [82]) seruos M. Tulli nec opinantes adoriuntur, quod*que* [83]) facile factu fuit, neque tam multos neque repugnantes multi armati paratique occidunt [84]), tantumque odii crudelitatisque *hab*uerunt [85]), ut eos omnes gurgulionibus insectis [86]) relinquerent, ne, si quem semiui*u*um [87]) ac spirantem etiam reliquissent [88]), minor *iis* [89]) honor haberetur; praeterea [90]) tectum uillamque disturban*t* [91]). Ambros. Fol. IV

22. Hanc rem tam atrocem, tam indignam, tam repentinam, nuntiat M. Tullio Philinus, quem antea nominaui, qui grauiter saucius e *c*aede [92]) effugerat. Tul-

81) Hanc emendationem, iam ab *Heinrichio* commendatam, ualidis argumentis *Huschkius* firmauit.

82) Cod.: *praetii.*

83) Firma ratione haec quoque *Huschkii* coniectura constare uidetur.

84) Cod.: OCCIDUM̊NT; quod exempli caussa commemoratum nolui.

85) Non leguntur priores tres litterae, quibus tamen iustum est in Codice spatium.

86) *Martianus Capella* V, 509.: »ut cum Cicero, uolens crudelitatis inuidiam facere, ait: *gurgulionibus exsectis reliquerunt*, et *uirgis plebem Romanam concidere.*« Conf. *Koppium* ad h. l.

87) Cod.: SEMIUIUUM.

88) Cod.: relinquissent.

89) E Codice *Peyronus* exhibuit *his*, sicut *Maius* in Ed. pr. Sed non potui equidem adeo singulos ductus distinguere, ut oculis cernerem, IS an HIS scriptum fuisset. Quo igitur iure *his*, eodem etiam *iis* (ad exemplum, quod in nota 69. modo comparuit) legere licet. Hoc autem sententiam postulare, mihi *Huschkius* ad h. l. probauit. *is* etiam *Maius* in Ed. 1828. dedit. Tantum malim dictionem *honorem alicui habere* uulgari sensu intelligere quam ad iustum quoddam praemium referre. Praeter loca ab illo collecta conf. etiam *in Verrem* I, 15, 38. — Caeteroquin illud certissimis exemplis constat, non esse *sibi* pro *iis* desiderandum.

90) Littera A in fine uersus non conspicitur.

91) Desideratur τὸ T, nec memoria teneo, num parua forte quadam lineola in fastigio litterae N significatum fuerit.

92) Cod.: EXDE.

Ambros. Fol. IV. lius statim dimittit ad amicos, quorum ea uicinitate [93]) tum illa[94]) bona atque honesta copia praesto fuit. Omnibus acerba res et[95]) misera uidebatur, cum amici in

† Explicit Ambros. Fol. IV. et ultimum. comm † [96]) ——————————————

23. ——————————————————[97])

93) *Beierus* coniecit EX pro EA: sed nihil uidetur Ablatiuus ille absolutus offensionis habere.

94) Efficaciter *Huschkius* genuinam certamque hanc Codicis lectionem a *Crameri*, *Heinrichii*, *Beieri* tentaminibus *(illi, illico)* tutatus est.

95) Magis uidetur EN in Codice esse quam ET, quod *Peyronus* exhibuit.

96) *Maius*: »incommodum« uel »in communi.« — *Beierus*: »in commune *consuluissent* (uel: *consilia contulissent*): *uisum est* (uel: *placuit*) *ire in rem praesentem.*« — *Huschkius*: commemorationis. (Cf. quae V. D. addidit pag. 136.) — Incertissima, puto, omnia.

97) In hac lacuna, ut recte *Huschkius* statuisse uidetur, tantum fere nobis interiit, quantum duobus tribusue foliis ad Taurinensium modum contineri potuit. Amisimus nimirum narrationis finem, partitionem et initium confirmationis. Quorum unam quandam portiunculam *Peyronus* e *Victorino* in Lib. I. *de Inuentione* (ap. *Orellium* pag. 63, 40.) in haec uerba restituere conatus est:

Dicam uim factam a P. Fabi familia, aduersarii non negant; damnum datum esse M. Tullio, concedis: uici unam rem. Vim hominibus armatis factam non negas: uici alteram. Dolo malo factum negas: de hoc iudicium est.

Caue autem credas, eiusmodi fragmentum nobis esse a Victorino totidem uerbis conseruatum atque transmissum. Immo quae ex hac oratione ab illo exhibentur, propria Auctoris disputatione (ad I. *de Inuentione* 22.) sic intexta et quasi inuoluta sunt: ». . . partitio species habet duas: unam, quae, quid cum aduersariis conueniat, docet, et quid in controuersia sit; alteram, quae distributionem habet membrorum in reliquam orationem. Illa superior species, quum proposuerit, quid conueniat, id ipsum ad se inclinat, ut pro se faciat id, quod aduersarius confitetur: postea uero subiungit id, quod sit in controuersia. Fecit hoc Cicero pro M. Tullio: *Dicam*, inquit, *uim factam a P. Fabii familia; aduersarii non negant.* Hic proposuit quod aduersarii fateantur. Deinde ipsum pro se fecit, dicendo: *Damnum datum esse M. Tullio, concedis: uici unam rem.* Item adiunxit alteram partem, in qua confessionem docet, quum dicit: *Vim hominibus armatis factam non negas: uici alteram.* Post, quid in controuersia sit, proponit, quum dicit: *Dolo malo factum negas: de*

24. † turbarunt [98]). Audite, quaeso, in eas res, quas commemoro, hominum honestorum testimonium. Haec † Incipit Taurin. Fol. III

hoc iudicium est. — Hactenus *Victorinus.* Sed praeterea etiam *C. Iulius Victor* Grammaticus (ap. Orell. pag. 240.) hunc locum commemorat: »Partitionis, inquit, partes sunt duae . . .: una pars est, quae quid cum aduersariis conueniat, et quid in controuersia relinquatur, ostendit . . .; altera est, in qua rerum omnium, de quibus erimus dicturi, breuiter expositio ponitur distributa . . . Sic et M. Tullius fecit pro Tullio: *damnum datum Tullio et ui hominibus armatis et a familia P. Fabii constare* dicit; *in controuersia autem esse, an dolo malo damnum datum sit;* quod est τὸ κρινόμενον, quodque adiunatur plurimum ex his, de quibus conuenire constitit. Idem: *dolum malum esse, quum familia armata sit, quum ad uim uenerit, quum damnum intulerit* « (Extrema haec inferius eruut ad §. 34. b. or'. adhibenda, conf. not. 132.). — Ecce denique tertius Auctor, *Martianus Capella V*, 556. (Ed. *Koppii* pag. 471.) *De Partitione.* « Hic igitur manifestum est, intra partitionem quaestiones esse ponendas. ... Illud etiam inspiciendum, quae nobis cum diuersa parte conueniant, quae in controuersiam deuocentur; et ea, quae conueninut, tunc enumeranda, si nobis prosunt, ut Cicero pro M. Tullio ait: *damnum passum esse M. Tullium conuenit mihi cum aduersario; ui hominibus armatis rem gestam esse non infitiantur; a familia P. Fabii commissam negare non audent; an dolo malo factum sit, ambigitur.«* — Quibus omnibus probe inter se collatis atque recte perpensis primum mihi illud persuasum est, optimo iure *Peyronum* hisce reliquiis locum in proposita lacuna, h. e. in orationis partitione, attribuisse, *Beierum* uero uehementer errasse, qui in mediam confirmationem (post §. 36.) illas transtulerit; qua de re *Huschkius* ad h. l. uberius egit: tum in eo quoque ualde *Huschkio* assentior, quod planum fecit, non posse e Victorini uerbis, quemadmodum *Peyronus* et *Beierus* exigua uarietate tentauerunt, genuinam hanc Tullianae defensionis particulam repraesentari. Quam ipse denique coniecturae uiam demonstrauit, eam si sequaris, tale fere supplementum, ad *Capellae* potius quam *Victorini* uerba accommodatum, si non certum, at quum sententia tum uerbis magis uerisimile fuuerit: *Damnum passum esse M. Tullium, conuenit mihi cum aduersario: uici unam rem. Hominibus armatis rem esse gestam, non infitiantur: uici alteram. A familia P. Fabii commissam, negare non audent: uici tertiam. An dolo malo factum sit, ambigitur: de hoc iudicium est.*

98) Huschkius: *homines occide-*

Taurin. Pal. III. quae mei testes dicunt, fatetur aduersarius eos uere dicere; quae mei testes non dicunt, quia non uiderunt, nec sciunt, ea dicit ipse aduersarius. Nostri testes dicunt, occisos homines, cruorem in locis pluribus[99]), deiectum aedificium se uidisse; dicunt nihil amplius. Quid Fabius? Horum nihil negat. Quid ergo addit amplius? Suam familiam fecisse dicit. Quomodo? Ui hominibus armatis. Quo animo? Ut id fieret quod factum est. Quid est id? Ut homines M. Tulli occiderentur.

25. Quod ergo eo animo factum est, ut homines unum in locum conuenirent, ut arma caperent, ut certo consilio certum in locum proficiscerentur, ut idoneum tempus eligerent, ut caedem facerent, id si uoluerunt et cogitarunt et perfecerunt: potestis eam uoluntatem, id consilium, id factum a dolo malo seiungere?

26. At[100]) istuc totum DOLO MALO additur in hoc iudicio eius causa, qui agit, non illius, quicum agitur. Id ut intelligatis, Reciperatores, quaeso, ut diligenter attendatis. Profecto, quin ita sit, non dubitabitis.

27. Si ita iudicium daretur, ut id concluderetur, quod a familia factum esset; si quae familia ipsa in caede interesse noluisset et homines aut seruos aut liberos coegisset aut conduxisset; totum hoc iudicium et Praetoris seueritas dissolueretur. Nemo enim potest haec[101]) iudicare, qua in re familia non interfuisset, in

runt, uillam disturbarunt. — Conf. quae ad h. l. de uniuersa lacuna ad sententiam explenda egregie disserit.

99) Cod.: PLURIMB. —

100) Cod.: AD. — Conf. *Quinctilian. Inst. orat. I*, 7, 5.

101) Sic distincte in Codice legitur. *Beieri* coniectura est: *post-haec* iudicaret, non: potest *post-haec* iudicare. Sed nihilominus eum *Huschkio* mihi uidetur reiicienda esse.

ea re eam ipsam familiam ui armatis hominibus damnum dedisse. Ergo id quia poterat fieri et facile poterat, idcirco non satis habitum est quaeri, quid familia ipsa fecisset, uerum etiam illud, quid familiae dolo malo factum esset. Taurin Fol. III.

28. Nam cum facit ipsa familia ui armatis coactisue hominibus et damnum cuipiam dat, id dolo malo fieri necesse est. Cum autem rationem init, ut id [102]) fiat, familia ipsa non facit, fit autem dolo malo eius. Er†go addito DOLO MALO actoris et petitoris fit causa copiosior. Utrum enim ostendere potest, siue eam ipsam familiam sibi [103]) damnum dedisse, siue consilio et opera eius familiae factum esse, uincat necesse est. † Explicit Taurin III In ima pagina dextrorsum habetur XIII sicut sup. p. 2a fuerat VIIII. (Peyr. Corr.) Incipit Taurin. IV.

29. Videtis Praetores per hos annos intercedere hoc *interdicto uelut inter* [104]) me et M. Claudium [105]): UNDE DE DOLO MALO TUO, M. TULLI, M. CLAUDIUS AUT FAMILIA AUT PROCURATOR EIUS UI DETRUSUS EST, cetera ex formula [106]).

102) Cod.: EA.

103) Sic distincte Codex. Quod autem *Huschkius* pro SIBI desiderauit UI, id neque ratione neque exemplis (conf. sup. § 21. h. or.ª et L. 2. § 17. Vi bon. rap.) satis mihi probauit.

104) Recte se habet, ut puto, locus sic ab *Huschkio* restitutus. *Peyronus* antea scripserat *interdicto inter*, eumque *Beierus* secutus erat. Mihi intentissime Codicem perscrutanti nihil apparuit, unde quicquam corrigerem.

105) Fictitiorum nominum exempla praeter *Aulum* illum *Agerium* cum *Numerio Negidio* agentem uideas in c. 20. *Legis Rubriae*, *Cic. p. Caec.* c. 19., *in Top.* 3, 14., *p. Mur.* c. 12., *Gell.* XVI, 4. etc.

106) *Caetera* haec quae fuerint, supra Lib. II. Cap. 1. § 2. p. 293. (conf. p. 304.) demonstratum est. Ad ipsam dictionem *caetera ex formula* (i. e. caetera, quemadmodum solemni, quam Praetor habet, formula continentur) proxime accedunt exempla *Gai.* IV, 43. CONDEMNATO *et reliqua* (modo illud *Huschkio* non concedo, quod uoces *et reliqua* partem formulae esse putauit); *Vatic. Fragm.* § 90. »Utile *autem interdictum Quod legatorum formula* tali concipiendum est: QUOD DE HIS BONIS LEGATI NOMINE POSSIDES, QUODQUE

Taurin. Vol IV.

Sicut[107]) ita interdictum est et sponsio facta, ego me ad iudicem si defendam, ui[108]) me deiecisse confitear, dolo malo negem; ecquis[109]) me audiat? Non opinor quidem. Quia si ui deieci M. Claudium, dolo malo de-
30. ieci; in ui enim dolus malus inest: et Claudio utrumuis satis est planum facere, uel se a me ipso ui deiectum esse, uel me consilium inisse, ut ui deiiceretur[110]): Plus igitur *ualet* Claudi *causa*, *si*[111]) interdi-

UTERIS FRUERIS, QUODQUE DOLO MALO FECISTI, QUOMINUS POSSIDERES, UTERERIS FRUERERIS, caetera;« — *Cic. de Inuent.* II, 42, 122. »Paterfamilias ... in testamento ita scripsit: SI MIHI FILIUS GENITUR UNUS PLURESUE, IS MIHI HERES ESTO. *Deinde quae assolent.*«

107) De hoc usu uocis *sicut* conf. *pro Caecina* c. 28, 80. »Aebutius autem, qui fatetur, aliquo ex loco deiectum esse Caecinam, is, *quomodo* se restituisse dixit, necesse est male fecerit sponsionem.« — In loco uexatissimo ne minima quidem placet negligere.

108) Quod *Peyronus* contra Codicis fidem scripsit *ut ui*, quum particulam *ut* absorptam a sequenti *ui* putaret, mihi cum caeteris necessitatem habere nullam uidetur, ac malo concitato oratoris sermoni quam librarii mendo tribuere, quod in coniunctione sententiarum offendere hoc loco potuerit. Caeterum totam hanc sententiam *(sicut — audiat)*, falsa distinctione ab anterioribus Editoribus male turbatam, recte *Huschkius* restituit.

109) Cod.: ETQUIS. — Usitatam secutus sum cum *Orellio* scripturam. Quod *Peyronus* scripsit, »Hoc esse etymon uocis *ecquis* tradit *Priscianus* Lib. I.,« nihil equidem tale reperio; immo apud eum Auctorem, Lib. I. Cap. 7. § 40. (Ed. *Krehl.* p. 38. *Putsch.* p. 556.) haec lego: »Transit ... consonans *N* etiam ... in *C*: *ecquid* pro *enquid*.« Neque ualide consistere uidetur quod ad sensum inter *ecquis* et *et quis* discrimen *Huschkius* statuit. Conf. h. sup. pag. 523. not. 400. et *Maium* ad l. n. in Ed. 1828.

110) Cod.: *deiceretur*.

111) Huius uersus talis in Codice figura est:

ooooo CLAUDI oo U ooo

Ex quibus *Peyronus* haec formauit: *prodest* Claudio *cum*; *Beierus*: *datur* Claudio cum *ita*; *Huschkius*: *ualet* Claudi *causa si*. — Mihi nouissima haec coniectura adeo caeteris praestare uidetur, ut, donec plane certi aliquid e Codice extricetur, nolim eam dimittere. Fateor quidem, me ante litteram c *(Claudi)* aliquando a conspicere mihi uisum esse; at in-

citur, unde dolo malo meo[112]) ui deiectus sit, quam si daretur, unde a me ui deiectus esset. Nam in hoc posteriori, nisi ipse egomet deiecissem[113]), uincerem Taurin. Vol. IV.

certius erat uestigium, quam ut lectioni *datur*, ualde, si ulterius prospicias, inconcinnae, opitulari possit.

112) Edd. omnes: *unde a dolo malo meo*. Mihi certissimae emendationis ratio est reddenda. Atque *Peyronus* quidem scriptum in Codice sic repraesentauit:

DOLOMALO
INTERDICITURUNDEAMEO

Quae quo absolutior existat imago, haec addenda sunt:

1°. Littera O in MEO haudquaquam pari est ac caeterae figura, sed minutissima forma, supra lineam elata ac mediae fere litterae E, quae praecedit, adsuta, ut primo adspectu adeo dubitatio possit moueri, sitne illa littera alphabeti, an nota solum, qua quo uoces illae DOLO MALO, supra lineam insertae, pertineant, demonstretur: — denique nullo dubio corrigendi consilio adiecta.

2°. Littera A inter uoces UNDE et MEO punctum habet, lineolamue dixeris, in uertice, usitatam expungendi notam, cuius ex utroque Codice exempla supra exhibui in nott. 84. et 99. (Conf. *Mai* Praef. ad Libros de Rep. p. LX. Ed. 1828. »Si uerba, inquit, addenda sunt, ea supra uersum, rarius in margine, adscribuntur; sin detrahenda, ea punctis saepe superne, raro inferne notantur. Hinc *expungere* pro *delere*.) Quae nota ut primum intuenti minus sit conspicua, ea caussa est, quod, spatio propter insertum illud DOLO MALO deficiente, ipsi litterae A quodammodo agglutinata est. Conspicitur tamen intenta acie oculorum: eiusque rei grauissimum habeo testem atque exoptatissimum, ipsum *Peyronum*, qui demonstranti mihi, quum singulas litterarum figuras cum nota illa deletrici etiam depinxisset, auctorem confirmatoremque se professus est. Quid ergo est? Tria sunt in pristina scriptura huius uersiculi nouata: primum A ante ME expunctum, tum ME in MEO mutatum, tertium DOLO MALO ante MEO suppletum. Enimuero quid antea scripserat librarius? Attendas, quaeso. Nempe postquam scripserat INTERDICITUR, non quod in exemplari continuo sequitur UNDE adspexit, sed in idem uocabulum UNDE duobus uersibus inferius oculis incidit, atque ab hoc inde scribere coepit UNDE A ME VI DEIECTUS: tum errore intellecto tribus illis partim suppletis partim detractis mendum correxit. Ex quo perspicuum est, in contextu non coniecturam me, sed genuinam ipsius Codicis scripturam tibi obtulisse.

113) *Peyronus* e Codice:

M
DEIECISSEUINCERERM.

Taurin. Fol. IV. sponsionem; in illo priore, ubi dolus malus *ad*ditur[114]), siue consilium inissem, siue ipse deiecissem[115]), ne-

Equidem ipsam litteram M superne adiectam oculis cernere non potui; tamen uidetur aliquid adesse, quo M suppleatur.

114) *Peyr.* e Codice: ADDITUR. Sed non plane certus sum, Codex habeat *auditur* an *additur*; quod iam *Beierus* recte restituit.

115) Edd. omnes: »siue consilium inissem *ut ui deiceretur*, siue ipse deiecissem« rel. Meum autem est, caussam probare, cur uerba *ut ui deiceretur* eiecerim. *Peyronus* talem hac parte Codicis imaginem nobis tradidit: Imus uersus in p. 51. (probe nosti, non solum uersuum, uerum etiam paginarum diuisionem religiose Virum illustrem nobis conseruasse) sic habetur:

SIUECONSILIUMINISSEM

tum primus uersiculus in p. 52. sic:

[illegible]

UTUIDEIICERETURNECES

typis distinctus, ac litteris UR lineolarum traductarum opa deletis. In Corrigendis *Peyronus* adiecit: *Non erat, cur haec linea grandioribus litteris scriberetur.* Ego uero monitum te uelim, in membrana male hunc uersiculum habitum esse, nec satis sciri posse, quae fortasse praeter punctum illud super alterum I et lineolas per litteras UR ductas aliae quoque delendi notae extiterint. — Quibus praemissis ut ipsam scripturam ob oculos ponamus, palam est, librarium prius scripsisse: *siue consilium inissem ut ui deiiceretur necesse* rel., uerba uero *siue ipse deiecissem* omisisse, tum errore comperto superne haec suppleuisse. Sed quid ita uocem *deiiceretur* ab extremis litteris destruere coepit? Scriptumne uoluit *deiiceret?* At sensu caret. An *deiicerem?* Haud minus foret absurdum; neque uideo litteram T eum expunxisse. At enim littera M conspicitur ante *siue ipse deiecissem*. Ecce hoc ipsum ueri primum uestigium! Nam quid sibi uelit praefixa illa littera M, equidem aliter non intelligo, nisi ut demonstretur, quo uerba superne adiecta *siue ipse deiecissem* pertineant, et unde eorum lectio continuanda sit. Quorsum igitur hoc M demonstrat? Nempe extrema est littera uocis *inissem*, quae uersum paginamque praecedentem claudit. Ne multa. In eundem errorem librarius hoc loco incidisse uidetur, quem paullo antea in nota 112. ostendimus. Nimirum, quum in extrema pagina scripsisset *consilium inisset*, et ab his debuit in sequenti pagina pergere, paullo superius in hac §pho uerba ualde similia *consilium inisse* respexit, et ab illis perrexit scribere *ut ui deiiceretur*; quod inter moram folii uertendi nouaeque paginae incohandae tanto facilius potuit oscitanti accidere. Mox substitit, mendumque correxit supplendo omissa, iungendo suppleta cum extremo prioris pa-

cesse erat *de*[116]) dolo malo meo[117]) ui deiectum iudicari. Taurin. Fol. IV.

31. Hoc persimile atque adeo plane idem est in hoc iudicio, Reciperatores. Quaero enim abs te, si ita iudicium datum esset: QUANTAE PECUNIAE PARET A FAMILIA P. FABI *UI*[118]) HOMINIBUS ARMATIS DAMNUM M. TULLIO *FACTUM*[119]), quid haberes, quod diceres? Nihil, opinor. Fateris enim omnia, et familiam P. Fabi fecisse, et ui hominibus armatis[120]) fecisse. Quod additum est, DOLO MALO, id te adiuuare putas; in quo opprimitur et excluditur omnis tua defensio[121]).

32. Nam si additum id non esset, ac tibi libitum esset ita defendere[122]), tuam familiam non fecisse, uinceres, si id probare potuisses. Nunc, *siue*[123]) illa defensione uti uoluisses, siue hac, qua uteris, condemneris necesse est: nisi putamus, *eum in iudi*cium[124]) uenire,

ginae uocabulo, denique, si praeterea opus esset, nescio quo modo delendo quae aliena intulerat.

116) Cod.: TE. — *Beierus*, tum *Huschkius* et *Orellius*, ut supra.

117) Hoc uocabulum MEO *Peyronus* tradidit superne in Codice esse suppletum. Est aliquid superne suppletum, ueram esse arbitror ac necessariam lectionem MEO, sed, ut uerum fatear, singuli ductus omnes prorsus mihi uisi sunt incerti.

118) Vox *ui* non habetur in Codice, sed perinde ac supra in §21. necessaria ratione mihi uidetur ab *Huschkio* restituta. Etiam h. l. antecedit syllaba ai. Desuper anterior syllaba FA in fine uersus posita est.

119) *Peyronus* tradidit, in Codice esse...TUM. Ipse edidit *illatum*, *Beierus* cum *Maio*, *Husckkio* et *Orellio factum*. Quos sequor; nam mihi quoque magis est probabile, tres quam duas litteras (ut *datum* fuerit scriptum) deesse in lacuna, quae caeteroqui non scripturae solum, sed etiam membranae est.

120) *Peyr.* e Cod.: ARMATS. At in Corr.: ARMATIS: ut est.

121) Recte *Huschkius* interrogationis notam, a *Beiero* positam, sustulisse uidetur.

122) Cod.: *defenderem*.

123) Cod.: *sibe*.

124) *Peyronus*, »Ita, inquit, suppleui mutilum uersum«; quem

Taurin. Fol. IV. qui consilium inierit, illum, qui fecerit, non uenire; cum consilium sine facto intelligi[125]) possit, factum sine consilio non possit. An quod factum eiusmodi est, ut sine occulto consilio, sine nocte, sine † ui, sine damno † Explicit Taur. Fol. IV. Incipit V. alterius, sine armis, sine caede, sine maleficio fieri non potuerit, id sine dolo malo factum iudicabitur?

33. An qua in re Praetor[126]) illi improbam defensionem tolli uoluit, in ea re mihi difficiliorem actionem factam putabitis? Hic mihi isti singulari ingenio uidentur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi adripiunt, et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. Nam in dolo malo uolunt delitescere[127]), in quo non modo cum omnia ipsi fecerunt, uerum etiam si per alios id fecissent, haererent ac tenerentur.

34. Ego non in una re sola (quod mihi satis est), neque in uniuersa re solum (quod mihi satis est), *sed*[128]) singilatim[129]) in omnibus dolum malum extare

ad Codicis speciem sic exhibuit:

MUS∘∘∘∘CIUM

Quare diligenter *Beierus*: »In folii imagine quatuor tantum litterarum litura est. Itaque otiosum pron. *eum* abiecimus.« — At *Huschkius* regessit sagacius: »Sed cum hoc modo uersus efficiatur ceteris longe breuior, uereor, ne hic minore diligentia, quam alias solet, uersatus sit uir nauissimus, ideoque eius supplementum retinui.« Et recte. Nam quae supersunt quatuor litterae CIUM, seu uestigia magis sint litterarum appellanda, ea in fine uersus conspicua sunt, ut una solum littera is uersus antecedente sequenteque breuior sit, medium uero, quod reliquum est, spatium, *Peyroni* coniecturae prorsus conueniat.

125) Cod.: *intellegi*.

126) Cod.: P. R. (Cf. *Peyr.* in Corr.), — mendo uulgatissimo.

127) Cod.: *delitiscere;* — quod unus retinendum sibi ac defendendum *Maius* putauit.

128) Cod.: *Set*.

129) Sic Codex habet, atque *Huschkius* cum *Peyrono* et *Maio* seruauit. *Beierus* cum *Orellio*: *singulatim*.

dico. Consilium capiunt, ut ad seruos M. Tulli ueniant: dolo malo faciunt. Arma capiunt: dolo malo faciunt. Tempus ad insidiandum *at*que[130]) celandum idoneum eligunt: dolo malo faciunt. Vi in tectum inruunt: in ipsa ui dolus est. Occidunt homines, tectum diruunt: nec homo occidi nec consulto alteri damnum dari sine dolo malo potest. *Erg*o[131]) si omnes partes sunt eiusmodi, ut in singulis dolus malus haereat[132]), uniuersam rem et totum facinus sine dolo malo factum iudicabitis? Taurin. Vol. V.

35. Quid ad haec Quintius? Sane nihil certum[133]) neque unum, in quo non modo possit, uerum putet se posse consistere. Primum enim illu*d*[134]) in*iecit*[135]), nihil posse dolo malo familiae fieri. Hoc loco non solum fecit, ut defenderet Fabium, sed ut omnino huiuscemodi iudicia dissolueret. Nam si uenit id in iudicium de familia, quod omnino familia nulla potest committere, nullum est iudicium; absoluantur omnes de *s*imil*i*[136]) causa necesse est.

130) Cod.: a*d*que, et ita caeteri praeter *Orellium*. Cf. *Beieri* nota.

131) Cod.: ∘∘GO. *Peyr.*

132) Apte *Peyronus* ad h. l. monuit, huc spectare, quod apud *Boethium de definitione* p. 23. Ed. Paris 1544.) habetur: »Hoc etiam pro M. Tullio tenet (scil. Cicero), ubi per enumerationem modorum, per quos fit dolus malus, definitio ita fit, ut singulis speciebus dolus malus possit agnosci.« — *Beierus* etiam duos locos e *Iulio Victore* addidit, quorum primum iam supra ad §23. in nota 97. in medium protuli; alter autem (e cap. 6. §1., ap. Orellium p. 219.) haec continet: »a modo in finem, ut M. Tullius dolum circa seruos P. Fabii definiuit ex eo, quod insidiati sint.«

133) Cod.: CERTIUM.

134) Cod.: illu*t*.

135) Cod.: I∘∘∘C∘T. *Peyronus*: *iniecit*, quod merito omnibus probauit. Neque in Codice quidquam repugnat. Certe minus constat de numero litterarum inter I et C.

136) *Peyronus* e Codice: S∘∘ILI, ut consonam M uix apparere aditciat. Equidem posteriorem ductum litterae M (uti adsolet, curuum) certo uestigio deprehendere

Taurin. Fol. V. 36. Hoc solum, bona mehercule *fide* [137]), si hoc solum esset [138]), tamen uos, tales [139]) uiri, nolle deberetis [140]), maximam rem, coniunctam cum summa repu-

mihi uisus sum. Utique non dubium est, quin SIMILI uera sit lectio. Sed de sententia uerborum *de simili causa* nonnulla mihi est cum VV. DD. dissensio. Quorum iam *Peyronus* exempli loco e *Cic. ad Q. Fratrem* II, 16, 3. attulit: »(Drusus erat) de praeuaricatione (a tribunis) absolutus.« Quod quum *Beierus* traditum accepisset, *Huschkius* etiam ex *I. ad Herenn.* 6, 9. addidit: »Deinde cum diu rem anxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus, aut aliquorum iudicium *de simili causa* aut de eadem aut de minore aut de maiore proferemus.« Quae omnia neque exempla praebent dictionis *de causa absolui* pro *iudicio absolui*, et sunt omnino, nisi tota ratio me fallit, ab hoc loco alienissima. Quid multa? Vix dubito, quin haec uerba *de simili causa* tantundem ualeant ac *propter* seu *ob similem causam* (uidelicet quod nihil possit dolo malo familiae fieri). Profecto abundant exempla dictionum ueluti *simili de causa*, *ex simili causa*, *de magna causa*, *de causis pluribus;* quamquam, ut uerum fatear, nullum mihi praesto est, quo id ipsum *de simili causa* totidem uerbis contineatur.

137) Hanc uocem, coniecturam a patruo sibi oblatam, *Huschkius* noster recepit, eamque conseruaui, quum prae caeteris mihi sit probabilis. Quae collegit V. D. exempla, utcunque putantur idonea (sunt *Plauti Captiu.*IV, 2, 109. sqq. *Mostellar.* III, 1,139. sq. *Pseudol.* IV, 6, 33. *Terentii Heauton-tim.* IV, 5, 13.), iis addenda fortasse etiam *Plauti Poenul.* I, 3, 30. *Cic. de lege agraria* II, 37. *Philipp.* VI, 4, 11. — In Codice nihil extat, ne lacuna quidem; prorsus excidерit aliquid necesse est. Haesit *Peyronus; Beierus* uero scripsit: »bona me Hercule *rese*, quum nocabulum inter LE et S excidisse putaret. Quem granate secutus est *Orellius*, dum *Neque tamen*, inquit, *ista exclamatio colorem habet Tullianum.* Ipse suspicatur: *Hoc solum? Non mehercule! sed si hoc solum esset.* — Censor Beierianae Ienensis: *Hoc solum ponam, mehercule: si.*

138) Cod. distincte, sicut *Peyronus* exhibet: EST.

139) *Peyronus* e Codice: TALIS. Ego extricare non potui, TALES an TALIS esset scriptum.

140) *Peyronus* e Codice: DESERETIS. — Mihi iterum atque iterum inspicienti nunquam liquebat, *deberetis* an *deseretis* scriptum adesset. Certe quo iure hoc legis, etiam illud legas licet. Itaque cum *Beiero* scripsi *deberetis*, sententia, puto, postulante. De loquendi fi-

blica [141]) fortunisque priuatorum, seuerissimum iudicium maximaque ratione compositum per uos uideri [142]) esse dissolutum. Sed non id solum agitur †—————[143]) † hoc iudicium sic exspectatur, ut non unae rei statui, sed omnibus constitui putetur † [144])—————

Taurin. Fol. V. † Explicit Taur. Fol. V. † Incipit Fragmentum e Prisciano. † Explicit idem.

gura *nolle debera* conf. de Off. I, 1, 2, et 6, 18., pro lege Manilia 16, 48., de Prou. consul. 14, 35., ubi uariatam inuenies dictionem *ualle debere*. Sed de totius periodi structura paulio inferius dicam in nota 142. Caeterum pro *nolle* Peyronus censuit reponendum esse *nolite*: nescio cui bono.

141) Non debuit *Huschkius* hanc beati *Orellii* coniecturam, infirmioribus exemplis (uelut *Seru. ad Aen.* II, 322. et *Cic. p. S. Roscio* 32, 91.) fretus, repudiare, quamquam Peyroniana Codicis imago exhibet SUMMARE. Utique non tam coniectura illa quam uerissima diuinatio fuit, quum in ipso Codice distincte appareat sic scriptum:

SUMMAREPFORTUNISQ.

sicuti etiam hoc loco *Peyronus* demonstranti mihi confirmauit.

142) Recte uereque *Peyronus* huius uersiculi talem e Codice offert imaginem:

UR
TUMPERUOSUIDERIESSE

Ex quo planum est, prima manu scriptum fuisse *uideri*, quod cum *Beiero* atque *Orellio* retinui. Nam quid sibi uelint adiectae illae litterae UR (quibus tamen sine coniecturae ope non conficitur *uideretur*, quod cum *Peyrono* et *Maio* *Huschkius* recepit), id prorsus me nescire, ingenue fateor. Num fortasse modo antea reapse *deseratis* librarius scripserat pro *deberatis*, eoque mendo siue ipse siue corrector in alium errorem inductus est? Mitto haec. Aliquando *Huschkius* sic coniecerat: »nolletis deserere maximam rem ... priuatorum, *ne* seuerissimum ... per uos uideretur esse dissolutum.« Sed eam coniecturam, audaciorem profecto quam utiliorem, amicis magis quam sibi probari, sibi uero *Beieri* potius quam suam placere rationem, lepide professus est.

143) Inter quintum hoc et sextum folium Taurinense quantum desit, sciri non potest. Qua de re conf. *Huschkius* in Praemonitis p. 87.

144) Recte quidem *Beierus* hoc fragmentum, a *Prisciano* traditum, in uacuo, quod inter quintum et sextum folium est, spatio collocauit; at merito *Huschkius* primum commenta illius, quibus haec cum extremis uerbis folii quinti coniungere uoluit, reiecit, tum mutatam uocis *unae* in *unius* formam reprehendit. Quippe integra *Prisciani* uerba (VI, 1, 5. p. 221. ap. *Krehl.*, p. 678. ap. *Putsch.*) haec sunt: »Itaque non solum una unius uni, sed etiam huius et huic

† Incipit Taurinense Fol. VI.

37. † ego intelligo[145]); et tamen dicendum[146]) est ad ea, quae dixit Quinctius; non quo ad rem pertineat[147]), sed ne quid, quia a me praetermissum *est*[148]), pro concesso putetur.

38. Dicis oportere quaeri, homines M. Tulli iniuria occisi essent necne. De quo hoc primum quaero, uenerit ea res[149]) in hoc iudicium[150]) necne. Si non uenit, quid[151]) attinet aut nos dicere aut hos[152]) quaerere? Si autem uenit, quid attinuit, te tam multis uerbis a Praetore postulare, ut adderet in iudicium INIURIA, et, quia non impetrasses, Tribunos pl. appellare,

unae, et similiter nilae, uullae, soise, totae, allae, alterae, in usu antiquiore inuenimus. Cicero pro M. Tullio: *Hoc iudicium sic expectatur, ut non unae rei statui, sed omnibus constitui putstur.*«

145) Cod.: iuteliego. — De probabili proximorum uerborum deperditorum sententia uide supra pag. 620. seq.

146) *Peyronus e Codice:* EGOINTELLEGOETTAMEN««; tum, *Primam*, inquit, *syllabam* DI *oblitteratam suppleui.* — Mihi haud obscurius quam alia multa conspicuae fuerunt in extremo uersu duae iliae litterae, eaeque, ut deficiente spatio uersusque finibus superatis, paululum sursum inflexae, sicut statim inferius in uocabulo SED iterum recurrit.

147) Sic certissime Codex, et recte caeteri coniecturam primi editoris, *pertineant*, reiecerunt.

148) Sic *Peyronus* e Codice, et sic omnes ediderunt. Ego uero in uersu uix legibili oculis discernere non potui, EST an SIT habeatur.

149) *Peyronus* duo haec uerba pro incertis exhibuit, et timidius quodammodo aduotauit: *Ita legere uideor fugientia litterarum uestigia.* — Equidem distiucte conspexi EARES, et quod *Beierus* interrogauit, an scriptum fuisset »ueneritne«, haudquaquam dubito negare.

150) Sic certissime Codex, et uix dubito, quin casu magis quam consilio a primo Editore in contextu datum sit *iudicio*.

151) Sic *Peyronus* e Codice. Incertum tamen mihi est, QUIN an QUIT fuerit scriptum; quamquam paullo inferius nullo dubio habetur QUIN.

152) Certissimam hanc *Beieri* emendationem, omnibus deinceps probatam, etiam Codex confirmat, quippe in quo HOS etiam magis conspicuum sit quam NOS (quod *Peyronus* exhibet), quum praeser-

et hic in iudicio queri [153]) Praetoris iniquitatem, quod de iniuria non addiderit [154])? Taurin. Fol. VI.

39. Haec cum Praetorem postulabas *atque* [155]) Tribunos appellabas, *nempe ita* [156]) dicebas, potestatem tibi fieri oportere, ut, si posses, reciperatores [157]) persuaderes, non esse iniuria M. Tullio damnum datum. Quod ergo ideo in iudicium addi uoluisti, ut de eo tibi

tim ductus transuersus litterae N incenlanter appareat. — Conf. h. sup. ad c. 17. pro Quinctio, p. 235. not. 88.

153) *Peyronus* e Codice: quaeri.

154) *Peyr.* e Cod.: ADDIDEBET, et ita *ipse*, tum *Maius* et *Beierus* dederunt *addi debet*: nullo hercle sensu. Primus *addiderit* coniecit *Orellius*, quod *Huschkius* sibi quoque prius placuisse refert; tum uero, inquit, admonitus, consecutionem temporum plus quam perfectum postulare, in *addidisset* mutaui. — Atqui talia sunt unicae illius syllabae, quae in hoc uersiculo scripta fuit, uestigia, ut oculorum acie non possit diiudicari, BET an RIT habeatur. Quare sententiae obtemperare placet, neque adeo perfectam firmamque illam sermonis legem repnto, ut inde depelli me sinam, quum praesertim uestigia nulla eo ducant, ut *addidisset* credamus scriptum fuisse. Quid quod etiam *Peyronus* in Corrigendis docet, *facile etiam legi posse* RIT *pro* BET, deinde totidem uerbis lectorem hortatur: *Ita corrige, suffragante etiam Palimpsesto?*

155) Versum ita *Peyronus* e Codice exhibet:

TULABAS ∞ MTRIBUNOS

Adnotauit, particulam *cum* (quam et ipse et deinceps caeteri in textu posuerunt) uix diuinando legi posse. Mihi Codicem inspicienti ne littera M quidem probabilis uisa est, uedum certa. Malim stellam. Deinde cuius litterae prima stella obtinet locum, eam puto A esse. Omnino denique uestigiis male uisa est conuenire particula *cum*. Nescio, an legendum sit ATQ. i. e. *atque*.

156) Sic *Peyronus* e Codice; tum adnotat: *Lectu difficilia*. Nil repugno. *Beierus* tentauit: *nimirum*; *Huschkius*: *tum nonne*; — tamen *Peyronum* omnes secuti sunt Editores. Et recte, ut puto; saltem mihi uisus sum A illud finale uocis ITA conspicere infra litteram N uocis TRIBUNOS.

157) Sic nullo dubio scriptum in Codice. Conseruauit *Peyronus*, dubitauit (propter Datiuum in §. 43.) *Maius*, emendauit cum *Orellio Beierus* (recuperatoribus), restituit *Huschkius*: quem sequor, atque ad I. ad Her. 6, 9. (*persua-*

Taurin. Fol. VI. apud[158]) reciperatores dicere[159]) liceret, eo non addito nihilo minus tamen ita dicis, quasi id ipsum, a quo *depulsus*[160]) es, impetraris? At quibus uerbis in decernendo Metelius usus est? Ceteri, quos appellasti[161])? Nonne haec fuit omnium oratio, quod ui hominibus armatis coactisue familia fecisse diceretur, id tam*e*tsi[162]) nullo iure fieri potuerit, tamen se nihil addituros?

40. Et recte, Reciperatores. Nam[163]) cum perfugio nullo constituto tamen haec scelera serui audacissime faciant, domini impudentissime confiteantur, quid censetis fore, si Praetor iudicet, eiusmodi caed*e*s[164]) fieri iure posse? An quicquam interest, utrum magistratus

sus uidetur esse) addo *Seruium ad Aen.* X, 10. (ex Ennio: *quis te persuasit?)*

158) Cod.: apu*t*.

159) *Peyronus* e Codice: dicere*t*.

160) Item: *detrusus*. Tum (paullo aliter) in notis: »En certas litteras ∘e∘∘∘s∘s, quare legi etiam potest *depulsus*.« Atque ita secundum *Beierum* scripserunt *Orellius* et *Huschkius*, dum *Maius* cum *Peyrono detrusus* seruauerunt. Mihi quoque illud usitato sermoni aptius, hoc quaesitum magis uidetur. Caeterum sex illarum litterarum paene nihil conspexi.

161) Sic nullo dubio Codex, etiam *Peyrono* auctore. Qui tamen de coniectura (contextu, ut putabat, hiante) ita scriptum edidit: »... usus est, *ea* ceteri, quos appellasti, *confirmarunt*. Nonne« rel. Tum *Beierus* reiectis additamentis sic scripsit: »... usus est, ceteri, quos appellasti, — nonne« rel., anacoluthon statuens cum nescio qua elegantia grataque, quam uocat, negligentia. Eumque *Orellius* secutus est. Sed *Huschkius* una interrogandi nota adhibita genuinum Ciceronis sermonem restituit.

162) *Peyronus* e Codice: TAME∘SI. Notat: »Librarius scripserat *tamensi*, tum emendauit *tametsi*, ita ut littera T lateat in littera N paullo erasa.« Magis dixerim, librarium prius scripsisse TAMENTSI, nam duarum litterarum spatium in litura esse constat, dummodo e superiori uersu adhibeas litteras CISSANICANETUR, quarum anterius a infra se habet E (in *tametsi*), n autem s.

163) Sic Codex, non UAM; ut etiam *Peyronus* in Corrigendis prodidit.

164) Cod. CAEDIS.

peccato defensionem constituant, an peccandi potestatem licentiamque permittant? Taurin. Fol. VI.

41. Etenim, Reciperatores, non damno commouentur magistratus, ut in haec uerba iudicium dent. Nam id *si*[165]) esset: nec reciperatores potius darent quam iudicem; nec in uniuersam familiam[166]), sed in eum, *qui*-cum[167]) nominatim ageretur; nec in quadruplum, sed in duplum; et *ad*[168]) DAMNUM adderetur INIURIA. Neque enim is, qui hoc iudicium dedit, de cete†ris damnis ab lege[169]) Aquilia recedit; *in*[170]) quibus nihil agitur nisi damnum, qua de re[171]) Praetor animum debet aduertere. † Explicit Taur. Fol. VI. Incipit VII.

42. In hoc iudicio uidetis agi de ui, uidetis agi de hominibus armatis, uidetis aedificiorum expugnationes, agri uastationes, hominum trucidationes, incendia, rapinas, sanguinem in iudicium uenire. Et miramini, satis habuisse eos, qui hoc iudicium dederunt, *id*[172]) quaeri, utrum h*a*ec[173]) tam accrba[174]), tam indigna, tam atro-

165) Cod.: INESSET. Et ita Ed. pr. — *Beierus* cum *Orellio* et *Maio*: *si id esset*. *Huschkius*, censorem in Annal. Heidelberg. a. 1825. p. 1250. secutus: *id si esset*.

166) Cod.: *familia*, iam in Ed. pr. correctum.

167) Cod.: EUMCUM; item.

168) Cod.: ETDAMNUM. *Peyronus* cum *Maio*: *et damno*. Longe praestat quod primus *Beierus*, tum caeteri dederunt: *et ad damnum*.

169) Cod.: LEGAE.

170) *Peyronus* e Codice: IDQUIB. Tum adnotat: »Amanuensis scripserat IDQUIB., tum deleuit litteram D: scripsi *in quibus*, sed contextus liquidus non est.« — Mihi in Codice lucnienter apparuit IDQUIA., praeterea nihil.

171) *Peyronus* et *Maius* semicolon habent ante *qua*, caeteri punctum. Unde sententia mihi uidetur insulsa effici ac paene dicam absurda. Itaque uirgulam posui, ut cum anterioribus haec iungerentur, quum praesertim nec dictio *nihil qua de re* neque Indicatiuus *debet* offensionem habere uideatur.

172) Cod.: IT.

173) *Peyronus* e Codice: HEC.

174) Item: *acerua*.

Taurin. Fol. VII. cia facta[175]) essent necne; non, utrum iure facta an iniuria? Non ergo Praetores a lege Aquilia recesserunt, quae de damno est[176]), sed de ui et armis[177]) seuerum iudicium constituerunt: nec ius et iniuriam quaeri nusquam putarunt oportere; sed eos, qui armis quam iure agere maluissent, de iure et iniuria disputare noluerunt.

43. Neque ideo de iniuria non addiderunt, quod in aliis rebus non adderent, sed ne ipsi iudicarent, posse homines seruos iure arma capere et manum cogere; neque quod putarent, si additum esset, posse hoc tali-

175) Ita Codex, non FACTAE, quod typothetae culpa irrepsisse *Peyronus* in Emendandis professus est.

176) *Peyronus* e Codice: ESSET, ut litteras SE lineolis traiectis deletas, uocemque EST corrigendo effectam esse indicet. Enimuero mihi spongia potius aut citro quam lineis ad delendum usus esse uidetur librarius. *Beierus* iracundius quam ualidius pristinam scripturam defendit; tamen eam quum *Orellio* tum *Huschkio* probauit. Ego, quum rarissima adhuc fuerint praue correcta, cum *Peyrono* ac *Maio* librarii fidem secutus sum. — Caeterum nolo praeterire quae *Beierus* ad h. l. exhibuit uerba *Fortunatiani* e Lib. II. Rhetoric. (ap. *Capperonerium* pag. 77.): »Voluntas legis ... consideratur ... cum exemplo multarum legum probamus, praesentem quoque legem ita sentire, ut nos defendimus: *sicuti M. Tullius fecit pro M. Tullio.*

177) *Peyr.* e Codice: ARMATIS, et sic caeteri ediderunt, nisi quod apud *Orellium* fortuito, puto, non consulto, habetur *ui armatis* pro *ui et armatis*. Et illi quidem tacite, uno excepto *Huschkio*, qui haec adiecit: »Suspicor in codice excidisse *hominibus*, nisi legendum est: *armis.*« Nec ratio eum fefellit. Quippe supra litteram T distinctissime apparet punctum, notissima illa delendi nota. Deinde ad dextram litterae M superne adscriptae sunt litterae *is*, quas postea librarius, quum intellexisset, eas iam in uerbo ARMATIS sibi suppetere, eradere coepit, et ita effecit, ut alterum punctum, quo littera A deleta esset, euanesceret. Utique supra ipsam hanc litteram A (AT) litura est prorsus conspicua. Ex quo apparet, in ipso Codice ARMATIS esse in ARMIS emendatum.

bus uiris persuaderi [178]), non iniuria [179]) factum, sed ne quod tamen [180]) scutum dare in iudicio uiderentur iis, quos propter haec arma in iudicium uocauissent. Taurin. Fol. VII.

44. Fuit illud interdictum apud [181]) maiores nostros de ui, quod hodie [182]) quoque est: UNDE TU AUT FAMILIA [183]) AUT PROCURATOR TUUS ILLUM AUT FAMILIAM AUT PROCURATOREM ILLIUS IN HOC ANNO UI DEIECISTI. Deinde additur illius iam hoc causa, quicum agitur: CUM ILLE POSSIDERET, et hoc amplius: QUOD [184]) NEC UI NEC CLAM NEC PRECARIO [185]) POSSIDERET.

45. Multa dantur ei, qui ui alterum detrusisse dicitur; quorum si unum quodlibet probari iudici potuerit, etiamsi confessus erit, se ui deiecisse, uincat necesse est: uel non possedisse eum, qui deiectus sit, uel ui

178) *Peyronus* e Codice: PERSUADERE; et ita eum *Maio* edidit. *Beierus* necessaria ratione ductus emendauit *persuaderi*, eumque caeteri secuti sunt. Illud solum addo, per Codicis uestigia pertnde licere I legere atque E.

179) Cod.: INIURIAM.

180) Codex nullo dubio: QUODTAMEN; quod quum nulla necessitate a primo Editore in *quoddam* esset mutatum, a *Beiero* cum *Huschkio* et *Orellio* restitutum est. Maius: *quoddam*.

181) *Peyronus* e Codice exhibet APUT.

182) Cod.: HODIAE.

183) Sic profecto Codex, etiam *Peyrono* teste. Itaque quod V. Ill. in contextu tacite inseruit *tua* (quod etiam *Maius* recepit), id recte *Beierus* caeterique eiecerunt.

184) Hoc uocabulum QUOD formulae ipsius partem esse, neque ulla ratione inde auelli oportere, supra h. Sem. Lib. II. Cap. 1. §. 2. p. 302. docuimus.

185) *Peyr.* e Cod.: PRAECARIO.— Hanc uocem in plena interdicti formula excipiunt uerba A TE. Vide *sup.* l. l. p. 293. Num igitur ea hoc loco desiderabimus? Non opinor; nam quum actoris caussa comparata sint, parum hic attinuit ea commemorare. Neque ullam eorum mentionem ego iniecissem, nisi in schedulis meis legerem, a dextera uocis *praecario*, quae extrema in pagina est, aliquot litteras (incertas quidem) esse in margine adscriptas.

Taurin. Fol. VII.

ab se [186]) possedisse uel clam uel precario [187]). Ei, qui de ui confessus esset, tot defensiones tamen ad causam *obtinendam* [188]) maiores reliquerunt.

46. Age illud alterum interdictum consideremus, quod item *nunc* [189]) est constitutum propter eandem ini- quitatem temporum nimiamque hominum † [190]) ———

† Explicit Taur. F. VII. In ima pagina dextrorsum habetur XIIII.

——————————————————————— [191])

† Incipit Taur. Fol. VIII.

47. † boni debent dicere. Atque ille legem mihi de XII. Tabulis recitauit, quae permittit, ut furem [192]) noctu liceat occidere, et luce [193]), si se telo defendat; et legem antiquam de legibus sacratis, quae iubeat impu-

186) *Peyronus* e Codice:

UALAPSSPOSSEDISSE;

in contextu: *uel ui possedisse*, electo *ab sa*. Hoc uero *Beierus* restituit, *Orellius* et *Huschkius*, uti par est, seruauerunt. Puto, etiam I additum fuisse τῷ U superne adiecto; conspicuum saltem est caeruleum quoddam punctum.

187) Cod.: PRAECARIO.

188) Cod.: OPTINENDAM.

189) In schedis meis ad uocem *nunc* adiectam habeo notam interrogationis. Potuerit etiam *nuper* uel simile aliquid scriptum fuisse.

190) Proximum uocabulum *Peyronus* coniecit *licentiam* fuisse. Quod quum recepit *Beierus*, coniecit ipse *improbitatem*.

191) *Huschkius* adnotat: »Quot hic folia desiderentur, definiri non potest.« Verissime. (Conf. eius Prolegom. p. 87.) Tum pergit scribere: »plane Ciceronem ibi, ubi codex denuo incipit, in Quintio confutando adhuc occupatum inuenimus, unde credibile est, non tam multa periisse.« Non repugno: ubique tamen tenendum est, tertiae circiter orationis pro Caecina parti nostras Tullianae reliquias aequari, tamen in Dialogo de caussis corruptae eloquentiae duas illas defensiones pari fere gradu ac mensura aestimari, quum exclametur: *Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa uolumina, quae pro M. Tullio aut A. Caecina legimus?* Ubi, ut obiter moneam, noli orationes ita inter se disiungere, ut exceptionem uni, alteri formulam totam tribuas.

192) Sic Codex, non FUREM. Conf. *Peyronus* in Corrigendis.

193) *Peyronus* e Codice: LUCI, quod *Beierus*, *Orellius*, *Huschkius* et *Maius* retinuerunt, ego cum *Peyrono* missum feci, quoniam paullo inferius (§. 48. §. 50.) bis *luce* recurrit.

ne[194]) occidi eum, qui Tribunum pl. pulsauerit. Nihil Taurin. Fol. VIII. opinor praeterea de legibus.

48. Qua in[195]) re hoc primum quaero, quid ad hoc iudicium recitari istas leges pertinuerit. Num quem Tribunum pl. serui M. Tulli pulsaucrunt[196])? Non opinor. Num furatum domum P. Fabi noctu uener*unt*[197])? Ne id quidem. Nu*m*[198]) luce furatum uenerunt et se telo defenderunt? Dici non potest. Ergo istis legibus, quas recitasti, certe non potuit istius familia seruos M. Tulli occidere.

49. Non, inqui*t*[199]), ad eam rem recitaui, sed ut hoc intellegeres, non uisum esse maioribus nostris tam indignum istuc nescio quid, quam tu putas, hominem occidi. At primum istae ipsae leges, quas recitas, ut mittam caetera, significant, quam noluerint maiores nostri, nisi cum pernecesse esset, hominem occidi. Primum[200]) ista lex sacrata est, quam rogarunt armati, ut inermes sine periculo possent esse. Quare non iniuria, quo magistratu munitae leges sunt, eius magistratus corpus legibus uallatum esse uoluerunt.

50. Furem, hoc est, praedonem et latronem, luce occidi uetant XII. Tabulae: cum intra parietes tuos ho-

194) *Peyronus* e Codice: INPUNE.

195) Sic Codex, non IU. Conf. etiam *Peyronus* in Emendandis.

196) Sic Codex, non PULSEURUNT; sicut ibidem confirmatur.

197) Hic uero Codex certissime habet mendum illud UENERINT.

198) Rursus Codex, ut *Peyronus* exhibet: NUNC.

199) Codex: INQUID.

200) Haud temere *Huschkius* hanc uocem *primum* in dubium uocasse uidetur uariis de caussis. Ut mittam caetera, profecto inelegans est haec iteratio. Quid ergo est? Ille *Prior enim* seu *Prima enim* legendum esse coniecit, mihi aliquando consilium fuit, ut illam uocem prorsus eiicerem, tamquam ex eiusmodi fortasse errore natam (obserua modo uerba *hominem* oc-

Taurin. Vol. VIII. stem certissimum teneas, nisi SE TELO DEFENDIT[201]), inquit[202]), etiamsi cum telo uenerit, nisi utetur telo eo ac[203]) repugnabit, non occides[204]). Quod si[205]) repugnat[206]), ENDOPLORATO, hoc est, conclamato, ut aliqui audiant et conueniant. Quid ad hanc clementiam addi potest? qui ne hoc quidem permiserint, ut domi suae caput[207]) suum sine testibus et arbitris[208]) ferro defendere liceret.

51. Quis est, cui magis ignosci conueniat, quoniam me ad XII. Tabulas reuocas, quam si quis quem imprudens occiderit[209])? Nemo opinor. Haec enim tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunae, poena repetatur. Tamen huiusce rei ueniam maiores non dederunt. Nam lex est in XII. Tabulis, SI TELUM

cidi, utrobique antecedentia), qualem supra in una §. 30. his deprehendimus. Sed haec omnia incertiora sunt. Itaque nihil esse nouandum puto, quum praesertim illa uoce *primum* nihil sit in toto Codice certius neque distinctius.

201) Sic Codex. — *Peyroni* coniecturam *defenderit* caeteri omnes repudiauerunt, *Huschkius* etiam refutauit. — De reliquo quatenus ipsa legis uerba nobis tradantur, incertius mihi uidetur, nec uerbo *inquit* nimium tribuendum. Caeteri etiam NISI.

202) *Peyronus* e Codice: INQUIO.

203) Sic Codex, non AE: *Peyrono* quoque teste in Emendandis.

204) *Beierus*, *Huschkius*, *Orellius*: NON OCCIDES. Vide *sup. not.* 201.

205) Cod.: QUOSSI; eamque scripturam *Huschkius* ut in uerbo legitimo conseruauit. Caeteri: QUOD SI.

206) Sic certissime Codex, etiam *Peyrono* teste; et sic cum *Beiero*, *Orellio*, *Maio* scribere non dubitaui. *Peyronus* de coniectura dedit REPUGNAUERIT, eumque *Huschkius* secutus est, in ipsis XII. Tabulis etiam in hac uoce fuisse ratus REPUGNASSIT (e *repugnauesit* natum), cuius insolito sono Cicero auditorum aures offendere noluisset. — Caeterum omnes hanc uocem, utcunque conceptam, typis tanquam legitimam distinxerunt.

207) Cod.: CAPUO.

208) Cod.: ARBITRIIS.

209) Sic *Peyronus* e Codice Sed incertius mihi uisum est, in extrema syllaba I an E scriptum esset.

MANU FUGIT MA†GIS *QUAM* *IECIT* 210) ——————— † Explici + Taurin. Fol. VIII.

——————————————————————————— 211)

210) Extremae quinque syllabae praeeunte *Peyrono* ita omnium consensu restitutae e *Topic.* 17, 64. »nam iacere telum noluntatis est: ferire, quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille subiicitur in uestris actionibus: *Si telum manu fugit magis quam iecit.*« — Conf. *de Oratore* III, 39, 158. »Nonnunquam etiam breuitas translatione conficitur, ut illud, *Si telum manu fugit.* Imprudentia teli emissi (*Ellendt.: missi*) breuius propriis uerbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.« — Adde *Augustinum de libero arbitrio*: »Cui inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi uidetur peccare, cum hominem occidit. — Caetera, quae ad hoc ius pertinent, loca, ab *Huschkio* imprimis curiose collecta, partim etiam purgata, eaque ad supplendam aliquatenus deperditorum sententiam perquam necessaria, haec sunt: *Seruius ad Virg. Bucol.* IV, 43. »Sane in Numae legibus cautum est, ut, si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi *agnatis* (uulgo: *et natis*; conf. *Priscian.* VI, 13. 69. *ap. Putsch. p.* 710., *ap. Krehl. p.* 265. *si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus agnatus ulciscitur*) eius in concione (sic Scaliger, uulgo *cautione*) offerret arietem. Ergo hic bene uidetur arieti dignitatem dare dicendo *ipse*, qui obiatus homicidam crimine homicidii possit exsoluere.« — *Idem ad Georg.* III, 387. v¹. *aries sit candidus ipse.* »Bene *ipse* addidit, quasi qui aut dominus gregis est, aut qui antea pro domino capital dari consueuerat. Nam apud maiores homicidii poenam noxius arietis damno luebat, quod in Regum legibus legitur.« — *Festus (ap. Mueller. p.* 351.) »Subigere arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, caedatur.« — *Idem* (loco misere lacerato, *ap. Mueller p.* 347.) »Subici *aries dicitur qui pro occiso datur*, quod fit, ut ait Cincius *in libro de officio* iurisconsulti, exemplo *Atheniensium, apud quos* expiandi gratia aries *inigitur ab eo, qui inuitus scelus admisit*, poenae *pendendae loco.*« — *Boethii* ineptias omitto. — Sed de homicidio uoluntario e *Paulli Diaconi* Excerptis s. v. *Parrici* (ap. *Mueller.* p. 221.) hoc addo: »...ita fuisse indicat lex Numae Pompilii Regis, his composita uerbis: *Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto.*«

211) *Maius* hoc loco in contextum recepit haec: »*Cicero in illa oratione, quas pro M. Tullio inscribitur*, ipsas quoque XII. tabulas *adseuerauit* excubare pro hominum salute, quae hanc interemendi potestatem uon facile permiserint. *Interpres uaticanus ad*

† Incipit Rufiniani fragmentum. 52. † si qui [212]) furem occiderit, iniuria occiderit. Quam ob rem? Quia ius constitutum nullum est. Quid si se telo defenderit? Non iniuria. Quid ita? Quia constitutum est † ——————————————— [213])

† Explicit d. fragmentum.

or.pro Mil.III,6.,a me in hoc uolumine primum editus.« Simul adnotauit: »In hac lacuna dixisse Ciceronem, quae scholiastes uaticanus se legisse in oratione pro Tullio ait, ego quidem non dubito.«— Quid igitur est? probe consideranti, in contextum quod reciperem, nihil mihi apparuit; quamquam lubenter concedo, ad sententiam, quin etiam ad unum alterumue uocabulum in hac orationis parte restituendum haud sine pretio esse illud fragmentum. Quare etiam integrum scholium iuuat exhibere. Scriptum est ad c. 6. *pro Milone*, uerbis *Gladium nobis ad hominem occidendum ab ipsis porrigi legibus*, quae uide *h. sup.* p. 643. in nota 36.,sic: »*Βιαίως* auctoritatem XII. tabularum ad defendendam confessionem Milonis trahit, quae grassatoris interficiendi potestatem faciunt per diem, si armatus ueniat, noctu uero, quoquo modo uenerit. (*Ἐναντία*) huic argumentatio est in illa oratione, quae pro M. Tullio inscribitur. Ibi quippe quoniam aliut praesentis negotii condicio poscebat, ipsas quoque XII. tabulas adseuerauit excubare pro hominum salute, quae hanc interemendi potestatem non facile permiserint.«

212) Praeter *Orellium* caeteri: *quis*. Ruhnkenium secutus sum cum Frotschero.— Quippe illi uersiculi certa sane ratione omniumque consensu sunt a primo Editore restituti e *Iulii Rufiniani* libello *de figuris sententiarum et elocutionis*, ubi in §. 8. haec extant: »Apophasis siue Aetiologia, uenustum schema, ubi quasi alio interrogante nobis ipsis respondemus et rationem reddimus. *Cicero pro Tullio: Si qui furem occiderit, iniuria occiderit. Quam ob rem? Quia ius constitutum nullum est. Quid si se telo defenderit? Non iniuria. Quid ita? Quia constitutum est.* Caesar pro Bithynis: Quid ergo? Syngraphae non sunt, sed res aliena est«, rel. — Caeteroquin hocce orationis fragmentum et illa, quae e folio VIII. Taurinensi antecedunt extrema, ea non potuerunt in integra oratione magno interuallo inter se distare.

213) Totius iacturae, quam in hac parte orationis inter extrema duo folia Taurinensia fecimus, aestimationem finire adhuc ausus est nemo. Neque ego audeo. Vereor ne magna sit. Certe inter alia

53. † tamen uerum[214]) factum esset, [non modo seruos][215]) tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo seruos M. Tulli occidere iure non potuisti, uerum etiam, si tectum hoc insciente aut per uim demolitus esses, quod hic in tuo aedificasset et suum esse defenderet, id ui[216]) aut clam factum iudicaretur[217]): tu ipse iam statue, quam uerum sit, cum paucas tegulas deiicere[218]) impune familia tua non potuerit, maxi- † Incipit Taurin. Fol. IX.

omnis illa disputatio, utrius esset centuria Populiana, interiit. Conf. *Huschkius* in Prolegom. p. 87. et hic sup. not. 191.

214) *Beierus* de coniectura scripsit: *per uim*, Orellio probatum, a caeteris merito reiectum. Ac primum illud sciendum est, in Codice quum haec *tamen uerum* tum quae sequuntur in proximis aliquot uersibus, sicut extant in *Peyroni* imagine, omnium distinctissima esse ac certissima. — Huschkius *uerum factum* intellexit tamquam *planum factum*, quod an exemplis consistat omni numero absolutis, ignoro. Proxime accedunt ex iis, quae mihi praesto sunt, *Quinctilian. Inst. orat.* IV, 3, 6. *prius est, quod obiicias, uerum efficere quam magnum*, tum *Cicero in Laelio* 18, 65. *ita fit uerum illud, quod initio dixi*; — alia remotiora sunt aut prorsus aliena, ueluti *Seneca de morte Claudii Imp.*, a princ., *Terentii Andr.* I, 1, 76. *Plaut. Mil. glor.* IV, 8, 57. *Cic. ad Fam.* XII, 15, 3.

215) *Peyronus* notat: »Haec turbata esse quisque uidet; paria uerba *tamen* et *non modo seruos* fefellerunt librarium.« Nihil mutauit. — *Beierus*, quem *Orellius* secutus est, uerba *non modo seruos. Tamen* uncis inclusit, tamquam perperam geminata. — *Huschkius* nonnisi tria uerba *non modo seruos* uncis includendo (sicut hic supra sunt) reprobauit, quum de mendi genere ac caussa cum caeteris ei conueniret (conf. *h. sup.* ad §. 30. in notis 112. et 115.), denique sententiam de coniectura ita suppleuit: *Si igitur, L. Quinti, ita quoque, si illum ipsum locum, in quo familia tua M. Tulli seruos occidit, tuum fuisse uerum a te factum esset (si id* tamen uerum factum esset) tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo seruos rei. — Quae, ut partim incertiora partim etiam improbabiliora sint, nolui tamen silentio praeterire, quia ueri tamen multum inest, neque ego, quod melius offeram, habeo.

216) Cod.: UIM.

217) Hoc loco punctum excepto *Huschkio* omnes posuerunt.

218) Cod.: DEICERE.

Taurin. Fol. IX. mam caedem sine fraude facere potuisse. Et [219]) ego ipse, tecto illo disturbato, si hodie postulem, quod ui aut clam factum sit, tu aut per arbitrum restituas aut sponsione condemneris necesse est. Nunc hoc probabis uiris talibus, cum aedificium tuo iure disturbare non potueris, quod esset, quemadmodum tu uis, in tuo, homines, qui in eo aedificio fuerint, te tuo iure potuisse occidere?

54. *At* [220]) seruus meus non comparet, qui uisus est cum tuis. *At* [220]) casa mea est incensa a tuis. Quid ad haec respondeam? Ostendi falsa esse: uerumtamen confitebor. Quid postea? Hoc sequitur, ut familia M. Tulli concidi oportuerit? Vix mehercule, ut corium peti; uix ut grauius expostulari: uerum, ut esses durissimus, agi quidem usitato iure et cotidiana actione potuit. Quid opus fuit ui? quid armatis hominibus? quid caede? quid sanguine?

55. At enim oppugnatum me fortasse uenissent. Haec est illorum in causa perdita extrema non oratio neque defensio, sed coniectura et quasi diuinatio. Illi oppugnatum uenturi erant? Quem? Fabium. Quo consilio? Ut occiderent. Quam ob causam? Quid ut proficerent? Qui comperisti? Et, ut rem perspicuam quam paucissimis uerbis agam, dubitari hoc potest, Recuperatores, utri oppugnasse uideantur, qui ad uillam ue-

219) *Peyronus* e Codice: POTUISSETEGO. Itaque cum *Maio* edidit: *potuisset. Ego.* — *Beierus* cum *censore Ienensi* et *Orellio* de coniectura: *potuisse. Ego.* Tum censor *Heidelbergensis* (1825. pag. 1250. Annal. Heidelberg.): *potuisse. Te ego.* — *Huschkius* denique sicut in contextum recepi.

220) Cod.: AD.

nerunt, an qui in uilla[221]) manserunt? qui occisi sunt, Taurin. Fol. IX. an ii, ex quorum numero saucius[222]) factus est nemo? qui cur facerent causa non fuit, an ii, qui fecisse[223]) se confitentur? Verum ut hoc tibi credam, metuisse te, ne oppugnarere †[224]), quis hoc statuit umquam[225]), aut † Incipit fragmentum e Quinctiliano. cui concedi[226]) sine summo omnium periculo potest, ut eum † iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, † Explicit Taur. Fol. IX. ne ipse posterius occideretur? †[227]) † Explicit fragmentum e Quinctiliano.

Caetera desiderantur[228]).

221) Cod.: UILLAM.

222) Cod.: SAUCCIUS.

223) Cod.: FECISSENT, distincte conspicuis punctis, delendi consilio adiectis.

224) Cod.: OBPUGNARERE.

225) *Peyronus* e Codice: STATUTUMQUAM.

226) Item: CON.CEDI. Est uero: CŌ|CEDI (lineola pro N.).

227) Locus *Quinctiliani* (*Inst. or.* V, 13, 21.), unde finalia haec uerba suppleta sunt, ita se habet: »Ex quibus tamen fortissime inuaseris, quod est aut omnibus periculosum, ut dicit Cicero pro Tullio: *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?*

228) Extremo hoc loco addenda sunt fragmenta cum minora tum incertiora haecce:

a) *Diomedes de Oratione et partibus orationis Lib. I., ap. Putsch. p.*369. »Sunt quaedam uerba, quae habent perfecta duplicia, ut .... *explico explicui*, quoniam est *plico plicui*, ut Virgilius, *Explicuit legio.* Sed *plicaui* legimus, *ut est apud Ciceronem pro M. Tullio.*«

b) *Ambrosii Macrobii Theodosii de differentiis et societatibus Graeci Latinique uerbi libellus, ap. Putsch. p.* 2738.: »*Explico explicui*, quia *plico plicui:* sed *Cicero pro Tullio* explicauit *ait.*«

c) *Iulius Victor* VI, 6. *ap. Orell. p.* 224. »Ab euentu in fine, ut M. Tullius Cicero: *si iudicaueritis, sine dolo malo posse familiam congregari, hominem occidi, omnibus facinorosis eandem licentiam permiseritis.* Et si prohiberi non potest aut deiici, prohiberi domo tua potueris, et non habebis interdictum, quo restituaris. (*pro Caec.* 12, 35.)

d) Attulit denique *Huschkius* ad §. 55. b. or°. ex eodem *Victore* VI, 1. (*ap. Orell. p.* 219.) haec uerba, quibus quae supra in nota 132. extrema exhibui, continuantur: »Et idem: non esse detrectatio-

nem circa pacem, quom non clam nec furtim profectus sit, sed palam«; ubi tamen prima quinque uerba sic emendanda V. D. putauit: »Et *M. Tullium* non esse detractorem«. Sed huic coniecturae cum alia tum etiam illius loci, quem antea (sub litt. c.) adscripsi, exemplum uidetur obstare; denique uereor, ne omnino ab hac oratione ista uerba sint aliena.

Index

Rerum et Verborum.

*

Explicit horum Semestrium Volumen primum, cuius Libri I. et II. A. D. MDCCCXLII. et MDCCCXLIII., tertius hoc anno MDCCCL. primum prodierunt.